

Google





THEOLOGIA

DOGMATICA.

REV. PATR.

THOMÆ EX CHARMES

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

THEOLOGIA

DOGMATICA

CUI SUIS LOCIS INTERJECTÆ ACCESSERUNT ANNOTATIONES
ET ADDITIONES ASTERISCIS DISTINCTÆ

NECNON

TRACTATUS DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE

OPERA J.-A. ALBRAND

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM

SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

TOMUS QUARTUS



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA CASSETTE, 23.

1857

Atrebati. — Excudebat E. Lefranc, via S. Mauritii, 26.

THEOLOGIA
DOGMATICA.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Hunc de Baptismo tractatum septem absolvemus capitibus: *primum* erit de natura Baptismi, ejusque discrimine a baptismate Joannis; *secundum*, de materia et forma Baptismi; *tertium*, de variis proprietatibus Baptismi; *quartum*, de Ministro; *quintum*, de ejus subjecto; *sextum*, de effectibus Baptismi, et dispositionibus ad eos percipiendos; *septimum*, de Cæremoniis ipsius, et Patrinis.

CAPUT I.

DE NATURA BAPTISMI.

Nota 1. Cum nullus hæreticus neget Baptismum esse sacramentum, nihil est quod immoremur in illius institutione probanda.

Nota 2. Baptismus[1] derivatur a verbo græco βαπτίζω, id est lavo, tingo, immergo, et triplex est, scilicet Baptismus sanguinis, flaminis et fluminis.

[1] * Baptismo varia data fuerunt nomina, quæ sic exponit S. Greg. Naz. (Orat. 40 *in sanctum Baptisma: Quemadmodum Christus, hujus* (Baptismi) *dator, multis et diversis nominibus appellatur, ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur....* Donum *dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur;* Gratia, *quia etiam debentibus;* Baptismus, *quia peccatum in aqua sepelitur;* Unctio, *quia sacer et regius; hujusmodi enim ea erant, quæ ungebantur;* Illuminatio, *porro, quia splendor et claritas;* Indumentum, *quia ignominiæ nostræ velamen est;* Lavacrum, *quia abluit;* Sigillum, *quia conservatio est ac dominationis significatio.* *

Baptismus *sanguinis* est martyrium pro Christo perpessum.

Baptismus *flaminis* est votum, seu desiderium recipiendi Sacramentum Baptismi.

Baptismus *fluminis* est primum novæ Legis Sacramentum, de quo tota instituitur dissertatio, ideo

QUÆRES. 1. *Quid sit Baptismus?*

RESP. *Est Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua, sub præscripta verborum forma.*

Explicatur definitio ut innotescat quam sit accurata, utpote quæ clare exponit materiam tum physicam, tum metaphysicam Baptismi.

Dicitur 1° *Sacramentum a Christo Domino institutum;* pro genere, per quod convenit cum aliis Sacramentis, cum sit signum ad nostram justificationem divinitus institutum.

Dicitur 2° *Ad spiritualem hominis regenerationem;* pro differentia; solus enim Baptismus regenerat, non aliud Sacramentum, ne Pœnitentia quidem, cum non primam vitam spiritualem conferat, sed jam amissam restituat, ut non regenerare, sed resuscitare dicatur.

Dicitur 3° *Per externam corporis ablutionem;* ut designetur materia proxima hujus Sacramenti.

Dicitur 4° *Factam aqua;* ut designetur materia remota, quæ est aqua naturalis.

Dicitur 5° *Sub præscripta verborum forma;* ut designetur expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatio, quæ est forma hujus Sacramenti.

QUÆRES. 2. *Quandonam institutum fuerit Sacramentum Baptismi? An ante, an post passionem?*

RESP. De ea re altum est in Scriptura et traditione silentium, unde Patres et Theologi in varias abiere sententias; tamen

Probabilius est ex ipsis Scripturis, Sacramentum Baptismi ante passionem fuisse institutum.

PROBATUR. *Ex Scriptura.* Joannis cap. 3: *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in Judæam, et illic commorabatur cum eis et baptizabat;* nimirum per Apostolos, ut explicatur capite quarto, *quanquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus;* atqui non baptizabat Baptismo Joannis, sed suo, ut docet D. Aug. [1], et constat ex invidia discipulorum Joannis [2]; si enim discipuli Christi baptizassent baptismo Joannis, non ipse Christus, sed Joannes per eos baptizasset, sicque nulla fuisset invidiæ causa, cum in illa hypothesi Christus visus fuisset discipulus Joannis : ergo Apostoli baptizabant baptismo Christi.

DICES : Christus Sacramentum Baptismi instituit post suam resurrectionem, dum Apostolis suis dixit [3]: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam Apostoli in ultima cœna facti sunt Sacerdotes; ordinem autem recipere non potuissent, nisi jam recepissent Baptismum, qui est janua aliorum Sacramentorum.

INST. In Baptismo Christi datur Spiritus Sanctus; atqui ex Scriptura [4], ante resurrectionem *nondum erat Spiritus datus*. Ergo.

RESP. *Dist. textum.* Nondum erat Spiritus datus *visibiliter*, prout evenit in die Pentecostes, *conc.;* invisibiliter, per collationem gratiæ, *nego*.

URGEBIS: Gratia est effectus passionis Christi; ergo non potuit conferri ante Christi mortem.

RESP. *Dist. ant.* Est effectus passionis Christi, tanquam causæ moralis et meritoriæ, *conc.;* tanquam causæ physicæ, *nego ant. et conseq.*

Itaque, in physicis, causa debet præcedere effectum, non vero in moralibus; alias Apostoli in die cœnæ, recipiendo sacramenta Eucharistiæ et Ordinis, non recepissent gratiam; quod est falsum et absurdum.

[1] Tr. 11 *in Joan.* — [2] 7, v. 26.
[3] Matth. 10, v. 19. — [4] Joan. 7, v. 39.

QUÆRES 3. *In quo differebat Baptismus Joannis a Baptismo Christi?*

RESP. In hoc potissimum differebat, quod non fuerit Sacramentum, nec nisi ex opere operantis, virtute nimirum pœnitentiæ ad quam erat exhortatio, vim habebat justificandi; unde Joannes dicit [1]: *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.*

Hinc jure ac merito Conc. Trid. [2] anathematizat eum *qui dixerit Baptismum Joannis eamdem vim habuisse cum Baptismo Christi.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

CONCLUSIO I [3].

Materia remota Baptismi necessaria est omnis et sola aqua naturalis seu elementaris ad abluendum apta.

PROB. *Ex Script.* Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Act. 8: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* atqui aquæ nomine veram naturalem et elementarem intelligendam esse, constans et perpetua demonstrat Ecclesiæ praxis et traditio. Ergo.

Hinc jure Trid. hunc Canonem edidit adversus Lutheranos docentes Baptismum valere in vino et lacte: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc., *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Dixi in conclusione 1° *Omnis aqua;* sive maris, sive putei, fontis, pluviæ, nivis, modo sit resoluta; sive calida, sive frigida, sive colorata sive non; quia omnes illæ aquæ sunt naturales.

[1] Marci 1, v. 8. — [2] Sess. 7, can. 1.

[3] * Quoad quæstiones morales, vid. S. Liguorium, lib. 6, tract. 2, n° 95 et seqq.

Dixi 2° *Sola aqua naturalis;* ut excludantur omnes alii liquores, vinum, lac, cerevisia, ptisana, liquor ex rosis expressis, etc., quia non sunt aquæ naturales.

Dixi 3° *Necessaria,* quia nec Chrisma, quod in solemni fontis baptismalis consecratione aquæ infunditur, nec ipsa benedictio aquæ, est absolute necessaria.

Dixi 4° *Ad abluendum apta;* ut excludantur nix, grando, glacies, nisi sint in aquam resoluta ac liquata.

OBJECTIONES.

BJICIES 1. Laudata Christi verba [1]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc., non litterali sensu de aqua vera, sed figurato, de spiritu mundante instar aquæ, sunt intelligenda; ergo.

RESP. *Nego ant.* Cujus falsitas constat ex supra laudato Canone Trid. [2].

Prob. ant. In hoc textu Matthæi [3]: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni,* ignis sumitur metaphorice pro gratia quæ diffunditur in cordibus per Spiritum Sanctum; ergo et aqua in textu Joannis sumi debet metaphorice.

RESP. *Nego conseq. et parit.* Disparitas habetur ex praxi Christi, Apostolorum ac Ecclesiæ totius, a quibus inter baptizandum aqua semper fuit adhibita, nunquam vero ignis, qui non materiam, sed effectum Baptismi symbolice denotat.

OBJICIES 2. Stephanus III, consultus de Presbytero qui infantem omnino periclitantem vino baptizavit deficiente aqua, respondit: *Nulla ei* (Presbytero) *exinde adscribitur culpa,* (*infantes sic permaneant in ipso Baptismo*)*; nam si præsens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur.* Ergo.

RESP. 1. Responsum illud totum esse supposititium, tum quia non extat in collectionibus Ecclesiæ Romanæ et Gallicanæ, tum quia tres codices qui illud referunt, non sibi

[1] Joan. 3, v. 5.— [2] Sess. 7, can. 2 *de Bapt.* — [3] Cap. 3, v. 11.

consentiunt, alii enim illud tribuunt Siricio, alii Stephano II vel III, alii Stephano Tornacensi.

Resp. 2. Supposita veritate historiæ, in responso Stephani culpa librariorum mendum irrepsisse, legendumque esse : *Nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in ipso Baptismo;* quia nimirum bona fide, ex ignorantia, instante necessitate id fecit.

Objicies 3. Narrat Nicephorus [1] aliquem Judæum, cum per loca arida iter faceret et de vita periclitaretur, a socio in arena baptizatum fuisse, atque veritatem Mysterii miraculo confirmatam fuisse; ergo aqua non est sola materia Baptismi.

Resp. *Nego conseq.* Baptismus enim ille improbatus fuit ab Ecclesia, et Judæus ille postquam domum rediit, jussu Alexandri Episcopi tinctus fuit aqua, ut refert idem Nicephorus.

Igitur tam subita curatio non est referenda veritati baptismatis, quod nullum erat, sed ardori fidei ipsius, quæ hoc miraculum a Deo impetravit.

CONCLUSIO II.

Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem.

Prob. Materia proxima in quolibet Sacramento est usus et applicatio materiæ remotæ ad subjectum; atqui in Baptismo ablutio est usus et applicatio aquæ ad subjectum: ergo ablutio est materia proxima Baptismi. Hinc Baptismus dicitur ab Apostolo *lavacrum aquæ* [2].

Dicitur 1° *Per aquam fluentem;* quia debet esse motus successivus aquæ; nec enim dicitur ablutus, supra quem decidit una guttula aquæ non fluens.

Dicitur 2° *Immediate;* non enim sufficit aquam vestes aut capillos baptizandi attingere, sed necesse est perfundat

[1] L. 3, *Hist.*, cap. 37. — [2] Eph. 5, v. 29.

ejus corpus, alias non ipse, sed vestes ipsius aut capilli dicerentur ablui.

Dicitur 3° *Supra corpus;* id est, supra unam ex præcipuis corporis partibus, maxime vero caput, in quo omnes sensus vigent. Hinc dubium est Baptisma, in quo abluitur manus vel pes infantis; atque ideo libri Rituales docent repetendum sub conditione; quia ex priori ablutione infans videretur non simpliciter, sed secundum quid lotus; ita resolvit D. Thomas[1] de eo qui baptizatur ante totalem egressionem ex utero, in quacumque parte corporis alia a capite.

QUÆRES: *Quotuplici modo possit fieri ablutio, ut valeat Sacramentum?*

RESP. *triplici:* 1° immersione trina vel una; 2° infusione; 3° aspersione. Indifferens est autem ad validitatem Sacramenti quo ex his tribus utatur minister, quia nullum in individuo Christus determinavit, qui ablutionem imperavit, non modum ablutionis, qui ideo accidentalis est.

Dixi: *Ad validitatem Sacramenti;* quia ut illud licite administret, tenetur usum Ecclesiæ actualem servare, ut dictum est dum agebamus de Sacramentis in genere.

Nota. Circa varios illos abluendi modos non una fuit Ecclesiæ disciplina: viguit enim usus trinæ immersionis usque ad XII^um et XIII^um sæculum, quem postea mutavit Ecclesia, tum quia immersio poterat nocere baptizandis, præsertim infantibus ob tenellæ ætatis infirmitatem; tum quia voluit consulere mulierum pudicitiæ, sicut et ministrorum oculis, quibus non sine multorum periculo nudatæ mulieres objici poterant, præsertim cum desiit in Ecclesia Diaconissarum ministerium[2].

[1] 3 p., q. 68.

[2] * Nunquam tamen desiit in Ecclesia modus baptizandi tum per infusionem, tum per aspersionem, ut constat: 1° ex baptismate ægrotorum, maxime qui morti proximi erant; porro, in primis Ecclesiæ sæculis multi hujusmodi erant, ut patet ex Patrum scriptis, qui adversus procrastinantes baptizari, nunquam de

DICES CUM GRÆCIS: Ecclesia non potuit mutare ritum a Christo præceptum; sed usus trinæ immersionis fuit a Christo præceptus juxta antiquiores Patres: ergo, etc.

1° Enim S. Chrys.[1] ait: *Dominus in tribus immersionibus aquæ, unum Baptisma discipulis suis tradidit.*

2° Pelagius II[2] ait: *Evangelicum præceptum nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam immersione sanctum Baptisma tribuere.*

3° S. Cornelius Papa[3] de validitate Baptismi, per infusionem Novatiano in lecto decumbenti, collati, dubitavit his verbis: *Si tamen Baptismum suscepisse dicendus est.*

RESP. *Dist. min.* Secundum Patres trina immersio est a Christo præcepta, ratione rei per trinam immersionem significatæ, nempe Trinitatis, *conc.*; ratione sui præcise, *nego min.* Ita intelligendi sunt S. Chrysostomus et Pelagius II, qui se clare explicat in Epistola ad *ad Gaudentium Episcopum*, dicens: *Si tamen manifesta confessione claruerit quod in Trinitatis nomine illi* (Bonosfiaci) *fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa, Catholicæ fidei reconciliari maturabis.*

Ad sanctum Cornelium dico, ipsum dubitasse, non de valore illius Baptismi, sed de ejus effectu; satis enim paratus ad gratiam Sacramenti non videbatur qui non nisi morte urgente ad eam recurrebat; hanc fuisse ejus mentem patet ex Concilio Romano sub ipso celebrato, in quo talis Baptismus fuit approbatus.

illorum baptismatis validitate dubitarunt; 2° ex antiquitatis monumentis, ex actis scilicet S. Lucii martyris, apud Surium; S. Bacchi Junioris, apud Combefisium; S. Lindgeri, qui mulieres christianas hortabatur ut pueros morituros baptizarent intinctos aqua, vel superinfusos; S. Laurentii, qui S. Romanum baptizavit in carcere. *

[1] Hom. *de Fide.*

[2] Cap. multi, dist. 4, *de Consecr.*

[3] Ep. *ad Fabium Antiochenum*.

CONCLUSIO III.

Forma Baptismi legitima et necessaria apud Latinos hæc est: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

PROB. *Ex ipsismet verbis Domini,* Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc.; licet enim Christus conceptis verbis non dixerit inter baptizandum verba ista esse pronuntianda, interprete tamen Ecclesia, et universa traditione, non tantum scripta, sed viva et spirante, quæ praxi quotidiana exprimitur, sunt pronuntianda, ut constat ex cap. *Firmiter* (de Summa Trin.).

Dixi: *Apud Latinos;* quia forma apud Græcos hæc est: *Baptizatur servus* vel *serva Dei* (*N*), *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Supple *baptizatur a me.* Ita Arcudius [1], qui hanc esse formam Græcorum ex textus græci ectione in Euchologio apud Goarium probat adversus multos ex Latinis, qui loco *baptizatur,* legunt *baptizetur* sensu nimirum optativo, vel imperativo. Igitur forma Græcorum eadem est quoad sensum quæ apud Latinos, quare ipsam validam declarat Concil. Florent. in Decreto unionis.

QUÆRES: *Quænam in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti sint pronuntianda?*

RESP. Circa hanc quæstionem sequentia sunt tenenda.

1° Ad valorem Baptismi necessario exprimi debent actio baptizantis et persona baptizanda, ita ut hæ voces (*baptizo te*) sint de essentia formæ; quoad pronomen *ego* sufficienter exprimitur in verbo *baptizo.*

Ita definitum est ab Alex. III [2]: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris,* etc., *et non dixerit*: Ego te baptizo *in nomine Patris,* etc., *non est puer baptizatus;* et ab Alex. VIII, qui hanc prop. damnavit [3]: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus:* In nomine Patris, etc., *prætermissis istis:* Ego te baptizo, etc.

[1] L. 2, *de Bapt.* cap. 8.—[2] Cap. *Si quis,* ext. de Baptismo.—[3] Prop. 27, damnata.

DICES : Ex istis verbis Christi : *Docete omnes gentes,* inferri non potest necessitas inter docendum pronuntiandi ista verba : *Ego vos doceo* : ergo nec ex istis : *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc., inferri potest necessitas inter baptizandum pronuntiandi ista : *Te baptizo.*

RESP. *Nego conseq. et parit.* Ratio disparitatis est : 1° quia unum admittit et imperat Ecclesiæ traditio, non aliud; 2° quia actio qua quis docet, ex seipsa est ad docendum determinata absque eo quod necesse sit dicere *ego doceo.* At vero cum infusio aquæ ex se sit indifferens ad refrigerationem aut lotionem, debet ad istam a forma determinari, determinatur autem per hæc verba : *Ego te baptizo.*

2° Necessario exprimenda est unitas naturæ, per verbum, *in nomine;* ita ut qui diceret, et *nominibus,* nihil efficeret; ratio est voluntas Christi, qui ita determinavit.

3° Ad valorem Baptismi requiritur expressa et distincta invocatio trium personarum sanctissimæ Trinitatis.

PROB. Ex perpetua Ecclesiæ praxi ac traditione, qua constat semper fuisse collatum Baptisma cum expressâ invocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis; ac rejectum Baptisma ab Hæreticis collatum absque hac expressa ac distincta invocatione.

DICES : Apostoli baptizarunt *in nomine Jesu Christi,* ut dicitur in Actibus Apostolorum[1]; ergo expressio trium personarum non est essentialis formæ Baptismi.

RESP. *Dist. ant.* Baptizarunt, *in nomine Jesu,* cum expressa invocatione trium personarum SS. Trinitatis, *conc.*; sine tali invocatione, *nego.*

Itaque duobus modis exponi possunt textus Actuum allati.

1° Pro invocatione Jesu Christi, quia hoc nomen exprimebatur simul cum Patre et Spiritu Sancto, sic *in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus Sancti.* Ita

[1] Cap. 2, 8 et 19 Actuum.

exponit sanctus Cyprianus, Epist. *ad Jubajanum*, dicens : *Jesu Christi mentionem facit Petrus*[1], *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius quoque adjungeretur.*

2° Exponi possunt de efficacia et virtute Baptismi Christi, prout opponitur Baptismo Joannis, ita ut *in nomine Jesu* idem sit ac *virtute Jesu, baptismo Jesu.* Ita hæc verba sumuntur Act. 19, ubi Ephesii, ad quos Paulus venerat, dicuntur baptizati *in nomine Domini Jesu,* id est Baptismo a Christo instituto, qui ibi opponitur Baptismo Joannis, in quo se baptizatos fuisse dicebant illi Ephesii.

Inst. Act. 8 dicitur: *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu;* ergo Apostoli baptizarunt in nomine Jesu sine invocatione, etc.

Resp. *Nego conseq.* Vox enim, *tantum,* non excludit nomen aliarum personarum, sed solam receptionem confirmationis, quod patet ex contextu : *tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.*

CAPUT III.

DE VARIIS PROPRIETATIBUS BAPTISMI.

Nota. Tres sunt præcipuæ proprietates Baptismi, scilicet *prioritas,* qua fit ut ante ipsum alia Sacramenta non possint suscipi; *unitas,* qua fit ut non possit iterari; *necessitas,* qua fit ut absque eo salus non possit obtineri.

Circa prioritatem et unitatem non est difficultas;

Certum est enim 1° Baptismum inter alia Sacramenta tantam prioritatem obtinere, ut ante ejus susceptionem, invalide alia suscipiantur; vocatur enim a Conc. Flor. *Janua vitæ spiritualis:* unde Innocent. III[2] mandat Presbyterum non baptizatum baptizari, et iterum ordinari.

Certum est 2° Baptismum validum iterari non posse, ex Script.[3] : *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma,* quod

[1] Act. 2, v. 12. — [2] Cap. *Veniens*, de Presbytero non baptizato. — [3] Eph. 4.

intelligitur a Patribus de unitate tum specifica, tum numerica respectu scilicet ejusdem personæ; hinc Trid.[1] anathema contorsit in eum qui dixerit Baptismum iterari posse.

Itaque restat quæstio instituenda de necessitate Baptismi, cui addemus quæstiunculas de Baptismo Flaminis et Sanguinis, utrum nempe possint supplere Baptismum aquæ. Itaque

ARTICULUS UNICUS.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

Nota 1. Duplex est necessitas, nempe præcepti et medii.

Necessarium necessitate præcepti ad salutem, est illud quod sine peccato non potest omitti culpabiliter; necessitas autem medii semper includit necessitatem præcepti erga eos qui sunt præcepti capaces.

Necessarium necessitate medii ad salutem, est illud sine quo salus obtineri non potest, sive culpabiliter, sive inculpabiliter quis eo privetur.

Nota 2. Necessarium necessitate medii iterum duplex est, scilicet absolute necessarium, et hypothetice necessarium.

Absolute necessarium necessitate medii ad salutem, est illud sine quo reipsa habito, salus obtineri non potest, quantumvis quis illo careat sine sua culpa; ejusmodi sunt omnia media salutis interna, v. g. Fides, Spes, Charitas, Gratia habitualis.

Hypothetice necessarium necessitate medii ad salutem, est illud sine quo, in se, vel in æquivalenti habito, salus obtineri non potest, quantumlibet quis illo careat sine sua culpa. Ejusmodi est Baptismus, cujus æquivalens est Baptismus flaminis et sanguinis, cum vicem Baptismi fluminis supplere valeant.

Nota 3. Multi Hæretici necessitatem Baptismi impugnarunt; namque:

[1] Sess. 7, can. 9.

1° Pelagiani, Wicleffus, Zuinglius, Bucerus rejecerunt Baptismum tanquam inutilem ad remissionem peccati originalis.

2° Calvinus docuit Baptismum infantibus fidelium non esse necessarium, eo quod in utero materno in filios Dei adoptentur.

Nota 4. Aliqui ex nostris male et erronee de Baptismo censuere; namque:

1° Cajetanus docuit parvulos ex fidelibus natos, quibus per Baptismum subveniri non potuit, ex lege Dei ordinaria salvari posse, suorum parentum votis et precibus; quæ sententia jussu Pii V expuncta est in secunda Editione Romana.

2° Gerson, Gabriel, Durandus, existimant quidem parvulos etiam fidelium sine Baptismo per preces et vota parentum non salvari, lege Dei ordinaria, bene autem lege extraordinaria. Contra hos omnes

CONCLUSIO I.

Extra casum Martyrii, Baptismus in re, vel in voto omnibus est necessarius necessitate medii ad salutem. Est de fide ex Trid. infra citato.

Prob. Illud sine quo salus non potest obtineri, est necessarium necessitate medii ad salutem; atqui extra Martyrium sine Baptismo in re, vel in voto salus obtineri non potest; ergo.

Prob. min. Ex Oraculo Christi[1]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* quod oraculum est generale omnes obstringens, ut constat tum ex Patribus dicentibus una voce cum S. Ambr.[2]: *Nullum excipit infantem, non aliqua necessitate præventum;* tum ex perpetua Ecclesiæ traditione et praxi nunquam interrupta, ad quam attendens Concil. Trident. hanc defi-

[1] Joan. 3. — [2] L. 2, *de Abraham*, c. 11.

nitionem edidit [1] : *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Dixi: *In re, vel in voto ;* pro adultis, quippe cum infantes non sint capaces Baptismi in voto, nempe actus charitatis perfectæ, ipsis necessarius est Baptismus in re.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Illud quod potest suppleri, non est necessarium necessitate medii; atqui, ex dicendis, Baptismus potest suppleri per Martyrium et perfectam contritionem. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Quod potest suppleri, non est necessarium necessitate medii absoluta, *conc. maj.;* hypothetica, *nego maj.;* et concessa minore, *distinguo* pariter consequens et *nego* consequentiam. Responsio patet ex Nota 2.

SUBS. Atqui nullo modo Baptismus est necessarius necessitate medii ; ergo.

Prob. subsumpt. Si Baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem, maxime quia Christus dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*,etc.; atqui ex his verbis non potest inferri Baptismum esse necessarium necessitate medii : ergo.

Prob. min. Ex istis verbis Christi [2] : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis :* non potest inferri Eucharistiam esse necessariam necessitate medii ad salutem ; ergo ex istis verbis : *Nisi quis renatus fuerit*, etc.

RESP. *Nego conseq.* Ecclesia enim, a quo sola germanum sensum Scripturæ habemus, semper docuit hæc verba : *Nisi quis*, etc., sonare necessitatem medii ; ista vero : *Nisi manducaveritis*, sonare tantum necessitatem præcepti.

Ratio est, quia prior textus : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. agit de regeneratione spirituali, qua Christi membra fimus, quæ est necessaria necessitate medii ad salutem ; alter vero textus agit de nutritione spiritualis vitæ jam per Baptismum acceptæ, quæ cum per varia media nutriri, conser-

[1] Sess. 7, can. 5. — [2] Joan., cap. 6.

vari et augeri possit, Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate præcepti, unde spectat solos adultos præcepti capaces et virium reparatione indigentes; præterea Christum [1] adultos Capharnaitas alloqui patet: 1° ex ipso contextu; 2° ex eo quod in secunda persona eos alloquitur, dum e contra quando præceptum facit de Baptismo indefinite ac in tertia persona prolata: *Nisi quis*, etc., loquitur.

Objicies 2 cum Calvino: Filii fidelium sancti sunt ex Apostol. dicente [2]: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo non indigent Baptismo.

Resp. *Dist ant. et textum.* Filii fidelium sancti sunt, dispositive, *conc.*; formaliter et proprie, *nego ant.* Eodem quippe modo illos Apostolus appellat *sanctos*, quo dicit conjugem infidelem sanctificari per fidelem; atqui conjux fidelis conjugem infidelem sanctificat, Baptismum monitis et exemplis suadendo: ergo filii fidelium dicuntur sancti, quia destinantur ad sanctitatem per Baptismum suscipiendam. Præterea, si locus ille de sanctitate formali et interna intelligeretur, omnes filii fidelium, secundum Calvini principia, essent prædestinati, cum in illorum systemate, justitia sit inamissibilis.

CONCLUSIO II.

Baptismus adultis est necessarius necessitate præcepti.

Prob. Christus [3] præcipit Apostolis, ut omnes baptizent: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes*, etc.; atqui præcepto baptizandi correlativum est præceptum recipiendi Baptismum. Ergo, etc.

Præterea ex dictis: Necessitas medii semper includit necessitatem præcepti erga eos qui sunt præcepti capaces;

[1] Joan., cap. 6. — [2] 1 Cor. 7, v. 19. — [3] Matth. 28, v. 19.

quilibet enim ex charitate sibi debita tenetur adhibere omnia media necessaria ad salutem. Ergo.

RESOLVES : Quemlibet teneri Baptismum suscipere quamprimum commode potest ; parentesque illum debere parvulis suis procurare quantocius, quia saluti suæ et suorum providere, est urgens necessitas.

QUÆRES 1. *An Baptismus flaminis suppleat vices Baptismi aquæ?*

RESP. Baptismus flaminis, seu contritio perfecta cum voto *explicito* vel *implicito* Sacramenti, supplet vices Baptismi aquæ.

PROB. 1. *Ex Scriptura,* quæ justificationem promittit contritioni perfectæ, seu actui charitatis, Prov. 8 : *Ego diligentes me diligo.* Ergo.

PROB. 2. *Ex perpetua et constanti Ecclesiæ doctrina,* qua innixi Patres Tridentini docuerunt [1] *post Evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a statu veteris Adæ ad statum gratiæ, sine lavacro regenerationis aut ejus voto;* ergo homo potest justificari per Baptismum in voto, hoc est, secundum sensum Ecclesiæ, per actum charitatis seu contritionis perfectæ, ut exponit Trident. alibi [2].

Hinc jure merito damnata fuit a Pio V et Greg. XIII hæc prop. Baii [3] : *Catechumenus juste, recte et sancte vivit, mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam peccatorum remissionem, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

Dixi : *cum voto explicito Sacramenti* : id innuit Trid., cum exigit votum Sacramenti ; si enim duntaxat votum implicitum intellexisset, inutile fuisset illud distincte appellare, cum semper includatur in contritione perfecta ; ergo cum illud distincte appellet, de voto explicito haud dubie loquitur. Votum tamen implicitum sufficeret in eo qui legem Baptismi invincibiliter ignoraret.

[1] Sess. 6, cap. 4. — [2] Sess. 14, cap. 4.

[3] Prop. 13 Baii damnata, anno 1566.

QUÆRES 2. *Quomodo Baptisma flaminis suppleat vices Baptismi aquæ?*

RESP. Supplet ex opere operantis, *quia,* inquit Estius[1], *nihil hic occurrit quod non sit ex parte ipsius operantis.*

Hinc, licet Baptismus flaminis conferat gratiam sanctificantem, cæteraque dona ipsam concomitantia, non tamen totam pœnam temporalem remittit, nisi forte tam intensa foret charitas, ut omnis pœnæ relaxationem mereretur.

Item characterem non imprimit, nec gratiam sacramentalem confert, quia hæc propria sunt Sacramento realiter suscepto.

OBJICIES CONTRA PRIMAM RESPONSIONEM. 1. Ananias Paulo perfecte contrito dixit[2]: *Baptizare, et ablue peccata tua;* ergo perfecta contritio non dimittit peccata, antequam Baptismus actu recipiatur.

RESP. *Nego conseq.* Ideo enim Ananias dixit Paulo *baptizare,* etc., quia Paulus per votum Baptismi non fuit justificatus, nisi sub obligatione Baptismi postea suscipiendi suo tempore et sine mora.

OBJICIES 2. D. Aug. ait[3]: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.* Ergo perfecta contritio non dimittit peccata, antequam Baptismus suscipiatur.

RESP. *Dist. textum.* Quantumcumque proficiat in virtute morali, *conc.;* in charitate, *neg.;* hoc clare exponit D. Aug. dicens ibidem: *Ille Catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod et iste, quo jam melior sum?* Loquitur ergo de Catechumeno qui ex contemptu baptizari recusabat, qui consequenter carebat actu charitatis perfectæ.

INST. D. Aug. loquitur de Catechumeno proficiente in charitate, dicit enim[4]: *Sanctificatio Catechumeni, si non*

1 In 4, dist. 4, § 17. — 2 Act. 22, v. 16. — 3 Tr. 13 *in Joan.*
4 L. *de Peccat., merito et remissione.*

fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem. Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Ad textum dico S. August. non loqui de sanctificatione interna, quæ fit per charitatem, sed de sanctificatione improprie dicta, quæ fit per signum Crucis; dicit enim [1] multiplicem esse sanctificationem, quæ non semper cum vera justitia et remissione peccatorum conjuncta sit; nam et Catechumeni, priusquam baptizentur, *secundum quemdam modum suum sanctificantur per signum Crucis et orationem manus impositionis.*

Testimonia quæ opponuntur nobis ex Gregorio Nazianzeno, oratione 40 *in S. Baptisma*; Gennadio, lib. *de Dogmatibus Ecclesiasticis apud Sanctum Augustinum*; Sancto Fulgentio, epist. 12 *ad Fernandum Diaconum,* non debent admitti, quia in ea fuerunt sententia vices Baptismi non posse suppleri per votum ipsius Baptismi.

QUÆRES. 3. *An Martyrium suppleat vices Baptismi?*

RESP. Martyrium tam in infantibus, quam in adultis supplet vices Baptismi aquæ quoad omnem effectum, exceptis tamen charactere et gratia sacramentali.

PROB. Auctoritate D. Aug. in Scriptura fundata, qui, nulla facta distinctione adultorum et infantium, dicit [2]: *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit:* Si quis non renatus fuerit ex aqua, etc., *alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit:* Qui me confessus fuerit, etc., *et alio loco:* Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam [3].

RESOLVES: Per martyrium, peccatum deleri tum quoad culpam, tum quoad utramque pœnam æternam et temporalem, ut constat ex perpetua traditione et praxi Ecclesiæ, quæ nunquam oravit pro martyre, juxta illud Innoc. III [4]:

[1] L. 3, *de Bapt.*, cap. 12. — [2] Lib. 13, *de Civ. Dei*, cap. 7. — [3] Matth. 10, v. 39. — [4] Cap. *Cum Martha*, de celebr. Missar.

Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Sed suos ei triumphos gratulatur, ejusque apud Deum opem implorat.

DICES 1. Christus dicendo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc., nullum aliud medium salutis excipit. Ergo.

RESP. *Nego ant.* Excipit enim martyrium, ut constat ex his aliis verbis Christi : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

DICES 2. Infantes non sunt capaces martyrii, nam martyrium est actus fortitudinis. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Martyrium sumptum formaliter est actus fortitudinis, *conc.*; materialiter sumptum, *nego maj.* et, concessa min., *dist. conseq.* Ergo infantes non sunt capaces martyrii formaliter sumpti, *conc.*; materialiter, *nego.*

Itaque martyrium materialiter est mors pro Christo perpessa. Martyrium formaliter est voluntaria acceptio mortis, cujus non sunt capaces infantes, et quo solo sensu martyrium est actus fortitudinis.

QUÆRES 4. *Quomodo Martyrium suppleat vices Baptismi aquæ ?*

RESP. Supplet ex opere operato, ratione pœnæ.

PROB. Tum quia ex Patribus, martyrium eo ipso modo operatur quo Baptismus, cujus vices supplet ; *huic operi*, ait Tertull. loquens de Martyrio, *omnia delicta donantur*. Tum quia martyrium infantibus prodest ex opere operato ; ergo et adultis : nulla enim est disparitas ; unde D. Th. [1] de martyrio generatim ait : *Non habet liberationem a culpa et pæna tantum ex opere operante, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, et consequenter ex seipso.*

QUÆRES 5. *Quid requiratur ut martyrium sit verum, suppleatque vices Baptismi ?*

RESP. 1. Ad martyrium parvulorum et adultorum a nativitate amentium, nihil aliud requiritur quam ut illi mors inferatur in odium fidei et religionis.

[1] In 4, dist. 4, art. 3, ad 1.

Resp. 2. Ad martyrium adultorum quatuor requiruntur: *Primum*, mortis realis, aut vulneris lethalis perpessio in odium fidei, juxta illud [1] : *Qui perdiderit animam propter me et Evangelium, salvam faciet eam;* aut in odium alicujus virtutis christianæ, v. gr. castitatis, juxta illud [2] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

Secundum, mors perpessa absque ulla se defendendi voluntate; quia martyrium debet esse voluntarium, mortis Christi, tanquam ovis ad occisionem ducti, assimilativum; hinc milites, in bello religionis occisi, non sunt veri martyres.

Tertium, acceptatio mortis saltem habitualis et interpretativa; quia mors, ut sit meritoria, debet esse aliquo modo voluntaria in his qui voluntarii sunt capaces.

Dixi: *interpretativa;* actualis enim aut virtualis non requiritur; unde qui de martyrio non cogitans occideretur, quia, propter minas sibi intentatas, ab alicujus virtutis exercitio desistere noluit, verus esset martyr.

Quartum, dolor supernaturalis de peccatis, quia, teste Trid. [3], *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuit necessarius;* et probabilius requiritur contritio perfecta; nec sufficit vera attritio, unde Apostolus dicit [4] : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Neque martyrium subire, importat semper charitatem perfectam habere; nam posset quis velle potius mori, quam peccatum novum committere propter metum inferni [5]. Cæterum, omnes advertunt necessarium esse ut peccator ante martyrium conetur ad contritionem vel confessionem, ne periculo damnationis exponatur.

Marc. 8, v. 35. — [2] Matth. 5, v. 8. — [3] Sess. 14, c. 4. — [4] 1 Cor. 13, v. 1. — [5] Ita S. Lig., l. 7, n. 98,

CAPUT IV.

DE MINISTRO BAPTISMI [1].

Nota. Minister Baptismi triplex est, scilicet:

Ordinarius, qui Baptismum ex officio administrat;

Extraordinarius, qui administrat Sacramentum ex delegatione ministri ordinarii;

Minister necessitatis, qui Baptismum confert constituto in periculo vitæ.

QUÆRITUR: Quinam sit minister Baptismi ordinarius, extraordinarius, et necessitatis?

CONCLUSIO.

Minister Baptismi ordinarius est Episcopus et Presbyter; extraordinarius est Diaconus; necessitatis est homo quilibet, sive vir, sive mulier, sive baptizatus, sive non.

PROB. PRIMA PARS. Illi soli sunt ministri ordinarii Baptismi, quibus Christus commisit officium baptizandi; atqui solis Apostolis et Presbyteris Christus baptizandi officium commisit. Ergo, etc.

Prob. min. Ex Matth. 28: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc., quod mandatum Apostolis eorumque successoribus Episcopis, ad discipulos eorumque successores Presbytores extendi, Ecclesiæ universa praxis ac traditio demonstrat; ergo, etc.

Hinc Conc. Flor. de Baptismo ait: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

DICES: Solus Episcopus est minister ordinarius Baptismi; ergo.

Prob. ant. Ex D. Hieron. [2] dicente: *Inde venit, ut sine Episcopo, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi*; ergo, etc.

[1] * Vid. S. Liguorium lib. 6, n. 113 et seqq. — [2] Dialogo *adversus Luciferianos.*

Resp. *Dist. textum*. Sine jussione Episcopi, Presbyter non habet jus baptizandi independens ab Episcopo, *conc.*; dependens, *nego*.

Itaque munus baptizandi primario competit Episcopis, utpote Ecclesiæ principibus, secundario autem Presbyteris, adjutoribus Episcoporum; unde Presbyteri non habent jus baptizandi, nisi ut exercendum cum dependentia ab Episcopo; unde D. Hieronymus negat Presbyteris jus independens baptizandi.

Prob. secunda pars. Ex capite *Constat*, distinctione quarta de Consec.: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium nec ipsi Diacono explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero* (id est absque licentia Episcopi vel Presbyteri, ait Glossa in hoc caput), *nisi, his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.*

Ex hoc capite constat Diaconos non posse solemniter baptizare, nisi cum licentia Episcopi vel Presbyteri, vel in extrema necessitate sine tali licentia; et cum hac restrictione intelligendus est Episcopus dicens in ordinatione Diaconi: *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare.*

Prob. tertia pars: nempe ministrum necessitatis esse quemlibet hominem, qui sine solemnitate potest baptizare.

Prob. Inquam ex Conc. Flor., in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *In casu necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imo etiam Paganus et Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia.*

Ratio est voluntas Christi ex praxi et traditione nobis manifesta, qui, cum velit omnes salvos fieri, voluit ut medium ad salutem omnibus necessarium ab omnibus conferri posset, ne quis eo privaretur.

In necessitate autem conferendi Baptisma, hic ordo est servandus, ut præferatur dignior minus digno, scilicet Diaconus Subdiacono, Subdiaconus aliis Clericis, Clericus

Laico, vir feminæ, fidelis infideli, nisi circumstantia aliqua exigat ut, propter gravem indecentiam, præferatur mulier viro, etc.

Hunc ordinem statuunt Rituale Rom. et S. Carolus, in *Instruct. Baptismi*, ubi, postquam jussit ut Parochus de illo ordine moneat suos Parochianos, addit: *Et quoniam si a muliere vel Laico secus fiat, grave peccatum admittitur; id etiam monebit.*

QUÆRES 1. *An aliquis possit se ipsum baptizare?*

RESP. *negat.* Est enim contra institutionem Christi, qui aperte distinguit ministrum a subjecto Baptismi, *baptizantes eos:* unde Innoc. III [1] definivit quemdam Judæum, qui se in mortis periculo baptizaverat, iterum esse ba tizandum; *quia,* inquit, *inter baptizantem et baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis:* Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, etc.

QUÆRES 2. *Utrum unus possit plures simul baptizare?*

RESP. *affirmative.* Quia tunc non mutatur forma quoad sensum: qui enim dicit: *Ego vos baptizo,* dicit virtualiter: *Ego te et te baptizo,* etc.

QUÆRES. 3. *An plures ministri possint eumdem simul baptizare valide?*

RESP. Si plures simul eumdem baptizarent ut *causæ partiales,* ita ut unus aquam infunderet, alter formam proferret, invalidum esset Sacramentum; quia forma esset mendax.

Si vero plures simul eumdem baptizarent ut *causæ totales,* ita ut uterque aquam funderet et formam proferret, validum esset Sacramentum, ut constat ex ordinatione Sacerdotum ubi plures eamdem consecrant Hostiam; si tamen unus formam prius absolveret quam alter, ille solus baptizaret.

Dixi: *valide;* quia illicita esset talis administratio Baptismi, ut pote contra praxim Ecclesiæ.

[1] Cap. *Debitum,* de Bapt. et ejus effectibus.

CAPUT V.

DE SUBJECTO BAPTISMI [1].

Nota. Certum est apud omnes, tum Catholicos, tum Hæreticos, omnem hominem ratione utentem esse Baptismi subjectum, juxta Domini mandatum: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* [2].

Restat ergo quærendum: 1° Utrum possint baptizari infantes, ac perpetuo amentes; 2° Utrum liceat filios infidelium baptizare, invitis parentibus; certum est enim eos valide baptizari posse.

QUÆSTIO I.

UTRUM POSSINT BAPTIZARI INFANTES?

CONCLUSIO.

Infantes et perpetuo amentes præstat baptizari, licet actu proprio credere non valeant.

Est de fide contra Anabaptistas [3] asserentes nullum et irritum esse Baptisma datum infantibus quos profligavit Trid. his verbis: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare remittere eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit* [4].

PROB. 1. *Ex Scripturis*, quæ, licet id expressum non habeant, satis tamen aperte insinuant: 1° ex verbis Christi

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 121 et seqq. — [2] Matth. 28, vers. 19.

[3] Secta ista orta est ann. 1552, auctore Nicolao Storchio.—Consequenter quidem, nam si, juxta Lutheranos, sacramenta non sunt nisi instrumenta vel occasiones, quibus excitatur fides per quam justificamur, infantesque fidei actualis sunt incapaces, inutiliter et invalide sacramenta reciperent.

[4] Trid. sess. 7, can. 13.

supra relatis [1], ubi dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cælorum;* quæ, cum generalia sint verba, etiam infantes complectuntur; sicut enim per *unius delictum*, regnum cœlorum amiserunt per carnalem generationem, sic etiam per *unius justitiam* redire debent in idem regnum: quod fieri non potest pro infantibus, nisi mediante baptismo. Præterea, nisi prædicta verba Christi ad infantes etiam referantur, dimidia fere humani generis pars extorris esset a beneficio redemptoris Christi. Aliunde, sic Apostolos Christi præceptum intellexisse insinuatur ab ipsa sacra historia, ubi perhibentur Apostoli baptizasse integras domos, cujusmodi fuerunt Lydiæ purpurariæ [2], Stephanæ [3], et satellitis carcerem custodientis [4], in quibus verisimiliter aderant infantes.

Prob. 2. *Ex traditione.* Quod nonnisi implicite Scripturæ docent, certo deducitur ex constanti ac perpetua Ecclesiæ, quæ semper parvulos baptizavit, praxi et traditione, quam traditionem ab Apostolis ortam docet Origenes, dicens [5]: *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum.* Et D. Aug. [6]: *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio.*

Prob. 3. *Ex variis Conciliis,* in quibus hæc veritas fuit definita.

Milevitano II [7], in quo hic Canon fuit conditus: *Quicumque parvulos recentes ab utero matrum, baptizandos negat, anathema sit.* Huic Concilio adfuit D. Aug.

Viennensi generali [8], in quo definitur: *Credimus esse tam parvulis, quam adultis communiter perfectum remedium ad salutem.*

[1] Joann. 3, 5. — [2] Act. 16, 15. — [3] 1 Cor. 1, 16. — [4] Act. 16, 33. — [5] T. 2, p. 33. — [6] L. 1, *de Gen. ad litt.*, c. 23. — [7] Ann. 416, can. 2. — [8] Clement. unica *de summa Trinit.*

Innocent III[1] ait: *Indistincte lex intonat Evangelica*: Nisi quis renatus fuerit, etc., *in hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens.*

Objicies 1. Nemo baptizari potest nisi prius instruatur, juxta illud[2]: *Euntes, docete omnes gentes*, etc.; atqui infantes non sunt capaces instructionis. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nemo adultus potest baptizari nisi prius instruatur, *conc.*; nemo infans, *nego maj.* Responsio constat ex ipsa Apostolorum missione ad conversionem adultorum, ad quos solos spectat illud Christi mandatum quantum ad doctrinam; quantum vero ad necessitatem Baptismi, spectat omnes tam adultos quam infantes, ut constat ex traditione.

Inst. Nemo potest baptizari nisi prius credat, juxta illud: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*[3]; atqui infantes non sunt capaces fidei. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Infantes enim baptizantur in sola fide Ecclesiæ et Sponsorum; nec mirum est quod aliena fides eis sufficiat, cum D. Aug.[4] dicat: *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? Respondetur, credit; pro non loquente, pro flente respondetur, et valet.*

Itaque textus loquitur de adultis quos ad fidem et pœnitentiam hortabantur Apostoli, ut cum fructu Baptismum perciperent.

Objicies 2. Christus anno ætatis trigesimo baptizatus est; ergo illo tantum ætatis anno suscipi debet Baptismus.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Baptismus Christi non fuerit in remedium peccati; at Baptismus a Christo institutus est peccati remedium, quod non potest citius recipi.

Objicies 3. Æquitati repugnat, ut insciis et ratione destitutis infantibus jugum christianitatis per Baptismum imponatur; ergo, etc.

[1] Cap. *Majores*, de Bap. — [2] Matth. ult., v. 19. — [3] Marci ult., v. 16.
[4] Serm. 14, *de Verbis Apost.*

RESP. *Nego ant.* Nam infantes, ut adoleverint ac audierint Evangelium, jure divino, et sub pœna æternæ damnationis, tenentur Baptismum recipere, et sic jugo christianitatis sese subjicere.

QUÆRES 1. *An baptizandi sint infantes in utero materno inclusi?*

RESP. *Prima sententia* negat, quia ex D. Aug. et Isid. [1]: *Qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci;* atqui, etc. Hinc juxta illos requiritur ut aliqua pars infantis appareat, ut, imminente mortis periculo, infans baptizetur. Sed notandum est, *S. Carolo* aliisque dubium Baptismum videri, cum puer vel manu, vel pede, vel aliqua corporis parte, distincta a capite, in quo omnes sensus fundantur, est baptizatus, ideoque sub conditione baptizandus est, cum omnino egressus fuerit, si vixerit.

Secunda vero sententia satis probabilis affirmat, quia talis infans, cum jam existat homo et viator, bene potest Baptismum suscipere; vere enim aliquis potest dici natus, non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, ex illo [2]: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* [3].

QUÆRES 2. *An partus monstruosi sint baptizandi?*

RESP. *cum distinctione:* Si formam hominis retineant, quod quidem ex capite potissimum debet æstimari, debent baptizari, licet alia membra ferina appareant.

Si caput et pectus sint ferina, plane a Baptismo abstinendum.

Si in gemellis sibi invicem adunatis duo sint distincta capita et pectora, quilibet proprio ac distincto Baptismo debet baptizari, et quidem absolute, quia sunt duo homines; quod ita verum est, ut anno 1724, in pago domini Remigii prope Neocastrum, viderim gemellos, quorum unum caput dormiebat, alterum vigilans flebat.

[1] L. 2, *de Pecc., merit. et remiss.*, c. 17; Isid. l. 1, *Sent.*, c. 22.
[2] Matth. 1, 20. — [3] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 107.

Si vero, post diligens examen, incertum sit an monstrum verus sit homo, vel non, baptizari debet sub conditione: *Ne*, inquit Sylvius [1], *per nostram dubitationem pereant animæ quæ forte sunt humanæ* [2].

ARTICULUS II.

UTRUM LICEAT FILIOS INFIDELIUM BAPTIZARE, INVITIS PARENTIBUS?

Nota. Infideles alii sunt baptizati, ut Hæretici et Apostatæ; alii non baptizati, ut Turcæ.

Certum est 1° Filios Hæreticorum et Apostatarum licite posse, invitis parentibus, baptizari; quia cum sint Ecclesiæ subditi, ipsa eos cogere potest, ut parvulos suos ad Baptismum præsentent; ergo eis possunt subtrahi, ut baptizentur, et rebus fidei, cum adoleverint, instruantur.

Certum est 2° Filium mancipiorum Infidelium non baptizatorum posse ac debere, invitis parentibus, baptizari; quia mancipia propter servitutem omni jure in filios suos privantur, cum et ipsimet cum tota familia divendi possint; unde possunt a parentibus eripi, baptizari et in fide erudiri, atque ad id saltem ex charitate tenentur eorum domini.

Certum est 3° Filios infidelium, qui principibus infidelibus subjecti sunt, non licere baptizare, invitis parentibus; quia vel infans subtraheretur parentibus, vel illis relinqueretur: si *primum*, parentibus fieret injuria, nam *de jure naturæ est*, inquit S. Thomas [3], *quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris* [4]; si *secundum*, Baptismus manifesto periculo profanationis, et baptizatus apostasiæ exponeretur, cum constet eum in infidelitate educandum.

Quæstio igitur unice devolvitur ad filios infidelium non baptizatorum, qui civiliter tantum principibus christianis

[1] S. Th. in 3. p., q. 68, a. 11.— [2] Videantur Rit. Rom., tit. *de Bapt.*, et S. Carolus in *Instructione*.— [3] 2, q. 10, art. 12. – [4] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 120 et seqq.

subditi sunt: an possint illi invitis parentibus licite baptizari; aliqui affirmant; alii negant, cum quibus

CONCLUSIO.

Filii infidelium non baptizatorum, civiliter tantum principibus christianis subditorum, non possunt licite, invitis parentibus, baptizari, nisi in aliquibus casibus.

PROB. Quia illud licite fieri non potest, quo violatur vel jus naturale quod parentes habent in filios, si ab eis abstraherentur; vel reverentia Sacramento debita, si parvuli relinquerentur sub potestate parentum; atqui, etc. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona.

Hinc Conc. Tolet. IV ait: *Præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre, non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ*[1].

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Jus naturale juri divino cedere debet; atqui præceptum Baptismi est juris divini. Ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Utriusque enim juris Deus est auctor, qui neutrum vult observari cum præjudicio alterius.

OBJICIES 2. Princeps potest abstrahere infantes a parentibus, ne ipsis inferant mortem corporis; ergo a fortiori potest eos subtrahere a parentibus, ne ipsis mortem inferant animæ, per denegationem Baptismi.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod parentes infideles mortem pueris inferendo, peccarent in jus civile, et rempublicam ipsam, cujus pax et tranquillitas turbarentur per destructionem membrorum ipsius; porro, officii est Principis reipublicæ tranquillitati et civium conservationi consulere; non autem ipsius est procurare salutem æternam suorum civium baptizatorum, cum potestas sæcularis non se extendat ad supernaturalia.

[1] Conc. Tolet. habitum ann. 633, cap. 63.

INST. Princeps Dei minister est; ergo ipsius est procurare salutem æternam suorum subditorum.

RESP. *Dist. ant.* Est Dei minister in ordine ad bonum reipublicæ, *conc.;* in ordine ad bonum supernaturale suorum subditorum, *nego ant. et consequentiam.*

DIXI in prop.: *Nisi in aliquibus casibus;* qui sunt:

1° Si infantes essent in evidenti periculo mortis; quia tunc nec auferuntur parentibus, nec Baptismus profanationi exponitur, et aliunde urget præceptum charitatis; debent tamen ita caute baptizari, ut vitetur perturbatio.

2° Si alteruter parens, sive pater, sive mater consentiat, potest infans, altero renitente, baptizari; ita definitum est in *Concilio Toletano IV,* cap. 63, quia præferenda est voluntas justa unius parentis in favorem prolis, voluntati injustæ alterius in ejusdem prolis præjudicium.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI ET DISPOSITIONIBUS NECESSARIIS AD EOS PERCIPIENDOS.

QUÆRES 1. *Quinam et quot sint effectus Baptismi?*

RESP. Sublato obice, sunt tres:

Primus, est gratia sanctificans quæ hominem interius regenerat, ac delicta quæcumque, tum originale, tum actuale totaliter remittit, et quoad culpam, et quoad omnem pœnam.

PROB. 1. *Ex Script.* [1] *: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;* atqui renovatio et regeneratio important infusionem gratiæ sanctificantis, remissionemque omnium delictorum, tum quoad culpam, tum quoad utramque pœnam, cum [2] *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* regenerati. Ergo, etc.

[1] Ad Tit. 3. — [2] Rom. 8, v. 1.

PROB. 2. *Ex Conc. Flor.*, in decreto: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa debetur; propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.* Idem definivit Trid., dicens [1] baptizatos *ita esse innocentes, immaculatos, ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.*

DICES: Remanet in renatis concupiscentia, quæ ab Apostolo [2] appellatur peccatum; ergo, etc.

RESP. cum sancto Augustino [3]: Concupiscentia est peccatum proprie et formaliter, *nego;* improprie tantum, *quia* nempe *est a peccato et ad peccatum inclinat, conc.;* ita definivit Conc. Trid., anathema contorquens in eum *qui contrarium sentit* [4].

INST. 1. Quod lege Dei prohibetur, est vere peccatum; atqui concupiscentia lege Dei prohibetur [5]: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Concupiscentia, sumpta pro vitio voluntatis pravis concupiscentiæ motibus consentientis et cedentis, quomodo in textu Apostoli sumitur, *conc.;* sumpta pro vi concupiscendi, seu pro animi appetitione natura sua rationi repugnante, *nego min.* Hic enim motus, si voluntatis consensum, aut negligentiam conjunctam non habeat, nulla ratione est peccatum proprie dictum.

INST. 2. Omnia sunt a Deo, præter peccatum proprie dictum; atqui concupiscentia non est a Deo, 2 Joann. 11: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est... quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Omnia sunt a Deo præter peccatum, et quod per se ad peccatum inclinat, et peccati fœtus est, *conc.;* præter peccatum solum, *nego.* Cum ergo concupis-

[1] Sess. 5, can. 25. — [2] Rom. 7, v. 20. — [3] L. 1, *de Nupt. et Concupisc.*, cap. 23. — [4] Trid. sess. 5, in Decr. *de Peccato originali.* — [5] Rom. 7.

centia, et fœtus sit peccati, et per se, rebellando nempe adversus rationem, ad peccatum inclinet, non est a Deo, imo mala est, ut docet D. August., l. 4 *contra Julian.*, c. 14.

Secundus effectus est gratia Sacramentalis, quæ definitur: *gratia habitualis, regenerativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias ad conservandam vitam spiritualem per Baptismum acceptam, et ad alia Sacramenta digne suscipienda.*

Tertius effectus est character, ut fuse probavimus, dissertatione prima *de Sacramentis in genere.*

QUÆRES 1. *Quænam sint dispositiones necessariæ ad percipiendos effectus Baptismi?*

RESP. 1. Ad recipiendum characterem nulla alia requiritur dispositio, quam voluntas Baptismi recipiendi; quia hoc sufficit, ut Sacramentum sit validum; atqui non potest esse validum, quin conferat characterem. Ergo, etc.

RESP. 2. Ad recipiendam gratiam sanctificantem et peccati remissivam, cæteraque dona ipsam concomitantia, sex conditiones in adulto requiruntur ex Tridentino [1]:

1° *Fides*, qua credant generatim *vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt*, juxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit* [2].

2° *Timor*, ex consideratione peccatorum, juxta illud [3]: *Timor Domini expellit peccatum.*

3° *Spes* justificationis et vitæ æternæ consequendæ, juxta illud [4]: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

4° *Amor*, quo Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.*

5° *Odium* et detestatio peccatorum; *hoc est per pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet;* juxta illud [5]: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, in remissionem peccatorum vestrorum.*

[1] Sess. 6, cap. 6, *de Just. impii.* — [2] Hebr. 11, v. 6. — [3] Eccl. 7, v. 27.
[4] Marci 2, et Matth. 9, v. 2. — [5] Act. 2, v. 38.

6° *Propositum* suscipiendi Baptismum, inchoandi novam vitam, et servandi divina mandata. Ita Trident.

CAPUT VII [1].

DE CÆREMONIIS BAPTISMI ET PATRINIS.

Nota 1. Cæremoniæ Baptismi vel antecedunt, vel concomitantur, vel subsequuntur Baptismum. Eas enucleatim enumerandas non suscipimus, cum reperiantur in omnibus Libris Ritualibus, ad quos remittimus omnes, qui ex Officio et solemniter Baptismum administrare tenentur, cum, extra casum necessitatis, non possint sine peccato mortali ex genere suo, prætermitti, ut probatum est in *Tractatu de Sacramentis in genere.*

Nota 2. Ex perpetua Ecclesiæ praxi et Apostolica traditione, in solemni Baptismi administratione adhiberi debent susceptores; et Conc. Trid. [2], ut tollatur nimia multitudo impedimentorum matrimonii, *statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum* [3] *instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant;* in quo servandus est usus Ecclesiæ, in qua quisque minister degit. His notatis, duo tantum manent solvenda, Itaque :

Quæres 1. *An cæremoniæ, quæ, cogente necessitate, fuerunt omissæ, sint postea supplendæ?*

Resp. *affirm.* Est enim praxis universæ Ecclesiæ, quæ præcipit in suis Ritualibus, ut cæremoniæ omissæ suppleantur, ne baptizati earum fructu careant.

Dices : Exorcismi post Baptismum sunt prorsus inutiles; ergo non debent suppleri. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Exorcismi sunt ad fugandum Dæmonem; atqui virtute Baptismi jam expulsus fuit Dæmon : ergo.

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 140 et seqq., et 146 et seqq. — [2] Sess. 24, cap. 1.
[3] Cap. *Non plures*, de consecr., dist. 4; cap. *Veniens*, de Cognat. Spirit.

Resp. *Dist. maj.* Exorcismi sunt ad fugandum Dæmonem, tantum, *nego ;* sunt ad fugandum Dæmonem, simul et vires Dæmonis reprimendas, et ardorem concupiscentiæ, quo posset impediri effectus Baptismi, temperandum, *conc. maj.*, et, concessa min., *dist. conseq.* Ergo sunt inutiles, ad fugandum Dæmonem, *conc.;* ad ipsius vires reprimendas, etc., *neg. conseq.* Responsio est ad mentem D. Th., qui dicit [1] : *Nec frustra* (exorcismi) *supplentur post Baptismum; quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus.*

Quæres 2. *Quodnam sit officium patrinorum?*

Resp. 1° Baptizandum Parocho præsentare; 2° pro baptizando respondere, si ipse nequeat; 3° illum tenere dum baptizatur; 4° illum de manu baptizantis suscipere; 5° illum debite in rebus fidei et doctrina christiana instruere, si parentes id præstare non possint; quæ obligatio, cum sit gravis, tum ob solemnem patrinorum sponsionem in suscipiendo hoc officio, tum ob præceptum Ecclesiæ ipsis impositum [2], ideo obligat sub mortali.

Quæres : *Quinam excluduntur ab officio patrini?*

Resp. Excluduntur : 1° amentes; 2° non baptizati ; 3° hæretici; 4° publice excommunicati, aut infames; ratio est quia tales non sunt capaces instruendi baptizatos in rebus fidei et doctrina christiana; 5° religiosi omnes et sanctimoniales : *Nunquam vero monachus, patrinus; vel monialis, matrina esse queat,* ait Conc. Rhemense [3]; pater et mater, etc. ; 6° pater et mater infantis : alias contraherent inter se cognationem spiritualem, quæ impediret usum matrimonii.

[1] 3 p., q. 7, art. 3, ad 3.

[2] Conc. Mogunt., can. 47. —Rhemense, tit. *de Baptismo*, § 3. — Arelat. VI' can. 19.

[3] Tit. *de Baptis.* § 7.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE[1]

Hunc tractatum quinque absolvemus capitibus : *primum*, erit de natura et institutione Confirmationis; *secundum*, de materia et forma Confirmationis ; *tertium*, de Ministro ; *quartum*, de subjecto et necessitate ; *quintum*, de effectibus et cæremoniis Confirmationis.

CAPUT I.

DE NATURA ET TEMPORE INSTITUTIONIS CONFIRMATIONIS.

Nota. Omissis variis nominibus quibus Sacramentum Confirmationis a sanctis Patribus designatur, dico illud communi nomine dici *Confirmationem* a primario suo effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem Christi constanter et intrepide profitendam, veluti quædam Baptismi consummatio.

Confirmatio definitur : *Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatus, per Unctionem Chrismatis in fronte per modum Crucis factam, sub præscripta verborum forma, corroboratur ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam.*

Dicitur 1° *Sacramentum a Christo institutum;* pro genere ; et mox probabitur.

Dicitur 2° *Quo baptizatus ;* quia Confirmatio ad sui validitatem præsupponit Baptismi characterem.

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 161 et seqq.

Dicitur 3° *Per unctionem Chrismatis*, etc.; quæ verba designant materiam illius Sacramenti et formam.

Dicitur 4° *Corroboratur*, etc.; pro differentia : Sacramenta enim differunt inter se per gratiam differentem, quam producunt; gratia autem Confirmationis est *roborativa*, sicut gratia Baptismi est *regenerativa*, etc.

Hic duæ moventur controversiæ : *prima*, adversus Hæreticos Lutheranos et Calvinistas contendentes Confirmationem non esse verum Sacramentum ; *secunda*, inter Catholicos disputantes de tempore quo fuit instituta Confirmatio. Ideo

CONCLUSIO.

Confirmatio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Est de fide a Trid. definitum [1], ubi sanxit : *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum ac proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

PROB. *Ex. Act. Apost.*, cap. 8, ubi dicitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant* (a Philippo Diacono) *in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*. Et ex iisdem Act., cap. 19, 5 : *His auditis, baptizati sunt Ephesii, in nomine Domini, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.*

Ex quibus textibus sic argumentor : Ad verum Sacramentum quatuor requiruntur et sufficiunt etiam secundum novatores: 1° ut sit signum externum et sensibile; 2° ut

[1] Sess. 7, *de Confirmatione.*

habeat vim gratiam conferendi; 3° ut sit a Christo præceptum; 4° ut sit constans et perpetuum in Ecclesia. *Atqui* quatuor illas conditiones habet nostra Confirmatio ex textibus :

1° Est signum externum et sensibile; oratio scilicet et impositio manuum.

2° Habet vim producendi gratiam; *et accipiebant Spiritum Sanctum.*

3° Est a Christo præcepta, ut colligitur necessario ex potestate Apostolis collata gratiæ conferendæ; solius enim Christi est instituere signum collativum gratiæ; unde S. Clem. I, Epist. 4, ait : *Omnibus festinandam est sine mora renasci, et demum consignari ab Episcopo... ut a sancto Petro accepimus, et cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.*

4° Est perpetua et constans in Ecclesia christiana, ut demonstrat Ecclesiæ usus ab Apostolis ad nos usque non interruptus, quem usum tradunt omnes Patres; unum aut alterum refero, ultra sanctum Clementem jam supra memoratum.

Tertul [1] : *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta Unctione de pristina disciplina.*

D. Dionysius [2] : *Baptizatum indutum veste alba ad Pontificem ducunt : ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat.*

D. Aug. [3] : *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

D. Hier. [4] : *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum est? In actibus Apostol. etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

OBJICIES CUM DALLÆO 1. Manus impositio, de qua Act. 8, fuit

[1] Lib. *de Bapt.*, c. 7.—[2] L. *de Eccl. Hierar.*, c. 2.—[3] L. 29, *contra litt. Petil.*, cap. 104. — [4] Dialogo *advers. Luciferianos.*

mera cæremonia, seu appendix Baptismi; ergo non fuit Sacramentum.

RESP. *Nego ant.* Alias Philippus et alii Discipuli, dum Samaritanos baptizarunt, hanc cæremoniam non omisissent: nec necesse fuisset Petrum et Joannem mitti ad meram Baptismi cæremoniam perficiendam; Confirmatio ergo est Sacramentum omnino distinctum a Baptismate: *in Baptismo* enim *regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur,* ait Catechismus Conc. Trid.

OBJICIES 2. In textibus laudatis per ly *Spiritum Sanctum,* non intelligitur gratia interior, sed dona linguarum, miraculorum, etc. Ergo non est Sacramentum.

RESP. *Nego ant.* Nam per *Spiritum Sanctum* intelligitur ille, quem promiserat Christus, dicens [1]: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* atqui ille Spiritus non consistit in illis donis, quæ diuturna non fuere: ergo, etc.

Itaque in primordiis Ecclesiæ ad dilatandam fidem per manus impositionem dabatur Spiritus Sanctus, simul cum *temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus;* nunc autem fide confirmata, per ly Spiritum Sanctum *invisibiliter et latenter intelligitur ... eorum cordibus divina charitas inspirari.* Ita D. Aug. [2].

OBJICIES 3. Ex D. Aug. [3], manuum impositio repeti potest; ergo non est nostra Confirmatio.

RESP. *Dist ant.* Manuum impositio reconciliatoria, *conc.;* confirmatoria, *nego ant.* Loquitur enim D. August. de illa manuum impositione reconciliatoria, qua olim Hæretici ad Ecclesiam redeuntes, reconciliabantur, quæ erat mera cæremonia ecclesiastica, quæ indubie iterari poterat.

QUÆRES : *Quo tempore Christus instituerit Confirmationem?*

[1] Joan. 14, v. 16. — [2] L. 3 *de Bapt.*, cap. 16. — [3] Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 15. Lib. 3 *de Baptismo*, cap. 16.

Nota. Circa hanc quæstionem, maximam esse inter auctores discordiam.

Sunt qui volunt ipsam fuisse institutam, cum Christus [1] manus imposuit infantibus [2]; sed improbabiliter, quia multi ex infantibus illis non erant baptizati.

Sunt qui volunt institutam eam fuisse in ultima Cœna, et probant auctoritate Fabiani Papæ, docentis [3] tunc Christum Apostolos *docuisse Chrisma conficere* : verum consentiunt omnes eruditi, illam epistolam, sicut et alias decretales ante Siricium [4], inter apocrypha opera esse amandanda.

Alii in die Pentecostes, cum primum Apostoli fuere confirmati; sed minus probabiliter : alias Christus Confirmationem non instituisset per se immediate.

Alii post Resurrectionem, intra illud spatium temporis quod fluxit a Resurrectione usque ad Ascensionem; hæc opinio est probabilior, sed incerta. Itaque

RESP. *Plane incertum est tempus quo Christus instituit Confirmationem.*

PROB. Illud, in eis quæ ex mera Dei voluntate pendent, incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis, neque ex Traditione, certo colligi potest; atqui tempus, quo instituta est Confirmatio, neque ex Scripturis, neque ex Traditione colligi certo potest, ut constat ex tanta varietate opinionum supra relata. Ergo, etc.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

Nota. Circa materiam et formam Confirmationis variæ sunt scholasticorum opiniones.

Prima sententia docet solam manuum impositionem, quæ præcedit chrismationem, esse materiam essentialem

[1] Matth. 19. — [2] Patres Conc. Senensis an. 1528. — [3] Epist. 2, cap. 2. — [4] Ab. ann. 398.

adæquatam Confirmationis; unctionem vero esse materiam integrantem ad majorem effectus expressionem, necessariam tamen ex præcepto Ecclesiæ. *Formam* autem esse orationem, per quam Episcopus supra confirmandos Spiritus Sancti gratiam invocat [1].

Secunda docet unctionem Chrismatis esse essentialiter et adæquatam materiam Confirmationis; impositionem vero manuum, quæ præcedit chrismationem, esse duntaxat cæremoniam ecclesiasticam [2].

Tertia tum manus impositionem, tum unctionem agnoscit, tamquam materiam essentialem adæquatam Confirmationis; verum in assignanda manus impositione sunt discordes hujus sententiæ patroni; aliqui volunt eam esse manus impositionem qua Episcopus super confirmandos invocat Spiritum Sanctum, quæque præcedit chrismationem; alii solam assignant manus impositionem qua Episcopus ungit frontem confirmandi; et hæc sententia cum secunda reincidit. His notatis,

CONCLUSIO I[3].

Materia remota essentialis Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, benedictum ab Episcopo.

PROB. 1. *Expressa declaratione Conc. Flor.* in decreto: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.*

PROB. 2. *Ex praxi et traditione Ecclesiæ non interrupta,* cujus testes sunt omnes Patres, inter quos duos vel tres refero.

S. Pacianus [4] ait *Chrismate superinfundi Spiritum Sanctum.*

[1] Ita Sembovinus, *tract. de Confirm.*; Sirmondus, *anthitrctico* 2, c. 2.—[2] Greg. de Valentia, Estius, etc.—[3] Conf. S. Lig., lib. 6, n. 162 et seqq.—[4] Serm. *de Bapt.*

S. Greg. Magn.[1] : *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma efficitur.*

S. Leo[2] dicit : *Renati per aquam et Spiritum Sanctum, accepistis Chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ.*

Ex quibus textibus manet probata propositio quoad omnes suas partes.

Dices : Admixtio aquæ cum vino in calice, non est necessaria necessitate Sacramenti; ergo nec mixtio balsami cum oleo in Confirmatione.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod vinum sine aqua sit verum vinum; e contra cum solo oleo non est verum Chrisma; quod ut fiat, requiritur necessario admixtio balsami et benedictio episcopalis.

CONCLUSIO II[3].

Materia proxima essentialis et adæquata Confirmationis, est ea impositio manus qua Episcopus ungit per modum Crucis frontem confirmandi.

Prob. Materia proxima Sacramenti est materiæ illius remotæ debita applicatio ad subjectum; atqui chrismatio, seu manus impositio qua unctio fit, est materiæ remotæ Confirmationis applicatio : ergo.

Prob. min. 1. Auctoritate Patrum et Doctorum, qui impositionem manus fieri per unctionem declarant. Ita

V. Beda[4] : *Illa unctio,* inquit, *quæ per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.*

Rabanus Maurus[5] refert ex sancto Sylvestro, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptizatos, per manuum impositionem cum ipso Chrismate consignet.*

Hugo Victorinus dicit[6] *manuum impositionem usitato*

[1] In 1, Cant. — [2] Serm. *de Nativitate Domini.* — [3] * Vid. S. Lig., lib 6, n. 164, ubi fusius et solide tuetur auctoris sententiam. — [4] In Ps. 26. — [5] L. 1 *de Instit. Cleric.*, c. 28. — [6] L. 1 *de Sacr.* p. 7, c. 2.

nomine Confirmationem vocari, qua Christianus unctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur.

Ergo concludit Bellarminus [1]: *Ipsa unctio, et signatio cum manu fiat, manus impositio rectissime dicitur; qui enim ungit, manus imponit, et idcirco utrumque significatur, etiamsi alterum tantum exprimi videatur;* ut addit c. 9.

Prob. min. Ex praxi Græcorum, apud quos cum nulla sit impositio manus confirmatoria distincta ab unctione Chrismatis, ut patet ex Concilio Constantinopol. I [2], et fatetur Goarius [3], alterutrum concludere necesse est: vel nullum apud Græcos esse Confirmationis sacramentum, vel manus impositionem ab unctione indistinctam sufficere: primum est falsissimum, semper enim Græci validum habuere, et etiamnum habent sacramentum Confirmationis, nec Latini ullam unquam circa istud caput litem cum illis habuere, quoties inita fuit cum illis unio; ergo necessario dicendum manus impositionem ab unctione indistinctam sufficere, ut asserit Simeon Thessalonicensis [4], dicens : *A Philippo baptizati tanquam qui solum Baptisma suscepissent, Petro et Joanne imponentibus manus, Spiritum Sanctum accipiebant: quod sane hoc Sacramentum est* (Confirmationis), *siquidem manus impositio unguentum præbebat, ut et in Apostolis factum est, ac per ipsos in multis aliis.*

Dixi in prop. 1: *Ungi frontem,* quia frontem ungi omnia Ritualia et Euchologia præscribunt, et licet Græci non tantum frontem, sed et oculos, nares, os, aures et pectus inungant, sola tamen unctio frontalis essentialis est.

Dixi 2 : *Per modum crucis ;* quia figura crucis ad essentiam pertinet hujus Sacramenti, alias falsa esset significatio formæ, quæ hæc est : *Signo te signo crucis,* etc. Hinc sanctus Gregor. in Sacramentario dicit : *Pontifex, tincto pollice*

[1] Lib. 2, *de Sacram. Confirm.* c. 2. — [2] Can. 7.

[3] In notis ad *Euchologium Græcor.* pag. 356, col. secunda.

[4] Lib. *de Septem Sacram.*

in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Manus impositio quæ præcedit chrismationem, est materia essentialis Confirmationis; ergo non ea qua ungitur confirmandus.

Resp. *Nego ant.* Est enim mera cæremonia ecclesiastica, qua Episcopus per invocationem Spiritus Sancti præparat confirmandos; patet tum ex praxi Græcorum, tum ex usu nonnullorum Episcoporum Latinorum, qui admittunt ad Chrismatis unctionem etiam eos, qui præsentes non adfuerant quando, initio Ritus, Episcopus extendit manus versus confirmandos, et oravit, ut invocaret Spiritum Sanctum.

Objicies 2. Apostoli confirmarunt per solam manuum impositionem, illumque ritum observavit Ecclesia sex primis sæculis; ergo chrismatio non est de essentia Confirmationis.

Resp. *Nego ant.* Nam in Scripturis unctio est manus impositio, ut docent Patres citati; quod probat Bellarminus[1], ex Marci 7, ubi *cum postulassent quidam, ut Dominus imponeret manus lunatico, ille id fecit :* nam misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus, ait sacer textus.

Inst. 1. Conc. Flor., in decreto post laudatum textum Actuum 8, sic pergit : *Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio ;* ergo unctio qua datur nunc Confirmatio, distinguitur a manus impositione qua dabatur ab Apostolis.

Resp. *Nego conseq.* Sensus enim non est, inquit Bellarm.[2], *Chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non usi fuerint Chrismate, et nos non utamur manus impositione : sed sensus est, idipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, facere nunc Episcopos, cum di-*

[1] L. 2, *de Sacram. Confirm.*, cap. 1.— [2] Ib., c. 9.

cuntur confirmare aut chrismare; distinguitur enim in his locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi... hac ergo ratione dici potest id quod nunc fit, esse loco ejus quod tunc fiebat, licet sit idem quoad substantiam.

INST. 2. Synodus Moguntina, ann. 1584, hortatur Pastores *ut diligenter populum instruant, ut hoc Sacramentum* (Confirmationis) *ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita Chrismatis unctione, cœperit conferri*. Ergo impositio manuum est actio distincta a chrismatione.

RESP. *Nego conseq.* Hæc enim Synodus nihil definivit, sed in illa instructione secuta est sententiam aliquorum qui existimabant Apostolos per dispensationem sola manuum impositione, Confirmationem administrasse.

Cæterum, cum nulla sit Ecclesiæ definitio circa materiam et formam Confirmationis, et ea quæ de ipsis docemus, non sint de fide, sed sint inter Theologos controversa, ideo rite observanda sunt omnia quæ præscribit Ecclesia in suis Ritualibus et Pontificalibus, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

CONCLUSIO III.

Forma essentialis et adæquata Confirmationis apud Latinos, ut traditur in decreto Eugenii, *hæc est*: Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritu sancti; *et quidem secundum omnes suas partes. — Apud Græcos vero hæc est:* Signaculum doni Spiritus Sancti in nomine Patris, et Filii, etc.

PROB. Forma Sacramenti sunt verba quæ profert minister dum applicat materiam; atqui verba supradicta profert minister dum frontem confirmandi inungit Chrismate: ergo ista verba sunt forma Confirmationis.

Confirmatur pro ritu Latinorum, ex omnibus Ordinibus,

Ritualibus, Sacramentariis, in quibus hæc forma præscribitur quoad sensum, licet sit aliquid discriminis quoad verba [1].

Confirmatur pro ritu Græcorum, ex Euchologio et Conc. Constantinop. I, can. 7, ubi dicitur : *Recipimus obsignandos, sive ungendos primum sancto Chrismate, et frontem et oculos... et eos signantes dicimus : signaculum doni Spiritus Sancti.*

Ex hac diversitate formæ constat Christum non determinasse formam Confirmationis in specie et quoad verba, sed tantum in genere, statuendo scilicet, ut adhiberentur verba quæ hujus Sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur. Post cujus determinationem verba formæ ita sunt necessaria, ut si mutarentur quoad sensum, nullum foret Sacramentum.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Forma Confirmationis debet esse deprecatoria, *orabant pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum ;* atqui ista verba : *signo te, confirmo te,* non sunt deprecatoria, sed indicativa. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Debent esse deprecatoria grammaticaliter et quoad pronuntiationem, *nego ;* virtualiter et quoad sensum, *conc. maj.* Verba autem formæ licet indicative pronuntientur, tacitam tamen includunt orationem, qua minister divinam opem invocat, ut effectum sacramentalem producat, *hic est* enim *qui baptizat*, ut dicitur Joan. 1.

Inst. 1. Ex his verbis Jac. 5 : *et orent super eum ungentes cum oleo,* etc., recte infertur formam Extremæ Unctionis debere pronuntiari deprecative ; ergo idem inferri debet ex istis verbis : *oraverunt pro ipsis ut acciperent,* etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas petitur ex traditione apostolica relucente in perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper ad-

[1] Ordo et Pontific. Romana. Sacramentarium Tolosanum, Turonense, etc.

hibuit formam deprecativam in Extrema Unctione, nunquam vero in Confirmatione: traditio autem apostolica est legitima sensus Scripturæ interpres, et paris cum ea auctoritatis.

INST. 2. D. Aug. asserit [1] *Nullum discipulorum dedisse Spiritum Sanctum, sed orasse ut veniret in eos quibus manus imponebant;* ergo forma debet esse oratio.

RESP. *Dist. conseq.* Debet esse oratio virtualiter inclusa in forma indicativa, *conc.;* oratio formalis et pronuntiativa *nego;* alias formæ Baptismi et Eucharistiæ deberent esse orationes formales, cum dicat idem Aug. [2] *Ministrum per deprecationem baptizare et Eucharistiam conficere.*

OBJICIES 2. Scriptura nulla mentionem facit formæ a nobis allatæ, cum memorat datam ab Apostolis Confirmationem; ergo non est vera forma.

RESP. *Nego conseq.* Ex silentio enim Scripturæ nihil hic concludi potest, quoniam multa fecit Christus et dixit, quæ non sunt scripta [3]; sed quæ omittit, non excludit, illaque nobis ex constanti Ecclesiæ praxi et traditione transmittuntur; talis est forma Confirmationis.

INST. Ante sæculum VIII, est altum apud scriptores ecclesiasticos de forma nobis assignata silentium; ergo non est forma essentialis.

RESP. *Nego conseq.* Duplex quippe est causa et ratio cur prioribus Ecclesiæ sæculis ritus et formæ Sacramentorum scripto non mandabantur: *prima,* quia propter usum quotidianum et vivam traditionem ignorari poterant;—*secunda,* ne Gentilium et Judæorum ludibrio et profanationi exponerentur, ut docet Innoc. I, Epist. prima *ad Decentium,* loquens de Confirmatione: *Verba vero dicere non possum,* inquit, *ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

OBJICIES 3. Forma Græcorum non exprimit effectus Confirmationis; ergo non est valida.

[1] L. *de Trinit.* c. 16. — [2] L. 5 *de Bapt.*, c. 20. — [3] Joan. 20, v. 60.

Resp. *Nego ant.* Exprimit enim effectus Confirmationis per hæc verba: *signaculum doni;* exprimit causam principalem per hæc verba: *Spiritus sancti;* exprimit causam ministerialem per hoc verbum: *signaculum,* quod juxta proprietatem sermonis græci virtualiter includit hæc verba: *ecce tibi datur a me:* unde forma Græcorum non differt quoad sensum substantialem a nostra.

CAPUT III.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

Duplex hic dirimenda occurrit controversia: 1° Utrum solus Episcopus sit minister ordinarius Confirmationis; 2° Utrum Presbyter hujus Sacramenti sit minister extraordinarius. *Prima* pertinet ad fidem, estque definita contra Calaritanos [1], Photium et alios Græcos Schismaticos, Wiclefitas, Valdenses, Lutheranos et Calvinistas. *Secunda* pertinet ad scholæ dissidium.

CONCLUSIO I [2].

Solus Episcopus est ex institutione divina minister ordinarius Confirmationis. Est de fide. Conc. Trid. [3] definit: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Prob. 1. *Ex Scriptura,* Act. 9, ubi legitur Petrum et Joannem (quibus succedunt Episcopi) missos fuisse Samariam, ut iis qui a Philippo Diacono baptizati fuerant, manus imponerent et darent Spiritum Sanctum. Quare autem Philippus non imposuit manus? Respondet S. Chrysostomus Græcus, quia *hoc solorum Apostolorum erat, virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi signa, non autem dandi*

[1] S. Greg. Magn., *Epist. ad Januar.*—[2] * Conf. R. P. Perronne, *de Confirmat.*, cap. 2, et S. Lig., lib. 6, n. 170 et seqq. — [3] Sess. 7, can. 3.

aliis Spiritum Sanctum, igitur hoc erat in Apostolis singulare, unde et præcipuos (id est Episcopos) *et non alios videmus hoc facere* [1].

PROB. 2. *Ex traditione perpetua,* cujus seriem habemus ex Patribus tum Græcis, tum Latinis, summis Pontificibus, et Conciliis; ex quibus singulis unum testimonium brevitatis causa refero.

Innoc. I [2]: *De consignandis infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopis fieri licere... nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere* (in vertice) *licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum Sanctum.* Unde Nicolaus I confirmatos a Presbyteris Photianis jussit iterum confirmari.

Conc. Flor. in decreto declarat: *Confirmationis minister ordinarius est Episcopus;* ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ananias non erat Episcopus, sed Discipulus [3]; atqui tamen imposuit manus Paulo: ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Imposuit manus Paulo ad ei visum restituendum, *conc.;* ad confirmandum eum, *nego;* Paulus enim nondum erat baptizatus, *et vidit virum Ananiam nomine imponentem sibi manus ut visum recipiat;* non vero Spiritum Sanctum recipiat.

INST. Ibidem legitur: *Ananias ... imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus ... ut videas et implearis Spiritu Sancto.* Ergo imposuit manus Paulo non tantum ut visum reciperet, sed ut eum confirmaret.

RESP. *Dist. textum. Et implearis Spiritu Sancto,* per Baptismum, *conc.;* per Confirmationem, *nego.* Patet responsio

[1] D. Chrysos., homil. 18 in c. 8 *Act. Apost.*—[2] *Epist. ad Decentium*, c. 3.
[3] Actor. 9, v. 10.

ex contextu : *et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit; et surgens, baptizatus est.*

Objicies 2. S. Hieron.[1] docet potestatem confirmandi competere Episcopis, *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis;* ergo Episcopus institutione divina non est solus minister ordinarius Confirmationis.

Resp. *Nego conseq.* Ibidem enim S. Hieron. asserit potestatem confirmandi competere Episcopis ex traditione apostolica; ideo dicimus cum Bellarm. ista verba: *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis,* non debere referri ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis; quia nempe Sacramentum hoc absolute ad salutem non est necessarium; alias *lugendi essent,* addit ibidem S. Doctor, *qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

Objicies 3. Apud Græcos longe ante schisma Photii, simplices Presbyteri ordinarie confirmabant, et etiam nunc confirmant; ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Inde enim ad summum concludi potest Presbyterum esse extraordinarium ministrum Confirmationis, ex concessione saltem tacita summi Pontificis. Nam ut primum cognovit Nicolaus I Presbyteros Græcos, jure ordinario et non ex dispensatione, Confirmationem conferre, ipsos cum duce suo Photio damnavit, et jussit sic ab illis confirmatos iterum confirmari.

CONCLUSIO II.

Simplex Sacerdos potest esse Confirmationis minister extraordinarius; auctoritate scilicet delegata a summo Pontifice.

Prob. 1. *Ex usu Ecclesiæ Græcæ,* in qua Presbyteri longe ante schisma Confirmationem conferunt, quam praxim non

[1] Dialogo *adversus Luciferian.*

reprobat Ecclesia Latina, cum ipsa Græcos in Conciliis Lugdunensi II [1] et Flor. [2] in suam communionem admiserit, nec Confirmationem ab eorum Presbyteris collatam rejecerit ut invalidam ; atqui non erant ministri ordinarii : ergo, etc.

PROB. 2. *Ex Concilio Florentino* in decreto, ubi, postquam statutum est ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum, addit : *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum.* Ergo exempla illa supponit legitime facta, alios ipsa non memoraret.

Inter varia dispensationum hujusmodi exempla, eminet praxis quotidiana S. Sedis, Missionariis Presbyteris ad Exteros concedentis facultatem Confirmationem administrandi Chrismate ab Episcopo consecrato, unum præterea refero Gregorii Magni, qui concessit Presbyteris Calaritanis in Sardinia ut confirmarent in iis locis ubi desunt Episcopi : *Ubi desunt Episcopi,* inquit, ut *Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate ungere debeant, concedimus* [3].

Multa alia exempla ferunt Wadinghus et Card. Palavicini [4].

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Gregorius Magnus [5] Presbyteris Calaritanis prohibuit, *ne baptizatos infantes signare in fronte præsumerent, sed eos ungerent in pectore, ut Episcopi postmodum ungerent in fronte.* Ergo ex facto Gregorii a nobis citato non potest concludi simplicem Sacerdotem ex dispensatione posse conferre Confirmationem.

1 Ann. 1274, sub Leone X. — 2 Ann. 1436, sub Eugenio IV.

3 Refertur cap. *Pervenerit,* dist. 91. — 4 Wad. in *Annal. Minorum ;* Palav. in *Hist. Conc. Trid.* l. 9, c. 7, n. 12. — 5 Epist. 9, l. 4.

RESP. *Nego conseq.* In primo enim textu, Greg. Magn. negat (sicut alii Pontifices) ordinariam administrandæ Confirmationis potestatem competere Presbyteris, quod constat ex verbo *præsumerent.* In secundo autem licentiam dat ut confirment.

OBJICIES 2. Munus confirmandi institutione divina est proprium Episcopis; ergo nunquam potest valide exerceri a Presbyteris.

RESP. *Dist. ant.* Munus ordinarium confirmandi est institutione divina proprium Episcopis, ita ut convenire possit Presbyteris ex concessione summi Pontificis, *conc.*; ita ut Presbyteris non possit convenire ex tali concessione, *nego ant.*

Itaque ex institutione Christi habet Episcopus ut sit ordinarius, simplex Sacerdos ut esse possit extraordinarius minister Confirmationis; neque enim in factis hujusmodi alia quærenda ratio, quam Christi voluntas nobis ex factis SS. Pontificum et usu Ecclesiæ declarata.

INST. Potestas confirmandi est potestas ordinis, non jurisdictionis, unde Episcopus nondum consecratus, valide confirmare non potest; atqui potestas ordinis non potest dari per delegationem. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Potestas ordinaria, plena et completa confirmandi, est potestas ordinis episcopalis, *conc.*; extraordinaria et incompleta, *nego maj.*; atqui potestas ordinis non potest dari per delegationem, *dist. min.*; non potest dari ei qui in sua ordinatione non accepit inchoatam et incompletam confirmandi potestatem, *conc. min.*; ei qui in sua ordinatione accepit inchoatam, etc., *nego min. et conseq.*

Itaque Presbyter ratione sui ordinis inchoatam habet et incompletam potestatem, quia capax fit ut committi seu delegari possit ad Confirmationem conferendam, modo accedat legitima dispensatio, per quam potestas illa perficitur ac completur ut valida sit Confirmatio, alias invalida futura.

QUÆRES: *Utrum Concilia Flor. et Trid. aliquid definierint circa ministrum extraordinarium Confirmationis?*

RESP. *negative.* Equidem definierunt Episcopum esse Ministrum ordinarium Confirmationis, quia id certum est; at de extraordinario, quia incertum et controversum, silent; esto istud subobscure insinuent, aperte tamen non declarant, neque unum ex alio necessario sequitur. *Sic locuti sunt utriusque Concilii Patres,* inquit Estius [1], *quod quæstionem inter Doctores controversam definire nollent quo modo et locuti sunt de Ministro sacramenti Ordinis, propter controversiam in minoribus Ordinibus.*

CAPUT IV.

DE SUBJECTO ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

QUÆRES 1. *Quodnam sit Confirmationis subjectum?*

RESP. Est omnis et solus homo baptizatus.

PROB. PRIMA PARS. Ex praxi primitivæ Ecclesiæ (quam etiam nunc observat Ecclesia Græca), quæ infantibus una cum Baptismo Confirmationem et Eucharistiam ministrabat; ut constat ex antiquis Ritualibus.

Attamen, nunc variis Conciliorum Canonibus statutum est, ut non administretur pueris, nisi postquam annos discretionis attigerint [2]; quia ex hoc Sacramento cum actuali devotione suscepto, fructus uberior percipitur. Convenit tamen ut detur parvulis in extremo vitæ periculo constitutis, ut probat D. Thomas, hic.

PROB. SECUNDA PARS. Quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentum.

QUÆRES 2. *Quænam dispositiones requirantur ad percipiendum sacramentum Confirmationis?*

RESP. 1. Ad recipiendum characterem sola requiritur vo-

[1] In 4, dist. 7, § 22, ad secundum. — [2] Ita Synodi Lingonensis, ann. 1404; Senonensis, 1564; Aquensis, 1585; Mediolanensis sub sancto Carolo, ann. 1565.

luntas Sacramenti recipiendi; quia hoc sufficit ut Sacramentum sit validum.

Resp. 2. Ad recipiendos alios effectus,

1° Requiritur status gratiæ; quia Confirmatio est Sacramentum vivorum.

2° Requiritur ut Confirmandus, si sibi sit conscius gravium peccatorum, actum contritionis eliciat, qui actus sincerus non videtur in eo qui, cum habeat copiam Confessarii, confessionem negligit. Quare Concilium Aurelianense [1] statuit ut confirmandi *moneantur Confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.*

3° Requiritur ut bonis operibus, præsertim oratione et secessu, ad recipiendum Spiritum Sanctum sese disponant exemplo Apostolorum, qui *erant perseverantes in oratione*, etc.

4° Duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis, Confirmantes et Confirmandi debebant esse jejuni, prout statutum erat in Conciliis Aurelianensi et Meldensi [2]; sed a duodecimo sæculo desiit illa consuetudo, ut testatur D. Th. [3], laudabilis tamen consuetudo, ad quam hortatur Catechismus Roman. propter reverentiam Sacramento debitam.

Quæres 3. *An hoc Sacramentum sit necessarium?*

Resp. 1. Sacramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medii; quia sine eo homo potest salvari per Baptismum et Pœnitentiam.

Resp. 2. Sacramentum Confirmationis est necessarium omnibus adultis necessitate præcepti divini et ecclesiastici. Hodie sententia contraria non videtur satis probabilis [4].

Prob. prima pars, quæ, licet non contineatur expresse in Scripturis, tamen facile ex eis deducitur. Christus enim præcepit Apostolis, ut Confirmationem susciperent: *Præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris;* atqui cæteri omnes tum viri, tum mu-

[1] C. 4, *de Consec.*, dist. 5. — [2] Referuntur a Gratiano, cap. 6 et 7 *de Consec.*, dist. 5. — [3] 3 p. q. 73, a. 12 — [4] S. Liguorio, lib. 6, n. 181 et seqq.

lieres huic præcepto paruerunt, dicente Scriptura ibidem : *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Jesu, et fratribus ejus:* ergo omnes sibi præceptum esse impositum intellexerunt.

Illud autem præceptum divinum obligat maxime, dum urget persecutio, aut gravis contra fidem tentatio; ratio est, quia illud Sacramentum est institutum a Christo ad præmuniendos fideles contra omnes tentationes adversus fidem, et ad fidei hostes superandos per firmam Christianæ Religionis professionem.

PROB. SECUNDA PARS. Ex Concilio Senonensi definiente non tantum Confirmationem esse præceptam, sed et præscribente tempus quo est præcepta : *Confirmationem*, inquit, *omnes Christiani, tam viri, quam mulieres, usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens paratus dare, et persona hoc sciens negligit.*

Inde Sorbona [1] sequentem propositionem : *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest; vel (ut alii dicunt) commodissime, quando sine ullo vel minimo incommodo,* damnavit his verbis: *Ista propositio est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo proposita, et in errorem potest inducere.*

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS ET CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS.

QUÆRES 1. *Qui sint effectus Confirmationis?*

RESP. Sunt tres, sublato obice.

Primus, est gratia sanctificans, non quidem prima, saltem per se, sed secunda. Siquidem in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus, qui non potest dari sine infusione gratiæ sanctificantis.

[1] Ann. 1631.

Secundus, est gratia sacramentalis, quæ definitur : gratia habitualis roborativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias, *ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur;* ut ait Flor. in decreto.

Tertius, est character indelebilis, quo baptizatus adscribitur in militiam Christi; unde in eadem persona iterari non potest, ut fide constat ex Trident [1].

DICES: Confirmatio est manus impositio; sed ex variis Conciliis et Patribus manus impositio iterari potest; ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Manus impositio reconciliatoria sæpius iterari potest, *conc.*; confirmatoria, *nego min.* Concilia autem loquuntur de manus impositione quæ mera est cæremonia Ecclesiæ, per quam ab hæresi redeuntes cum Ecclesia olim reconciliabantur; de hoc loquitur D. Aug., cum dicit [2] : *Quid aliud est manus impositio, quam oratio supra hominem?*

INST. Atqui Concilia loquuntur de manus impositione confirmatoria; ergo.

Prob. ant. Ex Conc. generali II, in quo dicitur Hæreticos recipi in Ecclesiam *signatos, sive unctos primum sancto Chrismate et frontem, et oculos, et nares, et aures, et eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus Sancti.* Atqui in hoc Canone exprimitur materia et forma Confirmationis apud Græcos; ergo loquitur de Confirmatione.

RESP. *Dist. min.* Exprimitur materia et forma, simul et idem effectus, et modus operandi ex opere operato, *nego*; et non idem effectus, nec idem operandi modus, *conc. min.*

Porro, in ritu quo Hæretici recipiebantur, erat quidem eadem materia et forma, sed non erat idem effectus, et idem operandi modus : in Confirmatione datur Spiritus Sanctus ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. In reconciliatione Hæreticorum, datur Spiritus

[1] Sess. 7, can. 9. — [2] L. 3, de Baptism.

Sanctus ad pacem cum Ecclesia conciliandam, et fidem firmius tenendam: ut constat ex D. Cypriano, Epist. 74: *Nos quoque hodie observamus*, inquit, *ut quos constet hic baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transiisse, si postmodum peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere, ut hanc ovem abalienatam in ovile suum Pastor recipiat*. In Confirmatione effectus producitur ex opere operato; in reconciliatione Hæreticorum, producitur ex opere operantis.

QUÆRES 2. *Quænam sint Confirmationis cæremoniæ, et quid significent?*

RESP. Sunt sex, quarum duæ præcedunt, tres concomitantur, et una subsequitur Confirmationem.

Prima, est adhibitio patrini, qui sit baptizatus et confirmatus, ut recens baptizatos præsentet Episcopo, ipsosque erudiat in pugna spirituali. Perantiqua est illa praxis, de qua fit mentio in Sacramentario sancti Gregorii et Ordine Romano.

Secunda, est mutatio nominis, si sit turpe vel ridiculum, ut Christianus perfectionem attingens, digno decoretur nomine; ita Concilia Mediolan. V, Aquense et Tolosanum.

Tertia, est manus impositio, qua Episcopus super Confirmandos divinam protectionem implorat.

Quarta, est levis inflictio alapæ in maxilla confirmati, *ut meminerit se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda*, ait Catechism. Roman.

Quinta, est pax quæ datur confirmato, ut intelligat *se gratiæ cœlestis plenitudinem et pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutum fuisse*, inquit Catechism. Rom.

Sexta, est circumligatio frontis confirmati fasciola linea per triduum, ut significetur gratiam acceptam conservandam esse diligenter; ita Ordo Rom.

Excipit Synodus Melodunensis ann. 1579: *Nisi frontes, præsente Episcopo, eodem panno vel bombyce abstergendæ curentur.*

TRACTATUS DE EUCHARISTIA[1]

PARS PRIMA.

De Eucharistia prout est Sacramentum.

Quidquid in hac parte dicturi sumus, ad quinque revocatur capita, quorum *primum* erit de sacramento Eucharistiæ in se spectato; *secundum* de ejus ministris; *tertium* de subjecto, *quartum* de ejus usu; *quintum* de ejus effectibus.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ IN SE SPECTATO.

Hic agemus: 1° de natura Eucharistiæ; 2° de ejus materia; 3° de ejus forma; 4° de re in Eucharistia contenta; totuplici articulo.

[1] Quia SS. Eucharistia est veluti compendium omnium Dei mirabilium, juge convivium et spiritualis animæ refectio, sacrificium quoque perpetuum Deo oblatum, ideo quasi centrum est totius Religionis christianæ; variis igitur nominibus convenienter insignitur, secundum varias ejus significationes: 1° habet significationem respectu præteriti, in quantum est rememorativum Dominicæ Passionis, et ideo *sacrificium* nominatur; 2° habet significationem respectu rei præsentis, scilicet ecclesiasticæ unionis et vinculi charitatis, et secundum hoc *communio* et *synaxis* vocatur; 3° habet significationem respectu futuri, in quantum est figurativum Dei fruitionis, quæ est in patria, et secundum hoc nominatur *viaticum*.—Sunt et alia hujus Sacramenti nomina: sic ratione materiæ dicitur Panis vitæ et intellectus, Panis qui de cœlo descendit, Panis Angelorum, etc. Ratione effectus, dicitur Sacramentum gratiæ, Gratia salutaris. Ratione rei contentæ, dicitur Corpus Christi, Corpus Dominicum, etc. Ratione excellentiæ,

Nota 1. Eucharistia (sic dicta a verbo græco Ευχαριστιον, quod gratiarum actionem significat, quia per eam maxime Deo gratias agimus) varia sortitur nomina.

1° Dicitur *communio*, quia per eam Christo capiti et ejus membris fidelibus communicamus.

2° Vocatur *Synaxis*, id est congregatio; tum quia simul congregati fideles Eucharistiam percipiebant, tum quia in hoc Sacramento tanquam in centro fideles communioni charitatis vinculo colliguntur.

3° Vocatur *Eulogia*, id est benedictio, quia per benedictionem conficitur.

4° Vocatur *Viaticum*, id est viæ subsidium, quo nempe muniti viam inimus ad terminum felicitatis æternæ.

5° Vocatur *Liturgia*, id est sacrum Mysterium, a stupenda, quæ in Missa fit, transubstantiatione.

6° Vocatur ab Apostolo *Panis*, ab ejus materia ex qua.

Nota 2. Cum de fide sit Eucharistiam esse Sacramentum simul et Sacrificium, illam sub hoc duplici respectu considerabimus duplici parte.

ARTICULUS I.

DE NATURA, SEU ESSENTIA EUCHARISTIÆ.

Nota. Ut Eucharistiæ naturam accurate discutiamus, videndum est : 1° quænam sit accurata ejus definitio; 2° in quo Eucharistia essentialiter consistat.

dicitur Sacramentum Sacramentorum, Mysterium Mysteriorum. Præterea plures sunt figuræ venerabiles hujus Sacramenti : 1° quantum ad id quod est *Sacramentum tantum* (vid. *de Sacram. in gen.*, cap. 1, in nota), potissima figura fuit oblatio Melchisedech in pane et vino; 2° quantum ad id quod est *res et Sacramentum*, figuræ fuerunt omnia veteris Testamenti sacrificia; 3° quantum ad id quod est *res tantum*, seu respective ad refectionem spiritualem, manna fuit ejus præcipua figura. Si vero hæc tria simul collective considerentur, figura hujus Sacramenti fuit Agnus paschalis, in quo tria sunt præcipue consideranda, quæ divina cum Eucharistia similitudinem habent. Fuit enim cibus, hostia immolata, et ejus sanguine protecti sunt filii Israel ab devastante Angelo, et de Ægyptiaca educti. (Vid. S. Th., p. 3, a. 6.)

CONCLUSIO I.

Eucharistia recte definitur : *Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem animæ refectionem, in quo Corpus et Sanguis ejus vere, realiter et substantialiter sub speciebus Panis et Vini continentur.*

Prob. et explicatur definitio.

Dicitur 1° *Sacramentum novæ Legis ;* est enim signum sacrum, sensibile per species panis et vini, gratiæ invisibilis spiritualis scilicet refectionis, juxta illud: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam* [1]; a Christo permanenter institutum, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Dicitur 2° *Ad spiritualem animæ refectionem :* quibus verbis effectus Eucharistiæ, nempe spiritualis refectio, designatur.

Dicitur 3° *In quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, ac substantialiter continentur :* quibus verbis essentialis denotatur differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis; alia enim Sacramenta continent gratiam Dei; Eucharistia vero continet Christum substantialiter præsentem : alia Sacramenta in actione fluente consistunt; Eucharistia vero in re fixa et permanente.

Hinc istæ particulæ : *vere, realiter, et substantialiter,* quas usurpavit Conc. Trid. [2], non sunt hic pure synonyma, sed totidem perversis novatorum interpretationibus refellendis opponuntur.

Particula *vere* excludit præsentiam per figuram et imaginem.

Particula *realiter* excludit præsentiam tantum per fidem.

Particula *substantialiter* excludit præsentiam tantum per virtutem a Christo diffusam.

[1] Joan. 6, v. 55. — [2] Sess. 13, c. 2.

Dicitur 4° *Sub speciebus panis et vini,* quæ existunt sine substantia et subjecto, et habent rationem signi.

CONCLUSIO II.

Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu et sumptione, sed in re permanente. Est definitum a Conc. Trid. contra Lutheranos et Calvinistas, his terminis [1] : *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post, et in Hostiis seu Particulis consecratis quæ post Communionem reservantur , vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.*

PROB. 1. *Ex facto Christi* qui, instituens Eucharistiam, prius protulit verba consecratoria: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* quam Corpus ad manducandum et Sanguinem ad bibendum Apostolis porrexerit; atqui verba Christi vera et efficacia fuerunt eo instanti quo prolata sunt: ergo ante actualem usum et manducationem fuit sub speciebus verum Corpus et verus Sanguis Christi, ideoque verum Sacramentum. Ergo Sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanente.

Verum quidem est sumptionem necessariam esse ad effectum Sacramenti percipiendum, non autem ad veritatem realis præsentiæ comprobandam.

PROB. 2. *Ex perpetua Ecclesiæ praxi et traditione,* secundum quam ab ipso tempore Apostolorum.

1° Eucharistia peractis mysteriis per Diaconos ad absentes mittebatur, ut refert Justinus, Apostolorum coævus [2].

2° Fideles Eucharistiam in domos suas deferebant ut eam tempore opportuno sumerent: ita testantur Tertull. et sanctus Cyprianus, dicens [3]: *Cum quædam arcam suam, in*

[1] Sess. 13, c. 4. — [2] Apologia secunda.

[3] Tertul. l. 2, *Ad uxorem;* Cypr. serm. *de Lapsis.*

qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et D. Basilius, Epist. 289 *ad Cæsariam patriciam : Quoniam,* inquit, *per tempora illa persecutionem cogebantur homines necessario, sacerdote vel ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacaneum ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter et inique ferendam eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederit... Alexandriæ autem, et per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimum, habet domi suæ communionem.*

3° Eucharistia ad ægrotantes deferebatur, ut ostendit celebre factum quod refert Eusebius [1], nimirum a Sacerdote ægrotante per puerum missam esse Eucharistiæ particulam ad Serapionem quemdam senem in extremis positum, quam cum de manu pueri sumpsisset, senex statim animam exhalavit. Item ex S. Ambrosio, in oratione funebri fratris sui S. Satyri.

4° Asservabatur in templis, ut testantur pastophoria, ciboria, columbæ, turriculæ aureæ vel argenteæ, in templis suspensæ.

5° Hujus veritatis testis est praxis immemorabilis utriusque Eccclesiæ Orientalis et Occidentalis *Missæ præsanctificatorum,* in Orientali quidem per totam Quadragesimam, in Occidentali vero in Parasceve, in hac enim Missa Eucharistia sumitur diebus præcedentibus consecrata. Id Calvinus [2] admittere coactus scribit : *Qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum, fateor ; verum in re tanta, nihil tutius est quam veritatem sequi,* quasi quæ retro sæculis impervia, in Calvinum tandem e sublime dilapsa fuisset !

OBJECTIONES.

1. Omnia alia Sacramenta in actione transeunte consistunt ; ergo et Eucharistia.

[1] L. 6, *Histor.*, c. 44. — [2] *Institut.*, lib. 4, cap. 17, § 39.

Resp. *Nego conseq.* Disparitatem ex traditione et Conc. Trid. definitione colligimus, ex quibus perspectum habemus Eucharistiam esse rem permanentem; ergo intrinsece constitui debet re parmanente et non transeunte, qualis est ipsa manducatio. Præterea in his quæ ex mera Christi libertate pendent, non valet conclusio unius ex alio. Aliunde, sacramenta alia consistunt in applicatione formæ et materiæ ad subjectum quod instrumentaliter sanctificant; sacramentum vero Eucharistiæ consistit in applicatione formæ ad materiam quam consecrat, et ideo continet in se aliquid sacrum, scilicet corpus Christi, quod sic tale est independenter ab hominis sanctificatione.

Objicies 2. Omne Sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis; atqui Eucharistia non est signum gratiæ, nisi in actuali manducatione: ergo.

Resp. *Nego min.* Nam Corpus Christi sub speciebus Panis existens habet rationem spiritualem, seu gratiam sanctificantem nutritivam.

Inst. Omne Sacramentum constat rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma; atqui Eucharistia in facto esse non constat verbis: ergo non est Sacramentum.

Resp. *Dist. maj.* Omne Sacramentum in fieri constat rebus et verbis, *conc.*; in facto esse, *nego maj.*; et, concessa min., *dist. conseq.*, etc.; hic autem loquimur de Sacramento in facto esse, quod, licet extrinsece sit confectum verbis consecratoriis, tamen intrinsece non componitur verbis, sed, ut infra dicemus, Corpore et Sanguine Christi.

Objicies 3. Juxta multa Ecclesiarum monumenta, quæ post mysteriorum celebrationem residua erant fragmenta, consumebantur a Clericis, vel dabantur pueris innocentibus consumenda; ergo in primitiva Ecclesia Eucharistia non fuit asservata.

Resp. *Nego conseq.* Ea enim quæ proponit objectio, non pugnant cum asservatione Eucharistiæ; equidem juxta

primitivæ Ecclesiæ disciplinam, quæ supererant fragmenta, consumebantur, sed ea parte seposita quæ in sacrario pro infirmis asservabatur, ut constat ex iisdem monumentis.

Nota. Certum itaque est de fide Eucharistiam consistere in re permanente, sed in assignanda præcise illa re, discordia est inter Theologos, quæ ut dirimatur:

CONCLUSIO III.

Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione, neque in solis speciebus, neque in solo Corpore et Sanguine Christi; sed consistit essentialiter et adæquate in speciebus simul et Corpore ac Sanguine Christi. (Videtur probabilior.)

PROB. Prop. per partes.

1° *Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione;* quia res fixa et permanens qualis est Eucharistia, non potest essentialiter consistere in re fluente et transeunte; atqui consecratio posita est in verbis quæ fluunt et transeunt. Ergo, etc.

2° *Non consistit in solis speciebus;* quia Eucharistiæ Sacramentum gratiam confert, adoratur a fidelibus, perficitur a ministris; atqui solæ species non producunt gratiam, non adorantur a fidelibus, non perficiuntur a ministris per certa verba. Ergo, etc.

3° *Non consistit in solo Corpore et Sanguine Christi;* nam de essentia Sacramenti est quod sit aliquid sensibile; atqui corpus et sanguis Christi non sunt sensibilia. Ergo.

Restat ergo dicendum cum D. Th. [1] *ex speciebus et corpore Christi fieri unum Sacramentum.* Omnes siquidem veri Sacramenti conditiones complexo ex speciebus et corpore Christi apprime conveniunt, est enim signum sensibile gratiæ invisibilis.

[1] In 4, dist. 7, a. 2 ad 2.

OBJECTIONES.

OBJICIES *contra primam partem.* Forma est de essentia rei; atqui consecratio, sive verba consecratoria sunt forma Eucharistiæ: ergo.

RESP. *Dist. maj.* Forma intrinsece componens, seu informans, *conc.;* forma extrinsece conficiens, *nego maj.;* atqui verba consecratoria sunt forma extrinsece conficiens, *conc.;* informans, *nego min. et conseq.*

SUBSUMO. Atqui verba consecratoria sunt forma informans.

Prob. subsumpt. Quod determinat species ad significandam gratiam, est forma informans; atqui verba consecratoria determinant species ad significandam gratiam. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Quod determinat species formaliter, id est velut formalitas intrinseca, qua Sacramentum in se cónstat, *conc.;* quod determinat efficienter velut causa significationis, *nego maj.;* et sic, *distincta min.*, nego conseq. Verba ergo consecratoria sunt quidem causa efficiens Sacramenti, sed non ipsum Sacramentum.

OBJICIES *contra secundam partem.* Solæ species sunt Sacramentum Eucharistiæ; ergo.

Prob. ant. Innoc. III[1] tria distinguit in Eucharistia, nempe Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, Sacramentum et res Sacramenti simul, additque species esse Sacramentum tantum; ergo Eucharistia consistit in solis speciebus.

RESP. *Dist. ant.* Species sunt Sacramentum tantum, sumendo nomen *Sacramentum,* inadæquate, pro eo præcise quod significat, *conc.;* pro eo quod significat simul et significatur, *nego ant.;* sic enim sumptum Sacramentum, est corpus et sanguis Christi sub speciebus contenta, cum ipsa sint simul gratia et ipsam significent atque producant.

[1] Cap. *Cum Marthæ*, de celebr. Missar.

INST. 1. Conc. Trid.[1] ait Corpus et Sanguinem Christi contineri in Eucharistiæ sacramento; ergo supponit rationem Sacramenti contineri in solis speciebus.

RESP. *Dist. ant.* In Sacramento inadæquate sumpto, *conc.*; in Sacramento adæquate sumpto, *nego ant.* Corpus enim et Sanguis Christi sunt in sacramento Eucharistiæ non tanquam locatum in loco, sed tanquam pars in toto, prout anima est in homine.

INST. 2. Sacramentum est signum corporis Christi; sed corpus Christi non est signum sui ipsius; ergo corpus Christi non est pars Sacramenti.

RESP. *Dist. maj.* Sacramentum inadæquate sumptum, nempe pro speciebus, est signum corporis Christi, *conc.*; adæquate, *nego major.* Nam Sacramentum adæquate sumptum significat corpus Christi et gratiam sanctificantem: primum significat per species; secundum significat per corpus Christi sub speciebus.

INST. 3. Quælibet pars essentialis Sacramenti debet esse sensibilis; atqui corpus Christi non est sensibile: ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Pars Sacramenti debet esse sensibilis vel per se, vel saltem per aliud, *conc.*; semper per se, *nego maj.*; corpus autem Christi fit sensibile per species exteriores, sub quibus continetur, quod sufficit ut sit pars Sacramenti.

OBJICIES *contra tertiam partem*. Sacramentum Eucharistiæ consistit in solo Corpore et Sanguine Christi; ergo.

Prob. ant. Corpus et Sanguis Christi sola reficiunt animam; ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Non enim sufficit ad essentiam Sacramenti quod sit refectio animæ, sed insuper requiritur quod sit signum sensibile per species.

Resolves. Materiam proximam Eucharistiæ in facto esse, species esse eucharisticas, formam vero esse ipsummet Corpus Christi sub speciebus; materia siquidem et

[1] Sess. 13, can. 1.

forma Sacramenti permanentis debent esse permanentes: nulla autem assignari potest alia materia permanens, quam species quæ de se sunt indeterminatæ ad refectionem spiritualem significandam; nec ulla alia forma quam ipsummet corpus Christi, species ad spiritualem refectionem significandam determinans: circa quod,

QUÆRES: *An Sacramentum Eucharistiæ sit unum?*

Ratio dubitandi est, quia constat signis specie diversis.

RESP. Sacramentum Eucharistiæ est unum specie, quod numero multiplicari potest.

PROB. PRIMA PARS. Quia formalis et specifica unitas vel multiplicitas alicujus Sacramenti repetenda est ex unitate vel multiplicitate gratiæ sacramentalis; atqui sacramentum Eucharistiæ, licet duabus constans speciebus, unicam confert gratiam sacramentalem, refectionem scilicet spiritualem: ergo sacramentum Eucharistiæ est unum specie.

PROB. SECUNDA PARS. In sacramento Eucharistiæ sunt plures species seorsim sumibiles et ordinabiles ad plures refectiones spirituales; ergo sacramentum Eucharistiæ potest numero multiplicari [1].

Dices contra primam partem. Species panis et species vini habent significationem sacramentalem diversam; ergo constituunt Sacramenta specie diversa.

RESP. *Dist. ant.* Habent significationem diversam quoad modum significandi, *conc.;* quoad rem significatam, *nego ant.;* eumdem enim effectum sacramentalem significant, nempe refectionem animæ spiritualem, unde sunt unicum specie Sacramentum.

[1] Numerus sumitur ex multiplicitate sumptionum; unde si una species, vel una hostia distribuitur pluribus, vel eidem personæ in diversis vicibus moraliter distinctis, diversa sunt numero Sacramenta. E converso, si alicui eodem tempore ministrarentur ambæ species, vel plures partes ejusdem speciei, unum esset Sacramentum. Sic pariter, si diversæ species consecratæ eodem tempore, et in eodem altari proponuntur, unum erit Sacramentum; si vero eædem species dividuntur, et in diversis proponuntur altaribus, diversa sunt Sacramenta (S. Lig., lib. 6, n. 191).

INST. Refectio facta per cibum spiritualem diversa est specie a refectione facta per potum spiritualem; ergo species panis et vini habent significationem realem diversam. RESP. *Neg. ant.*

Prob. ant. Refectio facta per cibum corporalem diversa est specie a refectione facta per potum corporalem; ergo.

RESP. *Dist. conseq.* Disparitas est, quia substantia cibi corporalis specie diversa est a substantia potus corporalis, ac proinde producunt effectus specie diversos; at in Eucharistia cibus et potus spiritualis sunt una eademque res, licet diversimode significata, nempe Christus, qui sub utraque specie animam eodem modo reficit.

ARTICULUS II.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ EX QUA.

Cum duplex sit Eucharistiæ materia, una pro consecrando corpore, altera pro consecrando sanguine, de utraque distinctis agemus paragraphis.

§ I.

De materia ex qua conficitur corpus Christi.

Tria hic nobis sunt resolvenda : *primum*, utrum panis triticeus sit materia necessaria Eucharistiæ; *secundum*, utrum panis debeat esse azymus vel fermentatus; *tertium*, utrum Christus in azymo consecraverit. Ideo

CONCLUSIO I.

Solus panis triticeus est materia necessaria Eucharistiæ.

PROB. Materia qua Christus usus est cum primum Eucharistiam instituit, et qua uti Sacerdotes jussit, est materia ex qua conficiendum est corpus Christi; atqui panis triticeus est materia qua Christus usus est, juxta illud : *Accepit Jesus*

panem[1], et qua uti Sacerdotes jussit his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo, etc.

Prob. min. Panis simpliciter et sine addito est panis triticeus, cæteri enim panes sunt tantum analogice panes, quatenus defectum panis tritici supplent : unde non dicuntur panes, nisi cum addito, v. g., *panis hordeaceus, panis ex fabis*, etc.; atqui Christus usus est pane simpliciter et sine addito. Ergo, etc.

Confir. Ex decreto Eugenii in Conc. Flor., in quo dicitur: *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite;* atqui *vinum de vite* est materia absolute necessaria, ut nemo dubitat: ergo et panis triticeus.

Porro, panis ille triticeus debet macerari ex aqua pura et naturali, et concoqui ad ignem; quia sic conficitur panis usualis et simpliciter dictus.

Resolves invalidam esse consecrationem in pane ex spelta, hordeo, millio, etc. Quoad secale, aliqui putant esse materiam propriam Eucharistiæ, dicentes non differre specie a tritico, sed esse triticum inferius : tamen dicendum esse materiam dubiam, quam absque peccato mortali non licet adhibere[2].

CONCLUSIO II.

Ad consecrationis validitatem perinde est, sive panis azymus sit, sive fermentatus.

Prob. 1. Quia ita definitum fuit in Conc. Florent. contra Græcos schismaticos[3], consentientibus pariter Græcis et Latinis : *Definimus*, aiunt hujus Concilii Patres, *in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ orientalis, sive occidentalis consuetudinem.*

[1] Luc. 22, v. 39. — [2] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 198 et seqq.

[3] Auctor fuit Michael Cerularius, Patriarcha Constant.

PROB. 2. *Ratione.* Quia ad consecrationis validitatem sufficit panis verus et simpliciter dictus; atqui uterque panis est verus et simpliciter dictus panis ex farina triticea, aqua naturali subacta, et ad ignem coacta: ergo.

DICES: Christus consecravit in fermentato tantum, vel in azymo tantum; ergo alteruter est necessitate Sacramenti adhibendus.

RESP. *Nego conseq.* Nam panis azymus et fermentatus non differunt nisi accidentaliter, quomodo vinum album differt a rubro; Christus autem non attendit ad qualitates accidentales panis et vini.

Itaque neque Latini propter azymum, neque Græci propter fermentatum quo utuntur, culpandi sunt; laudabilis enim est Græcorum ritus qui fermentato utuntur, tum in detestationem hæresis Ebionitarum qui legalia Evangelio miscebant, tum quia *panis fermentatus*, ut Gregorius in Registro, *non obscure repræsentat verbum divinum carnis nostræ fermento imbibitum;* sed laudabilior est Latinorum ritus:

1° Quia repræsentat puritatem Christi, qui sine ulla admixtione suscepit carnem.

2° Quia fidelium sinceritatem magis exprimit, juxta illud Apost.[1]: *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

3° Quia Christus azymo usus est; quod ut probetur, sit:

CONCLUSIO III.

Christus in azymo consecravit. Est contra Græcos docentes Christum eo anno quo mortuus est, anticipasse uno die esum agni Paschalis, eumque comedisse non quartadecima, sed tertiadecima die mensis, quo die licebat vesci pane fermentato. Contra quos

PROP. PROB. Christus instituit Eucharistiam primo die azymorum, juxta illud Marci 14: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: quo vis ea-*

[1] 1 Cor. 5, v. 8.

mus et paremus tibi ut manduces Pascha... et paraverunt pascha. Vespere autem facto, venit (Jesus) *cum duodecim, et, manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum.* Atqui a prima vespera primi diei azymorum usque ad septimum diem nullo modo licebat Judæis uti pane fermentato, imo nec ullibi retinere, ut patet Exodi 12, ubi dicitur: *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Ergo Christus (cum fuerit Legis observantissimus, ut testatur Matth. 5: *Non veni solvere Legem, sed adimplere. Amen quippe dico vobis... iota unum aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant*) celebravit in azymo.

Hoc argumento Leo Papa IX usus est adversus Michaelem Cerularium: *Qui non venerat solvere Legem,* inquit, *sed adimplere, juxta ipsius Legis præscriptum ex azymis et vino, vetus Pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum* (sicut aperte Lucas narrat) *Discipulis tradidit.*

OBJECTIONES.

Objicies. Christus eo anno quo mortuus est, anticipavit tempus celebrandi Pascha; ergo. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Christus ultimam cœnam celebravit *ante diem festum Paschæ*[1]*;* ergo anticipavit, etc.

Resp. *Dist. ant.* Christus celebravit ultimam cœnam ante diem festum Paschæ naturalem, *conc.;* ante diem festum Paschæ legalem seu cæremonialem, *nego ant. et conseq.*

Itaque apud Judæos *dies naturalis incipiebat ab ortu solis usque ad occasum, et eo anno incidebat in diem Veneris; dies vero legalis seu cæremonialis incipiebat a vespera diei præcedentis, et desinebat in vesperam diei sequentis;* juxta illud Lev. 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Christus celebravit ultimam cœnam die 14 mensis primi ad vesperam, quo tempore inchoabatur festum Paschatis et Azymorum; eratque privilegium solem-

[1] Joan. 13, v. 1.

nitatis, quæ quinta decima die celebrabatur quantum ad feriationem ab omni opere, sicut ecclesiastico ritu, festi dies a primis vesperis incipiunt, et tamen solemnitas diei naturali, qui ab ortu solis incipit, assignatur. Ergo celebravit ante diem Paschæ naturalem, qui incipiebat decima quinta die [1].

INST. 1. Parasceve alicujus festi, festum haud dubie antecedit; atqui Christus dicitur crucifixus Parasceve Paschæ: *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Ergo Christus, eo anno quo mortuus est, tempus celebrandi Pascha antecessit.

RESP. *Dist. min.* Christus dicitur crucifixus in Parasceve Paschæ, id est in Parasceve Sabbati occurrentis in solemnitate Paschatis et Azymorum, *conc.*; id est in Parasceve ipsius festi Paschatis, *nego min.* Seipsum exponit D. Joannes versu sequenti, dicens: *Judæi quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati* (eo quod occurreret in solemnitate Paschali), *rogaverunt Pilatum,* etc. Unde Marcus 15 ait: *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum.* Deinde solum Sabbatum habebat Parasceven; quia in eo non tantum omne opus servile erat prohibitum, sed nec licebat ea præparare quæ ad victum necessaria erant; e contra in aliis festis etiam in solemnitate Paschali, licet omne opus servile fuerit prohibitum, tamen licebat ea præparare quæ ad victum erant necessaria, ut colligitur Exodi 12: *Nihil operis facietis in eis* (diebus Azymorum), *exceptis his quæ ad vescendum pertinent.*

INST. 2. Christus non est mortuus in die solemni Paschæ; nam *dicebant* (Judæi): *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Ergo mortuus est ante diem festum Paschæ cæremonialem.

RESP. *Nego ant.* Textus enim intelligitur de quibusdam Judæis qui ob metum tumultus, in ea fuerunt sententia; sed prævaluere suffragia, quibus deliberatum est non præ-

[1] N. 28, v. 16.

termittendam esse occasionem Jesum capiendi et occidendi, violatis omnibus naturalis æquitatis et religionis juribus.

INST. 3. Dies Veneris, qua Christus mortuus est, est Paschæ pervigilium, juxta illud Joann. 18 : *Erat autem mane ; et ipsi* (Judæi) *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha ;* ergo Christus non est mortuus in die solemni Paschæ.

RESP. *Nego conseq.* Nam D. Joannes eo loco, nomine *Paschæ,* non intelligit manducationem agni Paschalis, qui debebat manducari luna quarta decima ad vesperam sed victimas quæ per septem dies azymorum ex præscripto legis offerebantur, quæ vocabantur *phase,* id est *Pascha* : *Immolabis phase Domino tuo de ovibus et de bobus.*

§ II.

De Materia Calicis.

Tria hic sunt examinanda : *primum,* utrum vinum de vite sit materia Calicis ; *secundum,* utrum vino consecrando aqua sit admiscenda, et qua necessitate ; *tertium,* utrum aqua cum vino mixta immediate convertatur in sanguinem Christi ; ideo

CONCLUSIO I.

Solum vinum de vite, ipsumque usuale est materia valida Eucharistiæ.

PROB. Sola materia, quam Christus adhibuit et præcepit ut adhiberetur a Sacerdotibus, est materia necessaria Calicis ; atqui Christus solum vinum de vite usuale adhibuit : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*[1], et præcepit ut adhiberetur, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo, etc.

Quare invalide conficeretur Eucharistia ex vino nondum ex uvis expresso, ex omphacio, aceto ; quia non sunt vinum

[1] Matt. 26, v. 29.

usuale : non ita sentiendum de musto et vino acescente, quia retinent veram naturam et speciem vini ; observat tamen Paulus a Lugduno [1] consecrationem in musto et vino acescente, licet validam, esse illicitam ob fæces adjunctas et alterationem [2].

CONCLUSIO II.

Paululum aquæ naturalis Calici eucharistico infundi debet, non quidem ex necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, sed ecclesiastici duntaxat.

PROB. PRIMA PARS. Quod semper fuit observatum in Ecclesia Catholica, illud est tenendum ; atqui mixtio aquæ semper fuit observata in Ecclesia Catholica : ergo tenenda, etc.

Prob. min. Ex traditione, ab Apostolis ad nos usque derivata ut constat ex Pontificibus, Conciliis et Patribus, tum Græcis, tum Latinis, inter quos, brevitatis gratia, unum textum ex singulis proferemus.

Ex Pontificibus. Alex I [3] : *Non debet, ut a Patribus accepimus, in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum.*

Ex Conciliis. Carthaginense III [4] sic statuit : *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum.*

Ex Patribus Græcis. Sanctus Cyprianus ait : *Dominica traditio servetur, ut Calix mixtus vino offeratur.*

Ex Patribus Latinis. Sanctus Hieronymus[5] dicit : *Format Sanguinem suum* (Christus) *in Calice vino et aqua mixtis.*

PROB. SECUNDA PARS : *Nempe,* illam mixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione id colligi potest ; imo sancti Patres et Concilia contrarium docent, et manifeste colligitur ex Ru-

[1] *De Euch.*, cap. 1, q. 2, art. 2. — [2] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 206 et seqq.
[3] Epist. *ad omnes Orthodoxos.* — [4] A. 397, cap. 24. — [5] In c. 14 *Marci.*

bricis Missalis Romani,[1] his verbis: *Si celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam... si id advertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Hinc sequitur mixtionem aquæ non esse præcepti divini; quæ enim Christus observanda præcepit in Sacramentorum administratione, illa ad Sacramenti substantiam et integritatem pertinent; atqui ex dictis, etc.

Dices 1. Christus exemplo suo mixtionem aquæ vino adhibere docuit; ergo eam præcepit: ergo necessaria est necessitate Sacramenti.

Resp. *Nego conseq.* Nam Christus non omnia quæ fecit, nos facere præcepit, *alioquin,* inquit D. Cyprianus[2], *sacrificium post cœnam celebrare teneremur, cum illud Christus post cœnam celebraverit.*

Inst. 1. Ex Conc. Carthag. cit., mixtio aquæ fuit a Christo tradita; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Fuit tradita a Christo tanquam exemplum quod convenit sequi, *conc.;* tanquam præceptum, *nego ant.* Responsio constat ex Conc. Trid. infra citando.

Inst. 2. D. Cyprian.[3] docet: *In sanctificando Calice non posse offerri aquam solam, quomodo nec vinum solum;* ergo sicut nulla est consecratio cum aqua sola, ita nec cum vino solo.

Resp. *Dist. textum.* Non potest solum vinum offerri, sicut nec aqua sola, ex diverso necessitatis genere, *conc.;* ex eodem, *nego:* aqua enim necessaria est ex usu et præcepto Ecclesiæ; vinum autem ex institutione Christi et necessitate Sacramenti. Responsio constat ex eo quod immediate addit D. Cyprianus: *Nam,* inquit, *si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse.*

Prob. tertia pars. Ex Conc. Trid.[4] dicente: *Monet sancta*

[1] Tit. *de Defectibus vini.* — [2] Epist. 63 *ad Cæcilium.*
[3] Ep. *ad Cæcilium.* — [4] Sess. 22, c. 7.

Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi Joannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Christo unio repræsentatur; ergo mixtio aquæ est de præcepto duntaxat ecclesiastico.

Porro, hæc mixtio est necessario et sub mortali facienda, quia, licet materia de se sit levis, gravis tamen est ratione significationis mysteriorum a Trid. relatorum.

Item hæc mixtio debet fieri tempore Missæ, alioquin, si fieret in dolio, non haberet sacram significationem.

Item aqua vino miscenda debet esse modicissima, ut colligere est ex praxi Ecclesiæ et Concilio Florent., docente materiam Calicis esse vinum de vite, *cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.*

CONCLUSIO III.

Probabilius aqua mixta vino immediate convertitur in Sanguinem Christi. Hæc propositio est mere philosophica, nec multi apud Theologos momenti, ideo

Prob. Quia SS. Patres eodem modo loquuntur de aquæ ac de vini transsubstantiatione: *Vinum et aqua,* inquit Damascenus, *transmutantur in Sanguinem Christi*[1]. Atqui vinum transmutatur immediate; ergo et aqua vino mixta.

Ratio eorum est, quia vinum aqua mixtum est vinum usuale, sicut panis fermentatus apud Græcos est panis usualis; ergo sicut totus ille panis convertitur in Corpus Christi, quanquam fermentum seorsim sumptum non sit materia Eucharistiæ idonea, ita pariter totus ille Calix convertitur in Sanguinem.

Hinc Missale Roman. præscribit ut si Sacerdos immediate

[1] L. 4 *de Fide,* cap. 14.

ante consecrationem recordetur se non apposuisse aquam in Calice, tunc illam immediate ante consecrationem infundat; in quo casu aqua non potest prius in vinum, quam in Sanguinem Christi converti.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Innoc. III [1], expositis tribus opinionibus, quarum *prima* docet vinum et aquam converti in Sanguinem et aquam, quæ fluxerunt e latere Christi; *secunda, aquam cum vino transsubstantiari in Sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino; tertia,* aquam remanere in propria specie, circumfusam tamen vini accidentibus, asserit mediam probabiliorem esse; ergo, etc.

Resp. *Dist.* Asserit mediam esse probabiliorem *in se,* quatenus nimirum contendit aquam in Sanguinem converti, de quo solum consultus fuerat, *conc.;* esse probabiliorem in ratione qua fulcitur, quia nempe aqua in vinum transit mixta vino, *nego.* Noluit enim S. Pontifex solvere quæstionem philosophicam.

Inst. 1. Idem Pontifex ait [2]: *Quis ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* Ergo, etc.

Resp. *Dist. textum.* Quis ambigat aquam in vinum transire moraliter, *conc.;* physice, *nego:* moralis transitio est quoad species apparentes; physica est quoad substantiam.

Inst. 2. Concil. Flor. jussit ut vinum consecrandum aqua modicissima temperetur, ut habeat satis virtutis ad aquam in sui substantiam ante consecrationem convertendam; ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Non enim *aqua modicissima admisceri debet* juxta Concilium, ut vinum habeat satis virtutis ad convertendam aquam in sui substantiam; sed duplici ex causa: 1° ut melius significetur majestas Christi per vinum

[1] Cap. *Cum Marthæ,* de celebr. Missar. — [2] L. 4 *Myst. Missæ,* cap. 30.

designata, et fragilitas populi per aquam repræsentata [1]; 2° ne vinum, quod est materia necessaria consecrationis, per copiosam aquam substantialiter mutetur; est ratio D. Thomæ.

OBJICIES 2. Sola materia Calicis convertitur immediate in Sanguinem; atqui solum vinum est materia Calicis ex Flor. et Trid. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Materia enim Calicis est vinum usuale prout præscindit a vino puro, vel modica aqua temperato; utrumque autem est vinum usuale, sicut uterque panis azymus et fermentatus est panis usualis.

ARTICULUS III.

DE FORMA EUCHARISTIÆ.

Nota. Hic quatuor sunt resolvenda: 1° Utrum Christus sola benedictione interna consecraverit, vel verbis ad consecrandum usus fuerit; 2° Quænam verba essentialem Eucharistiæ formam constituant; 3° Quo sensu verba formæ a Sacerdotibus proferantur; 4° Quid significent pronomina *hoc* et *hic*.

CONCLUSIO I.

Christus consecravit verbis istis: Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus [2].

PROB. 1. *Ex SS. Patribus,* maxime Tertulliano, dicente [3]: *Acceptum panem, et distributum Discipulis, Corpus suum fecit dicendo: Hoc est Corpus meum;* et Ambrosio [4], sic disserente: *Quomodo panis potest esse Corpus Christi? Consecratione; consecratio autem quibus verbis est, aut cujus sermonibus? Domini Jesu... Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.*

[1] Ita Conc. Tiburiense, can. 12. — [2] Hæc propos. est contra Innocent. III, lib. 4 *Myster. Missæ;* Durandum, Catharin., Salmeron. — [3] Tertull., lib. 5 *contra Marcion.*, cap. 40. — [4] L. 4 *de Sacram.*, cap. 40.

PROB. 2. *Ex Conc. Flor.*, ubi dicitur : *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum : Sacerdos enim in persona Christi hoc conficit Sacramentum.*

PROB. 3. *Ratione.* Christus instituens Eucharistiam, Sacramentum ritu sacramentali perficere voluit; ergo usus est materia et forma sensibili, nempe pane tanquam materia, et verbis tanquam forma; Sacramentum enim fit necessario ex materia et forma.

DICES 1. D. Marcus institutionem Eucharistiæ referens ait[1] : *Et accepto Calice, gratias agens, dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est Sanguis meus novi Testamenti*, etc.; unde sic arguo :

Prius Apostoli panem Eucharisticum et Calicem sumpserant, quam dixisset Christus : *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Ergo non istis verbis, sed præcedente benedictione consecravit.

RESP. *Nego ant.* Verba enim ista : *et biberunt ex illo omnes*, ante prolationem istorum verborum : *hic est Sanguis meus*, dicta sunt a S. Marco per anticipationem, ut nempe præceptum Christi de sumendo Calice cum ejus executione conjungeret ; unde non est secutus ordinem narrationis, ut constat ex aliis Evangelistis et Apostolo.

INST. Conc. Trid.[2] dicit Christum *post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis* (Apostolis) *præbere ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatum esse ;* ergo per illa perspicua verba non effecit Corpus suum, sed per præcedentem benedictionem.

RESP. *Dist. textum.* Christus testatus est *disertis ac perspicuis verbis*, iisque practicis et operativis, *conc. ;* verbis speculativis, *nego;* Christus enim testando se suum præbere Corpus illud effecit, et Corpus efficiendo testatus est se illud Apostolis præbere.

[1] Marci 14, v. 23. — [2] Sess. 13, cap. 1.

CONCLUSIO II [1].

Ista omnia verba : Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, *vel* hic est Calix Sanguinis mei, *requiruntur et sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam.*

Prob. Verba quæ operantur præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, requiruntur et sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam ; atqui talia sunt verba supradicta: ergo omnia illa et sola requiruntur et sufficiunt, etc.

Prob. min. Verba illa omnia et sola præsentiam Corporis et Sanguinis Christi operantur, quæ omnia et sola illam perfecte significant (nam formæ Sacramentorum habent vim efficiendi quod significant); atqui omnia et sola verba supradicta in persona Christi prolata, significant perfecte præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ut per se patet. Ergo, etc.

Colliges: Ista verba: *qui pridie quam pateretur*, etc., non esse de essentia formæ, quia non sunt verba Christi, sed Evangelistæ narrantis actionem Christi, nec etiam particula *enim*, quæ est solum ex institutione D. Petri, volentis conjungere verba consecrationis cum præcedentibus.

Quantum ad hæc verba : *Accipite, manducate, et bibite, novi et æterni Testamenti*, sunt quidem verba Christi, sed non sunt de essentia formæ, quia non significant transsubstantiationem.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ista verba: *Hoc est Corpus meum*, etc., non requiruntur necessario ad constituendam essentialem formam Eucharistiæ ; ergo, etc.

Prob. ant. Multi Patres asserunt Eucharistiam oratione

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 222 et seqq.

consecrari. *Per precem Eucharistiam factum cibum sumimus*, ait Justin. [1]; ergo.

Resp. *Dist. ant.* Oratione indistincta a verbis Christi, *conc.*; distincta ab illis, *nego ant. et conseq.*

Patres itaque per *orationem et invocationem* intelligunt verba Christi, quæ sunt implicita oratio, quatenus Deum efficaciter movent ad effectum sacramentalem producendum. Sic D. Aug. [2] : *Quomodo*, inquit, *audit homicidam deprecantem, vel supra aquam Baptismi, vel supra oleum, vel supra Eucharistiam*, etc.

Inst. 1. Patres, Sancti Spiritus invocationem, per quam asserunt Eucharistiam consecrari a verbis evangelicis: *Hoc est Corpus meum*, distinguunt : invocationis verba, ait D. Basilius [3] *in ostensione panis Eucharistiæ, et poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? neque enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit, sed et ante et post, alia dicimus veluti magnum robur ad mysterium habentia, quæ ex doctrina scripto, non prodita nos accepimus* ; ergo.

Resp. *Nego ant.* Nam D. Basilius loquitur de tota Liturgia, nam ait : *ante et post* (verba evangelica) *alia dicimus*; quis porro dixerit totius Liturgiæ recitationem requiri ad consecrationis validitatem? loquitur ergo de consecrationis licitate, non de validitate: nimirum, ejus scopus fuit demonstrare Scripturam non esse solam fidei regulam, idque probat ex Liturgiis, in quibus multa sunt quæ, ob reverentiam illius mysterii, observari debent a ministris, quamvis in Scriptura nequaquam legantur.

Inst. 2. Gaudentius Brixiensis [4] ait: *Cum panem consecratum et vinum Discipulis suis porrigeret Dominus, sic ait: Hoc est Corpus meum*; ergo erat ante verba Christi consecratus per orationem.

Resp. *Dist. conseq.* Erat consecratus præparatorie, *conc.*;

[1] Apolog. 2. — [2] L. 5 *de Bapt.* — [3] L. *de Spiritu Sancto*, c. 27.

[4] Tract. 2 *in Exod.* refertur in *Bibl. PP.*, tom. V, p. 947.

formaliter, *nego conseq.* Loquitur autem Gaudentius de pane ad consecrationem præparato.

Objicies 2. In multis probatis Græcorum Liturgiis, post prolationem istorum verborum: *Hoc est Corpus meum,* adduntur preces quibus Sacerdos rogat ut panis fiat Corpus Christi; ergo Græci non supponunt consecrationem factam esse per hæc verba Christi: *Hoc est Corpus meum.*

Resp. *Dist. ant.* Adduntur preces, quibus Sacerdos rogat ut panis fiat Corpus Christi simpliciter, *nego; ut fiat communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, et non fiat in judicium et condemnationem, conc. ant.;* est ipsa responsio Græcorum, in Conc. Florent. sess. ult., qua audita Eugenius S. Pontifex Græcos *tanquam fratres in fide secum conjunctos* compellavit.

Inst. In Liturgia Div. Chrysostomi, Sacerdos post prolationem verborum Christi sic orat: *fac panem istum pretiosum Corpus Christi tui, transmutans Spiritu Sancto tuo;* ergo supponit nondum factam esse consecrationem, seu transmutationem panis in Corpus Christi.

Resp. *cum Arcudio* [1] Latinos sancti Chrysostomi verba male omnino reddidisse per ista: *fac panem... transmutans,* etc., sed debuerunt sic reddi juxta textum græcum: *fac ut panis, quem Spiritu Sancto tuo transmutasti in pretiosum Corpus Christi tui, fiat suscipientibus in salutem;* verbum enim Græcum μετέβαγον, est aoristus secundus præteriti temporis quod significat *mutasti,* non vero *mutans.*

Quod D. Chrysost. censuerit consecrationem fieri verbis Christi, constat ex ejus hom. *de Proditione Judæ,* ubi dicit: *Hoc est Corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur.*

[1] L. 3, c. 33.

CONCLUSIO III.

Verba consecrationis nec historice tantum, nec assertive tantum, sed historice et assertive simul a Sacerdote proferuntur.

Prob. prima pars. Illud dicitur *recitative* et *historice,* quod refertur tanquam ab alio dictum ; atqui verba consecrationis referuntur a Sacerdote tanquam a Christo dicta his verbis : *qui pridie quam pateretur, accepit panem,* etc.: ergo verba consecrationis dicuntur historice.

Prob. secunda pars. Illud dicitur *assertive,* quod dicitur cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem ; atqui verba consecrationis proferuntur a Sacerdote cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem ; proferuntur enim a Sacerdote in persona Christi, seu ut gerens personam Christi : ergo proferuntur assertive.

CONCLUSIO IV.

Pronomina hoc *et* hic *in forma Eucharistiæ, significant Corpus et Sanguinem Christi, sub confusa ratione rei contentæ, sub speciebus panis et vini in fine prolationis formæ consecratoriæ.*

Prob. Quia pronomina demonstrativa substantive posita in propositione practica, significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum ; atqui pronomina *hoc* et *hic* sunt substantive posita in propositione practica : ergo significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum ; atqui id quod existit in fine prolationis verborum consecratoriorum, est Corpus et Sanguis Christi : ergo pronomina *hoc* et *hic* significant Corpus et Sanguinem Christi tantum confuse, id est sub confusa ratione rei contentæ sub speciebus panis et vini, in fine prolationis formæ [1].

Alii dicunt : Verbum *hoc* et *hic* significant : *hoc enim* quod est cibus, *est Cor-*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In hac propositione: *Hoc est Corpus meum*, pronomen *hoc* demonstrat id quod præsens est, dum profertur; atqui id quod præsens est, dum profertur, est panis, et non Corpus Christi: ergo pronomen *hoc* demonstrat panem.

RESP. *Nego maj.* Nam in propositionibus practicis non demonstratur nisi id quod vi illarum fit, et nihil fit vi illarum nisi integre sint prolatæ, sed semel completæ significant distincte terminum *ad quem*, qui solus remanet, et quem ab initio prolationis confuse tantum significabant.

INST. 1. Pronomen *hoc* in propositione Christi aliquid clare et distincte significat; sed non significat distincte Corpus Christi; ergo significat solum panem.

RESP. *Nego maj.* Ratio est, quia pronomina in eo a nominibus differunt, quod hæc per se distincte et determinate aliquid significent; illa vero per se ac sola nihil determinate et distincte significent; debent ergo cum nominibus conjungi ut significatio clara sit et determinata; quare pronomen *hoc*, solitarie spectatum, nihil determinate significat, spectatum vero cum illis terminis propositionis, determinate significat Corpus Christi.

INST. 2. Si pronomen *hoc*, Corpus Christi significat, propositio ista: *Hoc est Corpus meum*, identica est et nugatoria; falsum consequens, ergo et antecedens.

RESP. *Nego maj.* Quia ut propositio sit identica, non sufficit ut idem sit prædicatum et subjectum, sed etiam requiritur ut sit idem significandi modus (alias omnes propositiones in quibus definitio prædicatur de definito, v. g., ista: *Homo est animal rationale*, essent identicæ); atqui in hac propositione: *Hoc est Corpus meum*, non est idem si-

pus meum; hic Calix, sive hic potus, est sanguis meus; omnis enim propositio in fine prolationis habet suam veritatem et suum effectum. Ita Suarez, Scotus, Sporer et alii communiter, apud S. Lig., lib. 6, n. 223, quær. 3, qui utramque sententiam vocat probabilem.*

gnificandi modus prædicati et subjecti : quod enim per pronomen *hoc* et *hic*, confuse significatur, per voces sequentes clare et distincte exprimitur: ergo propositio non est identica.

Objicies 2. In hac prop. : *Hic est Sanguis meus*, pronomen *hic* non sumitur substantive, id est non sumitur tanquam subjectum propositionis, de quo aliud prædicatur; ergo. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. In hac prop. : *Hic est pater meus*, pronomen *hic* non sumitur substantive, sed adjective; ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia in hac propositione : *Hic est pater meus*, subintelligitur in subjecto *homo*; sed in altera propositione nullum in subjecto substantivum subintelligitur, sed pronomen *hic* accipitur pro contento sub specie vini confuse sumpto.

ARTICULUS VI.

DE RE IN EUCHARISTIA CONTENTA.

Præsentem quæstionem tribus absolvemus paragraphis, in quorum *primo* expendemus an Corpus et Sanguis Christi vere ac realiter ponatur in Eucharistia; in *secundo*, quomodo Christus ponatur Eucharistia, an per impanationem, vel per consubstantiationem, vel tandem per transsubstantiationem; in *tertio*, quomodo Christus sit in Eucharistia; quibus addemus *quartum*, de remanentibus in Eucharistia speciebus.

§ I.

Utrum in Sacramento Eucharistiæ vere et realiter contineatur Corpus et Sanguis Christi ?

Nota. Qui realem præsentiam negarunt, vocantur *Sacramentarii*, et sunt :

1° *Joann. Herigena*, natione Scotus, qui IX° labente sæcula docuit *Sacramenta altaris non esse verum Corpus et*

verum Sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri Corporis et Sanguinis[1].

2° *Berengarius*, Andegavensis Ecclesiæ archidiaconus, qui hanc hæresim ex lectione libri a Joanne Scoto haustam et latius diffusam, retractavit in Concilio Romano[2].

3° *Petrus de Bruis*, a quo *Petrobusiani*, et Henricus ejus discipulus, a quo *Henriciani*, qui XII° sæculo docuerunt Eucharistiam esse merum signum Corporis et Sanguinis Christi.

4° *Carlostadius*, archidiaconus Wittembergensis; Zuinglius, Œcolampadius et Bucerus scripserunt contra realem Christi præsentiam in Eucharistia, XVI° sæculo.

5° Denique Calvinus, qui eodem sæculo XVI° asseruit non aliam esse præsentiam quam figuratam, objective per fidem, vel virtutem a Christo diffusam, ad quam fraudem elidendam Concilium Tridentinum definivit Christum *vere, realiter* ac *substantialiter* in Eucharistia præsentem esse; itaque

CONCLUSIO.

In Sacramento Eucharistiæ, vere, realiter *ac* substantialiter *continetur Corpus et Sanguis Christi.*

Hæc prop. a Trid.[3] sancita his verbis: *Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit,* probatur ex triplici capite: nimirum ex verbis promissionis, ex verbis institutionis, ex traditione Patrum et Conciliorum.

PROB. 1. *Ex verbis promissionis*[4], ubi Christus ait: *Panis*

[1] Ita refert Hincmar., L. 1 *de Prædest.*, c. 31. — [2] Sub Greg. VII.

[3] Sess. 13, can. 1.

[4] Joan. 6. * Solent plerique interpretes Catholici totum hoc caput sextum S. Joan. in tres dividere partes, quarum *prima*, a v. 1 ad v. 26, referat miraculum

quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ... nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ... caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, etc. Ex his sic argumentor :

Promissio Christi in proprio sensu debet accipi, cum nulla sit necessitas eam detorquendi in sensum metaphoricum ; atqui promissio Christi in sensu proprio accepta, significat realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia ; ergo Christus est vere et realiter præsens in Eucharistia.

Prob. maj. Quia si hæc promissio in sensu spirituali et metaphorico intelligi debuisset : 1° ex verbis Christi non fuissent offensi et scandalizati tum Judæi, tum Discipuli Christi, intelligentes Christum loqui de reali manducatione corporis sui ; 2° Christus, ad tollendum scandalum ex suis verbis ortum, mentem suam de præsentia metaphorica, et spirituali manducatione clare aperuisset ; atqui ex verbis Christi fuerunt scandalizati tum Judæi, de quibus dicitur

quo quinque panes Christus multiplicavit in deserto ; *secunda* vero, a v. 27 ad v. 50, in qua non est, inquiunt, sermo de Eucharistia, sed de incarnatione Verbi ac fide in Christum, quam metaphorice cibum appellant ; *tertia* denique, a v. 51 ad finem capitis, quæ contineat promissionem de Eucharistia. Verum omnibus perpensis, longe verisimilior est expositio S. Cyrilli Alex. et Theophylacti, qui etiam secundam partem referunt ad Eucharistiam, ut patet ex contextibus. Post enim multiplicationem panis, Christus Judæos ad excellentiorem cibum provocat, scilicet ad SS. Eucharistiam : *operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis...* Ut autem id assequatur, ostendit illis necessitatem fidei in suam divinitatem, quum ipse solus Deus talem cibum et promittere et præbere possit, quo facto, v. 53, iterum ad promissionis sermonem redit.

Alias enim nulla rationabilis institui potest series sermonis Christi inter secundam et tertiam partem. Illa vero explanatione semel admissa, corruunt præcipuæ difficultates, quibus Protestantes urgent expositionem Catholicam in secunda parte hujus sermonis, et evanescit discrepantia quæ viget inter Catholicos interpretes in assignando præcise sermonis Christi transitionem a fide ad realem manducationem corporis sui (Ita etiam R. P. Perronne, *de Euch.*, (p. 1, cap. 1, § 1, in nota *a*). *

v. 52 : *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* tum Discipuli Christi, de quibus refertur v. 61 : *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* et v. 67. *Multi discipulorum abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant;* nec Christus hanc illorum opinionem correxit, imo juramento confirmavit, dicens Judæis : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Discipulis vero : *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* (Subintellige quid dicetis?) Ergo promissio Christi de reali et orali manducatione debet intelligi.

PROB. 2. Ex verbis institutionis : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus :* quæ verba in sensu proprio clare significant realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini; in sensu autem proprio sumenda esse constat :

1° Ex hac regula ab Aug. tradita [1] et ab ipsismet hæreticis recepta, nempe : *Verba Scripturæ sensu proprio et naturali debent intelligi, quando nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut fidei, aut aliis ejusdem Scripturæ testimoniis clarioribus;* atqui laudata verba: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut aliis Scripturæ verbis clarioribus : ergo debent accipi in sensu proprio, naturali et obvio. Fatentur adversarii nihil esse in istis verbis contrarium bonis moribus, cum ex eis sequatur potius divinæ misericordiæ et omnipotentiæ commendatio; ideo

Prob. secunda pars min. Nempe verba illa : *Hoc est Corpus meum,* nihil continere quod repugnet fidei et aliis Scripturæ verbis clarioribus ; nullum enim textum hactenus protulere novatores contrarium præsentiæ reali, nec ullus afferri potest : imo in asseverandam præsentiam realem

[1] L. 3 *de Doctrina Christiana*, cap. 10.

conspirant omnes Evangelistæ et D. Paulus, qui, Eucharistiæ institutionem referentes, nullum sensus figurati indicium dederunt, sed semper usi sunt istis verbis: *est, corpus, sanguis*. Ergo, etc.

2. Quia sensus metaphoricus ex triplici capite intelligi potest: 1° *Ex usu hominum recepto*, quomodo imago Cæsaris dicitur Cæsar; charta geographica Lotharingiæ, dicitur Lotharingia, quia ex usu recepto et cognito destinantur ad repræsentandum Cæsarem et Lotharingiam. 2° *Ex contextu sermonis:* sic Apostoli Christum dicentem se esse vitem, figurate loqui cognoverunt ex contextu sermonis, ubi eosdem vocat palmites [1]. Sicut enim sentiebant se non esse proprie palmites, ita facile colligebant Christum non esse proprie vitem. 3° *Ex ipsius expositione loquentis*, quando supra laudatis indiciis sensus figuratus non potest deprehendi, sic cum Christus dicit [2]: *Attendite a fermento Pharisæorum*, subjungit, *quod est hypocrisis*.

Atqui ex nullo horum capite potest colligi sensus figuratus in hac Christi propositione: *Hoc est Corpus meum*.

1° *Non ex communi usu loquendi;* namque panis ex recepto usu loquendi non est destinatus ad significandum corpus Christi, ut, demonstrato pane, possit dici: *hoc est corpus meum*.

2° *Non ex contextu sermonis;* nihil enim est in antecedentibus et consequentibus ex quo possit colligi Christum figurate locutum fuisse; imo Apostolus postquam retulit institutionem Eucharistiæ inde concludit ea quæ necessario realem præsentiam Corporis et Sanguinis supponunt, dicens: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit*, non figuræ corporis et sanguinis, sed *reus erit corporis et sanguinis Domini* [3].

3° *Non ex ipsius loquentis expositione*, quia de facto nulla est, ut legenti Evangelium patebit.

[1] Joan. 15, v. 5. — [2] Lucæ 12, v. 1. — [3] 1 Cor. 11, v. 27.

Ergo ex nullo capite potest colligi hæc verba : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* figurate a Christo dicta fuisse.

Prob. 3. *Ex perpetua et constanti traditione,* cujus testes sunt Patres, Concilia, Liturgiæ, vel etiam ipsæ sectæ christianæ, imo et Ethnicorum calumniæ; ex innumeris textibus qui proferri possunt et proferuntur a controversistis, hi sufficiant.

1° Concil. Nicænum I [1] : *Intelligamus situm in illa sacra mensa, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, et pretiosum ejus corpus et sanguinem vere sumentes credamus, hæc esse nostræ redemptionis symbola.*

Conc. Nicænum II [2] : *Liquido monstratum est quod nusquam Dominus, vel Apostoli aut Patres imaginem dixerunt, Sacrificium sine sanguine, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem.* Quid expressius contra Calvinistas?

Brevitatis gratia omittimus Concilia : Romanum, sub Gregorio VII, contra Berengarium ; Viennense in decreto de festo Corporis Domini ; Constantiense contra Wiclefum ; et Florent., in quibus realis præsentia fuit declarata et definita. Ut deveniamus ad testimonia Patrum,

2° D. Cyprian. [3] : *Panis iste non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro.*

S. Cyrillus Jerosolym. [4] postquam retulit institutionem Eucharistiæ, sic prosequitur : *Cum igitur Christus sic affirmet, atque dicat de pane : Hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?... quare cum omni certitudine corpus et sanguinem Christi sumanus : nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis et sanguinis.*

S. Damascenus [5] ait : *Domino dicente : Hoc est Corpus*

[1] L. 3 de *Sacra Mensa.* — [2] Act. 6. — [3] *De Cœna Domini.*
[4] *Catech.,* Mistag. 4. — [5] L. 4 *de Fide,* c. 24.

meum, non figura corporis, sed corpus; et non figura sanguinis, sed sanguis.

Theophylactus [1]: *Non enim dixit: hoc est figura, sed: hoc est corpus meum. Panis quidem apparet, sed caro est.*

S. Hilarius [2]: *Ipse enim ait: Caro mea vere est esca... de veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus.*

3° Liturgiæ omnes, quæ ante sæculum XI in lucem prodierunt, in eo conveniunt, ut adstruant realem Christi præsentiam [3]; unde sic: Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus Ecclesiis fuit custoditum et in usu quotidiano retentum, ab Apostolis traditum fuisse credendum est; atqui, etc.

4° Omnes sectæ, sive hæreticæ, sive schismaticæ, eæque antiquissimæ, cujusmodi sunt Marcosiani, Nestoriani, Eutychiani, Armeni, Syri Jacobitæ, schismatici Græci, etc., realem præsentiam hactenus professi sunt; unde sic: vel illud dogma secum asportarunt sectæ quando ab Ecclesia Catholica exierunt, vel post suam defectionem sibi invenerunt; atqui *posterius* dici nequit: 1° quia inventionis hujus nec auctor, nec tempus, nec locus, nec causæ ullæ assignari possunt; 2° quia repugnat supponere vel omnes sectas et Ecclesiam Catholicam seorsim illud dogma sibi invenisse, vel illud ab una omnes alias mutuasse. Restat ergo quod illæ sectæ veritatem realis præsentiæ tanquam paternam hæreditatem asportaverint; ergo illud dogma semper viguit in Ecclesia Catholica.

5° Pagani, ex confusa idea quam habebant de mysteriis nostris circa præsentiam realem, Christianis intentabant infanticidii et anthropophagiæ accusationem, teste Tertulliano [4] dicente: *Sceleratissimi de Sacramento infanti-*

[1] In cap. 6 *Matt.* — [2] Lib. 8 *de Trinitate*, ante medium.

[3] Conf. Lebrun, *Explication de la Messe.* — Card. Bona, *de Rebus liturgicis*, lib. 1, cap. 8 et seqq. — Auct. *Perpetuitatis fidei*, tom. III, lib. 8.—Thomassin. tom. I, p. 1, *de Liturgiis et Psalm. antiq.* — Asseman., *de Liturgiis Eccl. universæ.*—Mabillon., *Muratorium Renaudotium*, etc. — [4] *In Apol.*, cap. 7.

cidii accusamur, et pabulæ inde, et post convivium incesto. Porro, si Christiani tunc temporis non agnovissent cum Protestantibus nisi *nudum symbolum, vel typum, vel figuram,* quo pacto sub alto silentio, licet cum discrimine vitæ mysterium occultarunt? Nonne ad repellendum calumniam et furorem populi sedandum, statim reposuissent solum panem ac corporis figuram in eo Sacramento manducari? Imo, nisi hoc fecissent, et accusationem infanticidii, et sævas persecutiones inde natas, et martyrum supplicia cohonestare quodammodo visi fuissent, et in se noxam tantorum scelerum refudissent. Ergo, etc. *

Ex his omnibus constat dogma præsentiæ realis semper creditum fuisse in Ecclesia; ergo ab Apostolis traditum, ideoque verum et a Deo revelatum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA PRIMAM PROBATIONEM.

Objicies 1. Christus, cap. 6. Joannis, non loquitur de orali et sacramentali Eucharistiæ manducatione, sed tantum de spirituali, ac per fidem in Christum incarnatum; ergo inefficax est nostra prima probatio.

Resp. *Nego ant.* Nam in cap. 6. Joann. tres sunt partes distinguendæ: in prima, a versu primo ad vigesimum quintum, agitur de cibo materiali, nempe de multiplicatione quinque panum, quibus in deserto saturati sunt quinque millia hominum; in secunda, a versu vigesimo quinto ad versum quinquagesimum secundum, agitur de cibo mere spirituali, nempe de fide in Christum incarnatum; in tertia, a versu quinquagesimo secundo usque ad finem capitis, agitur de manducatione orali et sacramentali carnis Christi in Eucharistia.

Inst. 1. Atqui Christus, in tertia parte citati capitis, aperte significat se loqui de spirituali suæ carnis manducatione; ergo.

Prob. subsumpt. Christus exponens quo sensu dixerit: *Caro mea vere est cibus,* etc., ait : *Spiritus est qui vivificat, caro*

non prodest quidquam. Ergo locutus est de spirituali manducatione suæ carnis.

RESP. 1. *Nego conseq.* Christus enim illis verbis non loquitur de carne sua, sed de hominibus carnaliter sentientibus, ut docet D. Chrysost. dicens[1] : *Quomodo igitur ait : Caro non prodest quidquam ? non de sua carne dicit, absit, sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.* Unde sensus verborum Christi est : spiritus Dei est qui dat fidem et intelligentiam, homo carnaliter sentiens non potest percipere divina mysteria, quem sensum indicant verba Christi sequentia: *verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Hoc est, sunt de rebus spiritualibus et ad animæ vitam conferentibus, non vero de rebus carnalibus et caducis, ut exponit ibidem S. Chrysostomus.

RESP. 2. Si Christus de sua carne loquatur, *distinguo :* caro non prodest quidquam, si sola fuerit et a spiritu vivificante sejuncta, quomodo Capharnaitæ concipiebant, *conc.;* caro unita cum spiritu vivificante, id est cum divinitate, *nego.* Solutio est D. Aug. dicentis[2] : *Caro non prodest quidquam, sed sola caro : accedat spiritus ad carnem et plurimum prodest, nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret ut habitaret in nobis.*

INST. 2. Nonnulli ex sanctis Patribus exponunt caput sextum Joannis de sola manducatione Christi per fidem; ergo.

RESP. *Nego conseq.* Quia si quando Patres exponunt mystice verba Christi, non excludunt sensum litteralem, qui realem et sacramentalem corporis et sanguinis Christi manducationem exhibet.

INST. 3. Atqui Patres exponunt verba Christi de manducatione per fidem, etiam excludendo oralem et sacramentalem; ergo nulla solutio. RESP. *Nego subsumptum.*

Prob. subsumpt. D. Aug.[3] exponens caput sextum Joannis. ait : *Ut quid paras dentes et ventrem ? crede et manducasti.*

[1] Hom. 46 *in Joan.* — [2] Tr. 27 *in Joan.* — [3] Tr. 25 *in Joan.*

Ergo caput sextum Joannis exponit de manducatione metaphorica.

RESP. *Nego conseq.* Quam proterva fide Albertinus deducit ex textu D. Augustini, qui ibi non exponit ultimam partem capitis sexti Joannis, quæ sola est de Eucharistia, sed versum 29 illius capitis: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille,* qui est de fide in Christum, quam Christus dixit: *opus Dei.* Ad Eucharistiam ergo non pertinent verba objecta, quia ibi non loquitur de manducatione dominici Corporis, nec negat ad illud suscipiendum recte parari os et ventrem, cum [1] *dicat,* ore suscipi, non corde tantum, *mediatorem Dei et hominum Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere.*

INST. 4. Atqui D. Aug. exponens tertiam partem sexti capitis Joannis, illam explicat de manducatione figurata, ait enim [2]: *Hæc locutio: Nisi manducaveritis,* etc., *facinus vel flagitium videtur jubere; figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.* Ergo tertiam partem sexti capitis Joannis explicat de manducatione figurata.

RESP. *Nego ant.* Ad prob. *dist.*; hæc locutio: *Nisi manducaveritis*, etc., facinus vel flagitium videtur jubere, si sumatur sensu Capharnaitico, *conc.*; si sumatur sacramentaliter ad sensum D. Aug. et omnium Catholicorum, *nego ant.*; est enim vera carnis Christi manducatio, veraque sanguinis ejus sumptio, sed incruento, invisibili et impassibili modo, non cruento Capharnaitarum modo.

Istam pariter *dist.* Div. Doctoris propositionem: *figura est* vacua et inanis excludens rei veritatem, *nego*; figura

[1] Lib. 3 *Contra advers. Legis et Prophetarum*, cap. 9.

[2] L. 3 *de Doct. Christiana.*

plena continens rei veritatem, *conc.;* loquitur enim D. Aug. de speciebus quæ realiter continent corpus et sanguinem Christi: se enim explicat Aug.[1]: *Corpus Christi et Sanguis ex panis et vini substantia efficitur, figura vero est illud quod exterius sumitur.*

Inst. 5. Idem Augustinus ibidem inducit Christum dicentem: *Spiritualiter intelligite quod locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis.*

Resp. *Dist. ant.* Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis quoad modum manducandi in propria specie, *conc.;* quoad substantiam, *nego.* Unde D. Doctor per ly *spiritualiter* excludit modum Capharnaiticum manducandi corpus Christi in propria specie; non vero modum manducandi realiter et sacramentaliter, id est sub speciebus panis et vini. Sic enim sese explicat[2], dicens: *Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Ille namque sensus est, qui Judæos et quosdam discipulos turbavit.

OBJECTIONES CONTRA SECUNDAM PROBATIONEM.

Objicies 1. Hæc propositio: *Hoc est Corpus meum,* est figurata; ergo non significat realem præsentiam Christi in Eucharistia.

Prob. ant. Hæc prop. Christi de Joanne dicentis: *Ipse est Elias*[3], est figurata; ergo et ista: *Hoc est Corpus meum.*

Resp. *Nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia Christus interpretationis causa dixit Joannem fuisse Eliam *spiritu et virtute;* nullibi autem exposuit se non fuisse locutum proprie, quando dixit: *Hoc est Corpus meum.* Imo addens: *quod pro vobis tradetur, et qui pro vobis effundetur,* se idem Corpus, eumdem Sanguinem in Eucharistia comedendum ac bibendum dare, quod pro nobis morti tradendum, et qui pro multis effundendus erat; atqui verum et proprium corpus pro nobis ad mortem obtulit, non figuram corporis;

[1] Tr. 25 *in Joan.* — [2] Tr. 27 *in Joan.* — [3] Matth. 11, v. 24.

verum propriumque sanguinem, non figuram sanguinis. Ergo, etc.

Inst. 1. In hac prop.: *Hoc est Corpus meum*, prædicatum repugnat subjecto; ergo hæc prop. figurate est accipienda.

Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. In hac prop.: *Hoc est corpus meum*, subjectum est panis; atqui repugnat panem esse corpus Christi: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam pronomen *hoc* non significat panem, sed significat confuse rem contentam sub speciebus panis, in quo nulla est repugnantia.

Inst. 2. Pronomen *hoc* significat quod Christus tenebat præ manibus; sed panem tenebat præ manibus; ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Significat quod Christus tenebat præ manibus, completa, propositione, *conc.*; ante completam propositionem, *nego maj.* Christus autem, completa propositione, Corpus suum, non panem habebat præ manibus; propositio enim Christi fuit practica, efficiens quod significabat.

Objicies 2. In ista prop.: *Hoc est Corpus meum*, verbum *est* usurpatur pro *significat*; ergo hæc propositio est figurata.

Prob. ant. Gen. 41 dicitur: *Septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*, ubi *sunt* sumitur pro *significant*; ergo similiter, etc.

Resp. *Nego ant.* Ad prob. *nego conseq.* Disparitas est, quod in primo textu sit manifesta repugnantia inter prædicatum et subjectum, neque enim spicæ possunt esse anni; in secundo autem nulla est repugnantia, sed perfecta identitas.

Objicies 3. Dogma præsentiæ realis conciliari non potest cum multis aliis Scripturæ testimoniis; ergo.

1° Christus ait [1]: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum mittitur*; atqui impium est id de vero Christi corpore affirmare: ergo, etc.

[1] Matth. 15, v. 17.

2° Christus dicit Apostolis [1]: *Semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habebitis.*

3° Marci cap. ultimo : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei;* atqui Corpus Christi naturale non potest esse simul in pluribus locis distinctis.

4° Act. 17 : *Deus non in manufactis templis habitat;* atqui Christus est Deus: ergo non est inclusus in templis singulis, ubi asservantur hostiæ consecratæ.

5° Matth. 24 : *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere;* ergo non est credendum Christum esse realiter in Eucharistia.

Resp. ad primum. *Dist. textum.* Omnis cibus communis, *conc.;* cibus eucharisticus, *nego.* Christus itaque loquitur de cibis ordinariis et communibus qui ad corporis nutritionem destinantur; non vero de cibo eucharistico, qui, licet in os intret et in stomachum transmittatur, non tamen in secessum emittitur, quia desinit esse eucharisticus cum species corruptæ sunt; corrumpuntur autem in stomacho, et sub illis desinit esse Christus, unde si aliqua sit indecentia, tota est penes accidentia.

Resp. ad secundum. *Disting. Me autem non semper habebitis,* visibiliter et secundum eum statum in quo utilitatis aliquid corporalis percipere ab hominibus possim, *conc.;* invisibiliter per reproductionem sub speciebus panis et vini, *nego;* ait enim Christus: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Resp. ad tertium. *Concessa maj., dist. minorem.* Corpus Christi non potest esse simul in pluribus locis distinctis, eodem modo, *conc.;* diversimode, *nego;* est enim in cœlo modo visibili, extenso et naturali, et in Eucharistia modo invisibili, inextenso et sacramentali, quæ non pugnant inter se.

Resp. ad quartum. *Dist.* Deus purus spiritus non in manufactis templis habitat, *conc.;* licet enim sit ubique, nihi-

[1] Matth. 11. 26, v

lominus vere dicitur non habitare in templis manufactis, id est, illis non coarctari sicut falsa hominum numina; Deus homo factus, *nego*.

RESP. AD QUINTUM. *Nego conseq*. Ibi enim Christus nos præcise monet, ut impostores caveamus, qui se Christum vel Prophetas mentientur.

OBJECTIONES EX PATRIBUS.

OBJICIES 1. Tertullianus asserit[1] Christum *in pane Corpus repræsentasse;* ergo exhibuit corpus suum tantum in figura.

RESP. *Nego conseq*. Verbum enim *repræsentare*, non semper significat rei absentis figuram et imaginem, sed quandoque significat rem in substantia præsentem, quo sensu ipse Tertullianus[2] hoc verbum adhibuit, loquens de Christo transfigurato in monte Thabor. *Itaque*, inquit, *jam eum repræsentans, hic est Filius meus dilectus;* id est, jam eum exhibens.

INST. Idem[3] ait : *Acceptum panem et distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit*, hoc est Corpus meum *dicendo, id est, figura corporis mei*. Ergo in Eucharistia est sola figura corporis Christi.

RESP. *Nego conseq*. Ista enim verba : *figura orporis mei*, non cadunt supra *corpus meum*, sed cadunt supra *acceptum panem ;* itaque Tertullianus agebat contra Marcionem, qui contendebat Christum fuisse contrarium Auctori veteris Testamenti, quem refellit ostendens Christum figuras veteris Testamenti adimplevisse, quando scilicet panem, qui apud Jeremiam fuit figura corporis sui, reipsa fecit corpus suum dicendo : *Hoc est Corpus meum ;* unde cum panem vocat figuram, attendit ad vetus Testamentum, non ad novum, nam addit : *Figura enim non fuisset* (in *præterito*), *nisi veritatis esset corpus*. Non dicit : *figura non esset,* ut demons-

[1] L. 1 *contra Marcion.*, cap. 14. — [2] L. 4 *contra Marcion.* — [3] L. 4 *contra Marcion.*, cap. 40.

tret per figuram se non intelligere Eucharistiam, sed dicit : *non fuisset*, olim scilicet in veteri lege, *nisi veritatis esset corpus*, id est, nisi figuræ veritas succederet.

OBJICIES 2. S. Ambrosius[1] ait *Christum hic offerri in imagine, in Cœlo autem in veritate;* ergo Christus non realiter offertur in Eucharistia.

RESP. *Nego conseq.* Cum dicit Christum offerri *in imagine*, id est, sub speciebus panis et vini; cum dicit Christum *offerri in Cœlo in veritate*, id est, revelata facie, quæ nullo modo officiunt præsentiæ reali Christi in Eucharistia.

OBJICIES 3. D. Aug. ait[2] : *Corpus Christi verum non frangitur, igitur verus est panis qui sumitur, cum Eucharistia sumitur;* ergo corpus Christi non est in Eucharistia.

RESP. *Dist. textum.* Verus est panis quoad species, *conc.*; quoad substantiam, *nego ;* cum enim corpus Christi sit incorruptibile, non potest frangi in se, sed tantum in speciebus panis et vini.

OBJICIES 4. Multi Patres cum Augustino asserunt *impios non manducare corpus Christi in Eucharistia;* ergo.

RESP. *Dist.* Non manducare utiliter, *conc.;* quia rem sacramenti non recipiunt; non manducare realiter, *nego.*

* *Nota.* Ultra metas huic compendioso operi præfixas longius excurrendum esset, si omnia quæ ex Patribus contra dogma catholicum congerunt adversarii, et referre et refellere vellemus. Cum vero fere omnes illorum difficultates, ex nonnullorum verborum ambiguitate, quibus veteres interdum usi sunt, enascantur, solent auctores quasdam regulas generales proponere, quarum ope, omni æquivocatione sublata, probe intelliguntur.

Regula prima. Quando SS. Patres vocant Eucharistiam aliquo nomine particulari, nihil reali præsentiæ detrahere præsumunt. Sic 1° vocant illam, *signum, figuram, similitudinem, imaginem, symbolum*, etc., tum ratione *specierum* panis et vini; tum ratione *corporis* mystici Christi, quod

[1] L. 1, *de Divinis Officiis*, cap. 48. — [2] Lib. 3 *de Trinit.*

est Ecclesia; tum ratione *corporis* Christi in cœlo, ubi nulla tegitur specie; tum ratione *realitatis* corporis Christi, quod per figuram exteriorem exhibetur. Sic 2° dicunt *typum* eodem sensu ac dicitur figura, etc. rei præsentis. Quatenus vero typus sumitur pro signo rei absentis, sancti Patres semper negarunt Eucharistiam vocari typum vel symbolum. Sic 3° dicunt *antitypon*, vel *antitypum*, id est figurantem et figuratum, significantem et significatum, propter quod aliquando Sancti Patres negant sacramentum esse Corpus et Sanguinem Christi, quia strictiori sensu non corpus est Christi, sed ipsæ species sunt Sacramentum, typus, aut symbolum rei latentis.

Secunda regula. Hoc Sacramentum dicitur *panis*, et, tum in Scriptura, tum a SS. Patribus, in sensu quem in definitione explicavimus.

Tertia regula. Nono sæculo disputabant scriptores utrum in Eucharistia idem esset corpus quod natum est ex B. V., passum, crucifixum et in Cœlos ascensum. Jam vero dissidium non erat de substantia, sed de *statu et affectionibus*, negabant enim quidam idem esse corpus Christi quoad statum et affectiones, licet agnoscerent idem esse quoad substantiam.

Quarta regula. Quum nonnulli Patres ita commendant manducationem spiritualem, ut aliam videantur excludere, intendunt repellere tantum manducationem cruentam et Capharnaicam, vel volunt realem manducationem sine spirituali et invisibili, quæ fit cum fide et charitate, nihil prodesse.

Quinta regula. Interdum nonnulli Patres tria distinguunt in Eucharistia, rem scilicet *externam*, seu species; rem *internam*, seu substantiam, et *mysticas significationes*; porro, hæc tria distinguentes, negant rem externam esse corpus Christi; leviter tangunt rem internam quatenus Christianis bene notam, et ad allegoricas seu mysticas se convertunt significationes.

Sexta regula. Quidam etiam parce et subobscure locuti sunt propter disciplinam arcani, ne mysteria in vituperium verterentur, quod semper ob oculos habendum est, cum illius temporis scripta leguntur.

Septima regula. Quando SS. Patres dicunt corpora nostra nutriri, augeri, consistere corpore Christi, id intelligunt vel in sensu improprio ratione specierum, vel non de nutrimento corporis transitorio sicut de cibo communi, sed de nutrimento et augmento permanente, quatenus corpus Christi in nobis semen incorruptum immortalitatis deponit.

Octava regula. Ad SS. Patrum genuinum sensum assequendum, necesse est attendere ad scopum quem sibi proponebant. Nam diverso modo de SS. Eucharistia locuti sunt, quia sub diverso respectu illam considerarunt, prout scopus ab illis intentus postulabat. Nimis enim ridiculum foret, aut prætendere Patrem extra quæstionem sub lite positam excurrere debuisse, aut sua verba, ex circumstantiis perpendenda, in alium sensum detorquere. *

OBJECTIONES A RATIONE PETITÆ.

* *Nota.* Omnes ex philosophia objectiones via exceptionis exploduntur. Etenim contradictio est repugnantia inter duos terminos : unde illius perceptio notitiam terminorum importat. Ratio ergo nequit contradictionem in Eucharistia signare ; terminorum enim illius, nempe naturæ corporalis, corporisque gloriosi et sacramentalis, naturam ignorat. *

OBJICIES 1. Christus Eucharistiam instituit in sui commemorationem, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem ;* ergo non est præsens in Eucharistia. RESP. *Nego conseq.*

Prob. conseq. Commemoratio est rei absentis et præteritæ ; ergo si Christus instituit Eucharistiam in sui commemorationem, non est præsens in Eucharistia.

RESP. *Nego utramque conseq.* Equidem Eucharistia est commemoratio rei prœteritæ et absentis, passionis nempe

et mortis Christi, juxta illud Apostoli[1] : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* sed hoc non impedit talem præsentiam Christi in Eucharistia.

INST. Ergo Christus est commemoratio sui ipsius; falsum consequens. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Eadem enim res potest sub diverso statu excitare sui ipsius memoriam sub alio; sic Christus realiter præsens sub diversis panis et vini speciebus, est commemoratio sui ipsius ut patientis et morientis in Cruce.

OBJICIES 2. Præsentia corporis Christi in Eucharistia est contra pietatem Deo debitam ; ergo ... RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. Præsentia talis exponit corpus Christi multis profanationibus, v. g. putredini, corrosioni, etc. ; ergo.

RESP. *Nego ant.* Hæc enim non cadunt in corpus Christi, sed in accidentia panis et vini; nam, ut supra jam diximus, corpus Christi in Eucharistia est impassibile.

ARTICULUS II.

DE MODO QUO CHRISTUS PONITUR IN EUCHARISTIA.

Nota 1. Triplex excogitari potest modus quo corpus et sanguis Christi vere ac realiter præsens fiat in Eucharistia, nempe : impanatio, consubstantiatio, et transsubstantiatio.

Impanatio est unio hypostatica Verbi divini cum pane, eo fere modo quo ipsum Verbum per incarnationem humanæ naturæ fuit unitum; ideoque veri impanatores non Corpus Christi, sed tantummodo Verbum divinum in Eucharistia admittunt[2].

Consubstantiatio est simultanea panis et Corporis Christi præsentia in Eucharistia; hanc admittit Lutherus, quam videtur etiam admisisse Durandus[3].

Transsubstantiatio, juxta Trid. [4], est *mirabilis et singu-*

[1] I Cor., cap. 11, v. 26. — [2] Impanationis primus auctor fuit Rupertus, abbas Tuitiensis. — [3] In 4, dist. 21, q. 3. — [4] Sess. 13, can. 2.

laris conversio ipsius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem(Christi), *manentibus duntaxat speciebus panis et vini.*

Nota 2. Hic duo sunt resolvenda: *primum,* per quem modum Christus ponatur in Eucharistia; *secundum,* per quam actionem panis et vinum convertantur in Corpus et Sanguinem Christi, an scilicet actio illa sit simplex adductio rei jam productæ; vel an sit nova reproductio corporis Christi. *Primum* pertinet ad fidem; *secundum,* ad opinionem scholæ. Itaque

CONCLUSIO I.

Eucharistia non conficitur per impanationem, nec consubstantiationem, sed per transsubstantiationem.

PROB. PRIMA PARS. Impanatio est hypostatica unio Verbi divini cum pane; atqui Christus non ponitur in Eucharistia per unionem hypostaticam Verbi divini cum pane, alias non esset *conversio,* et veræ essent illæ propositiones: *panis est Corpus Christi, Corpus Christi est panis,* quod est falsum. Ergo, etc.

DICES : D. Joan. Damasc.[1] : *Christus conjugavit pani et vino divinitatem, et fecit ea corpus et sanguinem suum: et ita panis communicationis non est panis simplex, sed unitus divinitati;* atqui communicatio est rerum actu existentium: ergo panis et vinum simul sunt cum corpore et sanguine Christi.

RESP. cum D. Th.[2] *quod Deus conjugavit divinitatem suam, id est divinam virtutem, pani et vino, non ut remaneant in illo sacramento, sed ut faciat inde corpus et sanguinem suum.*

PROB. SECUNDA PARS. Si in Eucharistia panis remaneret cum corpore Christi, panis non converteretur in corpus Christi; atqui de fide est totam substantiam panis converti

[1] L. 4, *de Fide.* — [2] 3 p., q. 75, a. 2, ad. 1. — [3] Matth. 26, v. 26.

in corpus Christi : ergo et de fide est panem non remanere in Eucharistia.

PROB. TERTIA PARS. Ex verbis Christi[3] : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*. Quæ verba, fatentibus Lutheranis, demonstrant corpus et sanguinem Christi, non vero solam illorum figuram et imaginem ; unde sic arguo :

Si substantia panis et vini non convertatur in corpus et sanguinem Christi, hæc verba : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, erunt falsa; falsum consequens ; ergo, etc.

Prob. sequela majoris. Si substantia panis et vini non convertatur in corpus et sanguinem Christi, sensus illorum verborum hic erit: *Hic panis est corpus meum, hoc vinum est Sanguis meus;* atqui falsum est panem esse corpus Christi et vinum ejus sanguinem ; ergo, etc.

Prob. maj. Pronomina *hoc* et *hic* non demonstrant nisi substantiam ex natura sua substratam iis accidentibus quæ indicantur, quamdiu illa substantia iis accidentibus subest ; ergo si substantia panis et vini remaneat, pronomina *hoc* et *hic* non demonstrabunt nisi panem et vinum : ac proinde sensus istorum verborum erit: *Hic panis est Corpus meum*, etc.

Hinc Conc. Trid. [1], definit : *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini ... anathema sit*.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Omnis novitas in materia religionis est suspecta et eliminanda ; atqui istud nomen, *transsubstantiatio*, est novum ; ergo eliminandum.

RESP. *Dist. maj*. Omnis novitas realis, *conc.* ; gram-

[1] Sess. 13, can. 2.

maticalis, *nego maj.;* atqui nomen, *transsubstantiatio*, est novum grammaticaliter et quoad syllabas, *conc.;* quoad rem, *nego min.*

Itaque, licet hæc vox, *transsubstantiatio*, sit nova quoad syllabas, non est nova quoad rem significatam tali voce, et ideo sicut Ecclesia potuit in Concilio Niceno I, vocem *consubstantialis* usurpare ad firmandam suam fidem contra Arianos, ita in Conc. Flor., Later. et Trident., potuit usurpare hanc vocem. *transsubstantiatio*, ad fidem catholicam expressius exponendam contra Lutheranos.

Objicies 2. Hæc propositio de lagena vino plena: *Hoc est vinum*, est vera sine conversione lagenæ in vinum; ergo similiter hæc propositio: *Hoc est Corpus meum*, est vera sine conversione panis in corpus.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia, secundum communem usum loquendi, continens est institutum ad demonstrandum contentum; at panis et vinum non sunt aliquid institutum ad aliud continendum; jocaret enim qui de pane, in quo nummus occultaretur, diceret: *Hoc est nummus.*

Objicies 3. Apostolus et SS. Patres Eucharistiam post consecrationem vocant panem; ergo in Eucharistia remanet panis.

Resp. *Nego conseq.* Itaque Eucharistia vocatur panis: 1° *transitive*, quia prius erat panis; sic aqua post sui conversionem in vinum, vocatur aqua, *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*[1]*;* 2° *extrinsece*, quia remanent apparentiæ et species panis; sic Angeli[2] appellantur viri, quia sub specie humana apparuerunt; 3° *analogice*, quia sicut panis nutrit corpus, ita Eucharistia nutrit animam.

Objicies 4 cum Durando. In omni mutatione substantiali, materia rei conversæ remanet sub nova forma quam acquirit; atqui in Eucharistia fit mutatio substantialis pa-

[1] Joann. 2, v. 9. — [2] Gen. 18, et Act. 1, v. 10.

nis in corpus, et vini in sanguinem Christi. Ergo remanet materia.

Resp. *Dist. maj.* In mutatione naturali et formali tantum, remanet materia, *conc.;* miraculosa et totali, *nego maj.;* conversio autem panis eucharistici est miraculosa et totalis ; unde vocatur a Trid. : *mirabilis conversio totius substantiæ panis;* ergo et ipsius materiæ, quæ procul dubio pars est substantiæ.

Inst. 1. D. Damascenus[1] asserit *mutari panem in carnem Christi, sicut in nutritione hominis;* sed in nutritione hominis remanet materia sub forma diversa; ergo, etc.

Resp. *Dist. textum.* Asserit panem mutari *omnimode* sicut in nutritione hominis, *nego; analogice* mutari, *conc.;* nam vocatur a Conc. Trid.[2] : *mirabilis et singularis conversio,* cujus exemplum non extat, aut extitit in rerum natura. Quare conversiones quas in exemplum adducunt Patres, valent quidem ad explicandum quomodo virtute divina panis sic convertatur in corpus Christi ut desinat esse panis; sed non sunt aptæ ad exhibendam totaliter transsubstantiationem : in omni enim comparatione est quædam disparitas, alias non esset comparatio, sed identitas.

Inst. 2. Sensuum bene dispositorum, et omnibus ad agendum requisitis instructorum testimonio credendum est, cum circa proprium objectum falli non possint ; atqui sensus, *visus* nimirum, *tactus, gustus* et *odoratus*, uniformiter, et in omnibus, et perpetuo testantur Eucharistiam post consecrationem esse panem et vinum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Sensuum testimonio credendum est, in judicio de qualitatibus rei quæ sunt sensuum objectum, *conc.;* in judicio de natura rei quæ est mentis objectum, *nego.* Quamvis ergo sensus non fallantur, cum objectum sensibile percipiunt secundum impressionem ab hujusmodi objecto in illis factam, fallitur tamen intellectus, si recta ratione, vel divina auctoritate repugnante et prohibente,

[1] L. 4, *de Fide.* — [2] Sess. 13, can. 3.

juxta relationem sensuum de objecti natura judicium ferat. Hinc non falluntur sensus, cum in Eucharistia speciem panis et vini, figuram et cæteras qualitates sensibiles percipiunt; falleretur tamen intellectus, si ex perceptione qualitatum panis et vini a sensibus facta, et ad se relata, panis et vini substantiam, post consecrationem, superstitem esse judicaret, quia judicium hujusmodi fides prohibet, Christo dicente: *Hoc est Corpus meum* ... Ita hoc argumentum præoccupavit S. Cyrillus Jerosolym. Catechesi 6 Mystag.: *Nam etsi sensus aliud tibi renuntiat, fides te confirmet, ne judices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat ... qui videtur panis, non panis est, quamvis gustui videatur.*

CONCLUSIO II.

Transsubstantiatio non est simplex Corporis et Sanguinis Christi adductio, sed est vera eorumdem reproductio. Est Thomistarum contra Scotistas.

PROBATUR PRIMA PARS. Quia transsubstantiatio formaliter dicit conversionem; atqui adductio conversionem non importat, cum solum dicat translationem de loco in locum. Ergo.

PROBATUR SECUNDA PARS: Quia ibi est proprie dicta reproductio, ubi res accipit idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos; atqui corpus et sanguis Christi in Eucharistia accipiunt idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos: ergo in Eucharistia est proprie dicta reproductio corporis et sanguinis Christi.

DICES: Si corpus Christi reproduceretur, non esset in Eucharistia idem illud corpus quod de Virgine natum est, et in cruce suspensum; falsum consequens. Ergo, etc.

RESP. *Nego seq. maj.* Equidem naturaliter non potest reproduci idem corpus in individuo, sed potest supernaturaliter; at in hoc Sacramento omnia sunt supernaturalia et

miraculosa, est enim *mirabilis et singularis conversio,* ait Conc. Trid. Et ideo monent SS. Patres transsubstantiationem fide humili esse credendam, sed transsubstantiationis modum non esse curiosius inquirendum, nec dicendum cum animalibus Judæis: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

Inst. 1. Quod est productum, non potest produci; atqui corpus Christi antequam ponatur in Eucharistia est productum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Non potest produci simpliciter, *conc.;* non potest produci secundum quid, *nego maj.* Itaque terminus formalis transsubstantiationis, non est corpus Christi simpliciter sumptum, sed est corpus Christi quatenus fit ex pane in cujus locum succedit; unde non fit ex nihilo, sed ex substantia panis tanquam ex termino a quo.

Inst. 2. Nemo potest seipsum producere; atqui in nostra sententia Christus seipsum produceret. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nemo potest seipsum producere quoad primum esse, *conc.;* quoad esse reproductum, *nego maj.* Nam Christus consecrando in ultima cœna seipsum reproduxit. Hac distinctione possunt solvi cæteræ objectiones, nam multa videntur impossibilia in prima productione, quæ non sunt in secunda.

ARTICULUS III.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN EUCHARISTIA.

Nota. Cum multa circa modum quo Christus est in Eucharistia, occurrant exponenda, brevitatis gratia distinctis quæstiunculis omnia enucleate discutiemus.

Quæres 1. *Quænam in Eucharistia ponantur vi verborum, et quænam per concomitantiam?*

Nota. Illud dicitur poni in Eucharistia *vi verborum,* quod expresse significatur per verba formæ.

Illud dicitur poni *per concomitantiam,* quod per verba

formæ non exprimitur, sed habet necessariam connexionem cum eo quod exprimitur per verba formæ.

RESP. AD PRIMAM. Vi verborum solum Corpus Christi ponitur sub specie panis, et solus Sanguis sub specie vini. Ratio est, quia illud solum continetur in Eucharistia vi verborum, quod expresse significatur per verba formæ; atqui per verba consecrationis panis solum Corpus, et per verba consecrationis vini, solus Sanguis expresse significatur. Ergo, etc.

RESP. AD SECUNDAM. Per concomitantiam sub specie vini, ponitur corpus et anima, et sub specie panis, ponitur sanguis et anima; item sub utraque specie ponitur divinitas.

Ratio primæ partis est, quia corpus Christi in Eucharistia est vivens; at non potest esse vivens sine sanguine et anima: ergo; item sanguis Christi in Eucharistia est sanguis hominis viventis; atqui non potest esse sanguis hominis viventis sine corpore et anima: ergo, etc.

Ratio secundæ partis est, quia quod semel Christi divinitas assumpsit, nunquam dimisit; atqui assumpsit omnes partes hominis; ergo eas nunquam dimisit: ergo est cum ipsis in Eucharistia, et consequenter personalitates Patris et Spiritus Sancti propter eorum cum divinitate identificationem.

Confirmatur : Ex Conc. Trid. dicente[1]: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem.*

DICES : Totum corpus est sub specie panis vi verborum,

[1] Sess. 13, c. 3.

sed anima est forma corporis; ergo anima est sub specie panis vi verborum.

RESP. *Nego min.* Anima enim non est forma corporis, sed hominis, nam corpus est in suo esse completum sine anima.

INST. Saltem sanguis est sub specie panis vi verborum, quia ossa, nervi et cæteræ corporis partes sunt in Eucharistia vi verborum; sed sanguis est pars corporis; ergo.

RESP. *Dist. min.* Sanguis est pars corporis vivi et animati, *conc.*; corporis mortui, *nego min. et conseq.*

Itaque Corpus Christi est in hoc Sacramento ut immolatum, non autem ut vivens, nisi ratione concomitantiæ, qua fit ut anima post resurrectionem unita corpori ab eo amplius separari non possit; cæteræ autem partes corporis sunt in Eucharistia vi verborum, quia non fuerunt a corpore separatæ sicut sanguis. Ex hac responsione

Resolves, quod si in triduo mortis Christi consecrassens Apostoli, solum corpus fuisset sub specie panis et solus sanguis sub specie vini; sola divinitas iisdem, id est et corpori et sanguini, fuisset per concomitantiam supernaturalem et hypostaticam unita.

QUÆRES 2. *Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini?*

RESP. Christum esse sub qualibet vel minima parte specierum non solum post divisionem, sed etiam ante.

PROB. PRIMA PARS. Sic eam definivit Concil. Trid. [1] his verbis : *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Præiverat Eugenius IV, in suo decreto, his verbis : *Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.*

PROB. SECUNDA PARS. Fide constat, *facta separatione* specie-

[1] Sess. 13, can. 33.

rum, Christum totum esse sub singulis illarum partibus divisis; atqui hoc falsum esset, si Christus sub illis partibus ante separationem non esset; nam per separationem non fit nova consecratio, qua de novo sistat corpus Christi præsens; ergo si non est præsens ante divisionem, nec est præsens post divisionem, quod est hæreticum.

Dices : Ergo corpus Christi erit infinities in una eademque hostia, quod est absurdum.

Resp. *Nego illatum.* Numerus enim supponit divisionem. Anima enim rationalis non est pluries in eodem corpore, licet sit tota in toto corpore et tota in singulis partibus corporis.

Quæres 3. *Utrum Corpus Christi in Eucharistia quantitatem suam habeat?*

Nota. Quæstio est de quantitate interna et externa.

Quantitas *interna* est accidens quod distinguit partes a partibus in ordine ad se, easque ordinat cum proxima aptitudine ad extensionem externam, et impenetrationem.

Quantitas *externa* est accidens quod extendit substantiam in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, altera alteri, cum actuali impenetratione et resistentia.

Interna quantitas est essentialis corpori, non autem *externa*, quæ est solum effectus primæ. Itaque

Resp. Christus in Eucharistia habet quantitatem internam, non autem externam.

Ratio primæ partis est, quia Corpus Christi in Eucharistia est corpus organizatum; atqui corpus organizatum habet partes extra partes in ordine ad se, cum aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem : ergo Corpus Christi in Eucharistia habet suam quantitatem internam.

Ratio secundæ partis est, quia Corpus Christi in Eucharistia nullum locum occupat per partes, nec est actu extensum, divisibile et impenetrabile; ergo non habet quantitatem externam.

Dices : Quantitas non potest esse sine suo effectu formali;

atqui effectus formalis quantitatis, est extensio externa in ordine ad locum, et impenetratio. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj*. Quantitas non potest esse sine suo effectu formali primario, *conc.*; sine suo effectu secundario, *nego maj*. Effectus primarius quantitatis est aptitudo proxima ad impenetrabilitatem et extensionem localem; effectus vero secundarius est ipsamet actualis extensio; hoc posteriori effectu privari potest quantitas, non priori.

Inst. 1. Non potest spiritus esse in loco extensive et divisibiliter; ergo nec corpus potest esse in loco inextensive, impenetrative et indivisibiliter.

Resp. *Nego conseq*. Disparitas est, quia spiritus nullas habet partes quæ possint loco commensurari; at corpus, etsi habeat partes distinctas in ordine ad se, non tamen necessario et essentialiter (Deo ita volente) partes illas habet extensas in ordine ad locum. Extensio enim in loco supponit extensionem rei in se; at extensio rei in se non necessario importat extensionem rei in loco, cum extensio localis sit quid posterius, sine quo prior extensio potest consistere.

Inst. 2. Si Corpus Christi sit inextense et indivisibiliter in Eucharistia, partes ejus confundentur, siquidem omnes in puncto indivisibili continebuntur; absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj*. Partes enim illam dispositionem naturalem retinent, etsi in ordine ad locum non habeant actualem extensionem : hincque fit ut vel in minima parte hostiæ totum sit et integrum Corpus Christi, sicut tota ratio substantiæ reperitur in singulis partibus corporis.

Quæres 4. *An Christus in Eucharistia possit agere?*

Resp. Christus in Eucharistia potest elicere actiones spirituales, ut sunt volitio, intellectio : non potest autem elicere actiones a sensibus dependentes, quales sunt visio, auditio, etc.

Ratio primæ partis est, quia actiones spirituales non indigent certa extensione in organo; ergo Christus, licet sit in

Eucharistia modo inextenso, potest actiones vitales spirituales elicere.

Ratio secundæ partis est, quia sensus externi non agunt nisi per species ab objectis receptas; sed sensus externi Corporis Christi nullas possunt species ab objectis recipere; ergo Christus in Eucharistia nullas actiones sensitivas potest elicere.

Prob. min. Sensus externi non possunt recipere species objectorum, utpote materiales et quantæ, nisi habeant suam extensionem externam; atqui sensus externi Corporis Christi non habent suam extensionem externam, cum nec ipsum corpus eam extensionem habeat. Ergo, etc.

Quæres 5. *An Christus in Eucharistia possit pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. g. calefieri, frigefieri,* etc.?

Resp. *negative.* Quia alteratio requirit contactum quantitativum; sed Corpus Christi, utpote quantitate externa privatum, non est capax contactus quantitativi; ergo, etc.

Quæres 6. *An Corpus Christi in Eucharistia possit moveri?*

Resp. Potest moveri per accidens, ad motum scilicet specierum, alias non posset deferri ad infirmos, quod repugnat definitioni Tridentini [1].

ARTICULUS IV.

DE REMANENTIBUS IN EUCHARISTIA SPECIEBUS.

Quæres 1. *An accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum?*

* *Nota.* Aliqui, cum P. Magnan, negant accidentium eucharisticorum realitatem a parte rei, et sic quæstionem devitant; sed hoc ineptum, quia tunc 1° Eucharistia apparenter tantum esset signum visibile; 2° Pixide occlusa, totaliter signum istud cessaret, et consequenter Sacramentum non esset permanens.

[1] Sess. 13, c. 5.

Posita realitate accidentium a parte rei, duplex est sententia, Thomistarum nempe, et Recentiorum :

Ex Recentioribus, de accidentis essentia est esse in subjecto. Unde, juxta eos, necesse est accidentibus eucharisticis esse aliquod subjectum substantiale. De illius autem subjecti natura, duplex est præcipua opinio. — *Prima* est Anastasii Sinaitæ, et aliorum, juxta quam accidentia in Corpus Christi transeunt, et in eo subsistunt : sed eam esse falsam *manifestum est*, ut ait D. Thomas [1], *quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod Corpus Christi gloriosum et impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.* — *Secunda* est Abeilardi, juxta quam accidentia in aere Corpus Christi circumdanti remanent : sed hæc inepta, quia 1° moto aere, moverentur accidentia, quod falsum ; 2° aer istorum accidentium non est capax ; 3° accidentia non transeunt de subjecto in subjectum. — Alias aliquot opiniones, ab omnibus rejectas, omittimus.

Ex Thomistis et pene omnibus antiquis, definitio accidentis, ut sic, *non est ens in subjecto, sed cujus essentiæ competit habere esse in subjecto,* seu id quod est *aptum* esse in subjecto [2]. Si autem in specie sumatur accidens, duplex est : *Absolutum*, de cujus essentia quidem est aptitudo ad subjectum, non vero actualis inhærentia ; sic, v. g. quantitas dimensiva : *Modale,* de cujus essentia est et aptitudo et actualis inhærentia ; sic, v. g. gradus intensitatis in calore. Inter utrumque ergo hæc est differentia, quod actualis inhærentia est *modali essentialis,* at *absoluto naturalis* tantum. — *Colliges :* Ergo 1°, ex Thomistis, in composito naturali, duplex est subjectum : *mediatum* nempe, seu substantia, cui naturaliter adhærent accidentia absoluta, et mediate modalia : *immediatum,* seu accidens absolutum, quantitas nimirum, cui modalia essentialiter et immediate adhærent. 2° Subjectum mediatum non est essentiale, sed

[1] 3, q. 77, a. 1. — [2] S. Thom. 3, q. 77, a. 1.

tantum naturale, unde supernaturaliter auferibile : immediatum vero est essentiale *. Quibus positis, cum S. Thoma

Resp. Accidentia eucharistica sunt sine subjecto inhæsionis mediato; cætera tamen a quantitate, sunt in ipsa quantitate panis et vini tanquam in subjecto immediato.

Prob. prima pars. Ex Conciliis : Constantiensi [1], ubi damnatur hæc propos. Wiclephi : *Accidentia panis non manent sine subjecto ;* et Trid. [2], definiente in Eucharistia fieri *conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini.*

Prob. secunda pars. Quia quantitas est proprietas materiæ, qua mediante recipit alia accidentia, puta colorem, frigus ; ergo sicut accidentia panis et vini subjectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis et vini substantia, ita et post consecrationem, sublata substantia, subjectantur in quantitate.

Objicies *contra primam partem :* Accidens non potest esse sine subjecto ; atqui species sunt accidentia : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Accidens non potest esse sine subjecto, naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *nego maj.;* omnia enim Deo sunt possibilia.

Inst. 1. Quod implicat, non potest fieri, ne quidem divinitus; atqui accidentia esse sine subjecto implicat : ergo... Resp. *Nego min.*

Prob. min. Implicat essentiam rei separari ab ipsa re ; atqui esse in subjecto est de essentia accidentis : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Esse in subjecto actu est essentia accidentis, *nego ;* esse in subjecto aptitudine et radicaliter, *conc. min.*

Inst. 2. Accidens definitur : *Ens alteri inhærens*, ergo inhærentia est ipsi essentialis.

Resp. *Dist. conseq.* Inhærentia radicalis et aptitudinalis, *conc.;* inhærentia actualis, *nego conseq.;* sic substantia

[1] Sess. 8. — [2] Sess. 24, can. 2.

definitur : *Ens per se subsistens*, et tamen privari potest sua actuali subsistentia, ut constat in mysterio Incarnationis.

Inst. 3. * Accidens individuatur ex subjecto : si ergo accidentia eucharistica sunt sine subjecto, non sunt individua, sed universalia.

Resp. *Dist. ant.* Accidens individuatur, semper ex subjecto cui inhæret, *nego ;* saltem cui inhæserit, *conc. ant. :* Itaque, ait D. Thomas [1], *accidentia* (eucharistica) *acquisierunt* esse *individuum in substantia panis et vini, quæ conversa in corpus et sanguinem Christi, remanent, virtute divina, accidentia in illo* esse *individuato quod prius habebant.* *

Objicies *contra secundam partem :* Damnata est hæc propos. Wiclefi : *Accidentia panis non manent sine subjecto in hoc Sacramento ;* ergo.

Resp. *Dist. proposit.* Wiclefi : Accidentia non manent sine subjecto substantiali et mediato, *conc. damnationem ;* accidentali, *nego damnationem ;* ideo enim Wiclephus fuit damnatus, quia volebat esse in Sacramento subjectum substantiale et mediatum.

Quæres 2. *Quandonam Corpus Christi desinat esse sub speciebus ?*

Resp. Desinit quando accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis et vini, corrupta sunt.

Corollarium.

*Ex dictis sequitur Christum in Eucharistia adorandum esse cultu latriæ; quod definitum est a C. Trid. [2] his verbis : *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circum gestandum, vel non publice, ut adoretur,*

[1] 3 q. 77, a. 1. — [2] Sess. 13, can. 6.

populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

Etenim illum eumdem Deum, inquiunt Tridentini Patres, præsentem in eo, Sacramento, adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi prædicantes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur [1]; huic veritati consonat universa traditio: unde Theodoretus: *Symbola mystica,* inquit, *et creduntur et adorantur* [2]; et S. Ambrosius explanans illa verba psalm. 98 : *Adorate scabellum pedum ejus : Per scabellum,* inquit, *terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt* [3]. Et S. Augustinus dicit : *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

CAPUT II.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

Nota. Alius est minister Eucharistiæ conficiendæ, alius Eucharistiæ administrandæ. De ipsis duplici articulo.

ARTICULUS I.

QUIS SIT MINISTER EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ ?

Nota. Lutherus [4] docuit omnes fideles virtute Baptismi potestatem habere consecrandi Eucharistiam, neminem tamen ea potestate uti debere, nisi ad hoc officium a communitate deputatus fuerit. Contra ipsum

CONCLUSIO.

Solus Sacerdos rite ordinatus valide Eucharistiam conficere potest. Est de fide, ex definitione Conc. Trid. his verbis[5]:

[1] Sess. 13, cap. 5. — [2] Dial. 2. — [3] Lib. 3 *de Spiritu,* cap. 11, n. 78 et 79.
[4] Lib. *de Captiv. Babylonica.* — [5] Sess. 12, can. 2.

Si quis dixerit, illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos, Sacerdotes ut offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

Prob. 1. Illi soli potestatem habent Eucharistiam conficiendi, quibus a Christo hæc potestas concessa est ; atqui solis Sacerdotibus potestas Eucharistiam conficiendi a Christo concessa est. Ergo, etc.

Prob. min. Illis solis potestas conficiendi Eucharistiam est concessa, quibus Christus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem ;* atqui solis Sacerdotibus Christus dixit : *Hoc facite,* ut constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, cujus testes sunt Tertullianus, Epiphanius, Justinus, in *Apol.* 2, Hieronymus, *contra Lucif.*, aliique communiter. Propterea, si hæc verba ad simplices Christianos spectarent, dicendum esset omnes laicos, ex præcepto divino teneri consecrare, quod non admittunt hæretici.

Prob. 2. *Ex Conc. Nicæno* I [1] dicente : *Pervenit ad S. Synodum, quod in nonnullis locis Diaconi dent Presbyteris Eucharistiam, quod nec Canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Christi.* Ergo si Diaconi non habent potestatem Eucharistiam conficiendi, multo minus hanc habet quilibet Christianus.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem,* dicta sunt omnibus fidelibus in persona Apostolorum ; ergo, etc.

Prob. ant. Hæc verba : *Baptizantes eos,* etc., dicta sunt omnibus fidelibus in persona Apostolorum ; ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas desumitur ex voluntate Christi nobis per traditionem et praxim Ecclesiæ, cujus est verum sensum Scripturæ exponere, intimata.

[1] Can. 18.

Inst. 1. Prælaudata verba dicta sunt omnibus, qui memoriam Passionis Christi tenentur recolere ; atqui omnes fideles tenentur memoriam Passionis Christi recolere, etc.

Resp. *Dist. min.* Laudata verba dicta sunt omnibus, qui tenentur memoriam Passionis Christi recolere, conficiendo Eucharistiam, *conc.;* sumendo, *nego maj.;* alias dicta essent non solum viris, sed etiam feminis, quod est error Collyridianorum, teste Epiphanio, hæresi 49.

Inst. 2. Atqui omnes fideles tenentur memoriam Passionis Christi recolere conficiendo ; ergo.

Prob. subsumpt. Omnes fideles sunt sacerdotes ; ergo omnes tenentur memoriam Passionis Christi recolere conficiendo.

Prob. ant. Ex D. Petro, qui alloquens omnes fideles ait[1] : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Ergo omnes fideles sunt sacerdotes.

Resp. *Dist. conseq.* Sunt sacerdotes sacerdotio improprie sumpto, nempe pro spirituali potestate offerendi Deo preces ac bona pietatis opera, quæ sunt spirituales hostiæ, *conc.;* sunt sacerdotes sacerdotio proprie sumpto, nempe pro potestate consecrandi Eucharistiam, *nego conseq.* Seipsum exponit D. Petrus eodem capite, dicens : *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Objicies 2. Conc. Arelatense I[2] vetat ne Diaconi, quos cognovit multis locis offerre, amplius hoc faciant. *De Diaconis,* inquit, *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Ergo Diaconi habent potestatem consecrandi Eucharistiam.

Resp. *Nego conseq.* Non enim Concilium loquitur de consecratione Eucharistiæ, sed de aliis fidelium oblationibus, quas Diaconi temere præsumebant benedicere et offerre, præsente Sacerdote, quod ipsis vetat Concilium.

1 Epist. 1, c. 2. — 2 Can. 15.

INST. Conc. Ancyranum privat Diaconos, qui idolis immolaverant, potestate *offerendi panem et vinum in altari;* ergo hanc habent potestatem, a qua ob crimen suspenduntur.

RESP. *Dist. ant.* Concilium privat flagitiosos Diaconos potestate offerendi, etc., id est consecrandi Eucharistiam, *nego;* id est porrigendi Sacerdoti panem et vinum, ut illa consecret, *conc. ant.;* erat enim illorum officium, a quo ob crimen illos suspendit Conc. Ancyranum.

QUÆRES : *Utrum plures Sacerdotes eamdem hostiam consecrare possint?*

RESP. *affirm.* Idque probat praxis Ecclesiæ, juxta quam recens ordinati simul cum Episcopo consecrant, modo formam eodem instanti absolvant; qui enim prius absolveret formam, solus consecraret.

ARTICULUS II.

QUIS SIT MINISTER EUCHARISTIÆ DISPENSANDÆ?

Nota. Duplex est dispensandæ Eucharistiæ minister, scilicet ordinarius, qui eam auctoritative dispensat, et extraordinarius, qui eam dispensat ex commissione Episcopi vel Presbyteri.

CONCLUSIO I.

Soli Sacerdotes sunt ordinarii ministri dispensandæ Eucharistiæ.

PROB. Illi soli sunt ministri ordinarii dispensandæ Eucharistiæ, ad quos solos pertinet eam conficere, nam confectio ordinatur ad dispositionem; atqui solis Sacerdotibus competit Eucharistiam conficere. Ergo, etc.

Hinc Conc. Trid. ait [1] : *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos,*

[1] Sess. 23, c. 8.

tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.

Quæres : *Ad quos Sacerdotes pertinet Eucharistiam distribuere?*

Resp. Pertinet : 1° ad Pastores, qui curam animarum habent, ac tenentur fidelibus suis commissis panem vitæ frangere, non solum cum urget communionis præceptum , sed etiam quoties subditi rationabiliter postulant.

2° Ad eos qui ad Missam celebrandam admittuntur, optat siquidem Conc. Trid.[1], ut in singulis Missis adstantes fideles Eucharistiæ fiant participes.

3° Ad privilegiatos, in quorum ecclesiis seu oratoriis conservatur Eucharistia, in hunc enim finem asservatur; ubi

Nota eosdem privilegiatos, Eucharistiam in viaticum non posse ministrare, nec Eucharistiam distribuere pro munere Paschali; hoc enim eis, sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, prohibitum est per Clementinam, *Religiosis*, de privilegiis.

CONCLUSIO II.

Extraordinarius minister dispensandæ Eucharistiæ, est Diaconus.

Propositio constat ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ olim hoc officium commiserat Diaconis, ut constat ex Conc. Carthaginensi IV, ubi dicitur : *Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget;* et Aquisgranensi [2] dicente : *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est : ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Quæres : *An Subdiaconi et alii inferiores Ministri possint distribuere Eucharistiam ?*

Resp. *negative.* Nam munus illud nunquam nisi Presby-

[1] Sess. 23, c. 8. — [2] Cap. 7.

teris vel Diaconis commissum fuit, ut constat ex Conc. Nicæno I, Arelatensi I et Carthaginensi IV.

Nec te moveat quod olim et Laicis licitum foret Eucharistiam domi asservare, propriisque manibus sumere : id enim postulabat acerba tunc temporis persecutionum conditio, cum licitum non foret Christianis synaxes suas in publicis conventibus celebrare; at mutatis circumstantiis temporum, mutata quoque fuit Ecclesiæ disciplina.

CAPUT III.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ, AC DISPOSITIONIBUS IN EO PRÆREQUISITIS.

CONCLUSIO.

Omnis et solus homo baptizatus et viator et rationis compos, est subjectum Eucharistiæ.

Prob. explicatione.

Dicitur 1° *Omnis homo*, sive sanus, sive moribundus, ut statuit Conc. Carthaginense IV [1], modo tamen, ut habet Concilium, dum sui erant compotes, in his apparuerit hujus Sacramenti desiderium, quod virtualiter perseverare censetur, nec ullum vel vomitus, vel alterius indecentiæ, adsit periculum ; sed cum vix ipsum abesse possit, ideo ordinarie conferre non expedit.

Circa communionem dandam vel denegandam reis ultimo supplicio afficiendis, servanda est cujusque Ecclesiæ praxis : ipsis denegatur in Gallia.

Dicitur 2° *Solus baptizatus;* quia character baptismatis se habet per modum potentiæ passivæ ad recipienda alia Sacramenta.

Dicitur 3° *Viator;* quia Sacramenta non sunt instituta nisi pro viatoribus ; hinc Concil. Carthag. III damnat quorumdam abusum, qui in os mortuorum infundebant Eucharistiam.

[1] Can. 76.

Dicitur 4° *Rationis compos;* quia his solis administrari debet Eucharistia, qui sunt capaces augmenti gratiæ: ad hunc enim finem instituta est Eucharistia; atqui soli rationis compotes sunt capaces augmenti gratiæ : ergo.

Hinc communio : 1° deneganda est parvulis ante usum rationis, et Conc. Trid. [1] definivit ipsam eis non esse necessariam; 2° Deneganda est perpetuo amentibus, ac energumenis, qui nulla lucida patiuntur intervalla; secus si quædam habeant lucida intervalla, ait D. Thom. [2].

CAPUT IV.

DE USU EUCHARISTIÆ.

Hic duo quæruntur; *primum,* utrum Eucharistia omnibus necessaria sit necessitate medii ad salutem; *secundum,* utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis et vini.

ARTICULUS I.

UTRUM EUCHARISTIA SIT OMNIBUS, TAM INFANTIBUS QUAM ADULTIS, NECESSARIA NECESSITATE MEDII?

Nota. Circa necessitatem medii et præcepti recolenda sunt quæ diximus cap. V *De Baptismo.*

CONCLUSIO [3].

Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem.

Prob. Illud sine quo salus obtineri potest, non est necessarium necessitate medii ad salutem; atqui sine sumptione

[1] Sess. 21, cap. 4, et can. 4. — [2] In 3 p., q. 80, art. 9, ad 2.

[3] Sumptio realis Eucharistiæ non est necessaria necessitate medii ad salutem, nec pueris, nec adultis. Patet ex conclusione. Quantum ad Eucharistiam in voto, alii negant ejus necessitatem medii, alii vero affirmant, sed opinionum discrepantia oriri videtur ex æquivocatione verborum, quæ, si tollatur, in unum forte incidunt ambæ sententiæ. Observandum itaque sacramentum Eucharistiæ duplici

Eucharistiæ, cum solo Baptismo, salus obtineri potest : illi enim in quibus nihil damnationis est, qui sunt in Christo Jesu, qui Christum induerunt, qui sanctificati sunt, salutem consequuntur; atqui tales sunt qui cum solo Baptismo moriuntur, ait enim Scriptura : *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* [1]; item, *qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* [2]; item, *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* [3]. Ergo, etc.

Hinc Conc. Trid. [4] docet : *Parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt; neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem aliquando in quibusdam locis*

modo considerari posse : 1° ut est Sacramentum particulare et inter alia Sacramenta distinctum, specialem producens effectum per modum causæ efficientis; 2° ut finis vitæ spiritualis, quatenus Christum ipsum continet, et ideo alia Scramenta ad Eucharistiam ut ad fidem ordinantur. Quo posito, dicendum videtur cum prima sententia, votum Eucharistiæ, ut est Sacramentum particulare, et *gratiæ augmentum causativum*, non esse necessarium necessitate medii ad salutem, siquidem ille effectus est gratia secundaria et non prima. Præterea votum non est propter se, sed propter rem desideratam ; ergo implicat quod votum sit necessarium, si res necessaria non est. Ast vero dicendum est cum secunda sententia, Eucharistiam necessariam esse *in voto implicito* necessitate medii, tam adultis quam parvulis, quia Eucharistia considerata sub ratione unionis cum Christo, et prout est finis vitæ spiritualis, est consummatio et perfectio aliorum Sacramentorum, consequenter eorum finis. Alia igitur Sacramenta sunt media ad istum finem; jam vero intentio finis includitur in volitione mediorum, et ex eorum mediorum quædam, nempe Baptismus et Pœnitentia, sunt necessaria necessitate medii, ergo et finis intentio. Et certe neque Baptismus, neque Pœnitentia conferunt primam gratiam, nisi respiciendo ad Eucharistiam, ut ad finem omnium Sacramentorum. Unde verba Christi : *Nisi manducaveritis...* non minus exponunt necessitatem Eucharistiæ, quam hæc verba: *Nisi quis renatus fuerit...* exponunt necessitatem Baptisimi ; maxime quia Christus non dicit necessarium esse quia præcipio, sed quia caro mea vere est cibus.... et, *qui manducat me, ipse vivet propter* vel *per me.*

[1] Rom. 8, v. 1. — [2] Ad Gal. 9, v. 26. — [3] Ad Tit. 3, p. 5. — [4] Sess. 21, cap. 4,

servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est. Et can. 4 definit : *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Illa verba Joan. 6 : *Nisi manducaveritis*, etc., sonant necessitatem medii; ergo. RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. Ista verba Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., et ista Lucæ 13 : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*, important necessitatem medii ; ergo similiter ista verba ; *Nisi manducaveritis*, etc.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas desumitur ex diversa materia supra quam cadit sermo : nam si sermo sit de re ad primam gratiam necessaria, præter necessitatem præcepti, continet necessitatem medii ; si vero de aliqua re, quæ supponit primam gratiam, solum continet necessitatem præcepti; unde cum ista verba : *Nisi quis renatus fuerit*, agant de regeneratione spirituali, quæ in omnibus tum infantibus, tum adultis est ad primam gratiam necessaria, important necessitatem medii erga omnes; et cum ista : *Nisi pœnitentiam habueritis*, etc., agant de resurrectione spirituali, quæ lapsis ad primam gratiam est necessaria, important necessitatem medii erga omnes peccati capaces ; cum vero ista : *Nisi manducaveritis*, etc., agant de nutritione spiritualis vitæ per Baptismum acceptæ, vel per pœnitentiam reparatæ, quæ vita per varia media nutriri, conservari et augeri potest, Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate præcepti.

INST. 1. Quidquid est necessarium respectu infantium, est necessarium necessitate medii, cum sint præcepti incapaces ; atqui Eucharistia est necessaria respectu infantium. Ergo, etc.

Prob. min. Ex D. Aug. dicente[1] : *Sancto Innocentio I*[2] *vide quid respondeas.... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Ergo Eucharistia est necessaria infantibus.

RESP. *Dist. conseq.* Eucharistia est necessaria infantibus, percepta spiritualiter et quoad effectum, *conc.* ; percepta realiter et oraliter, *nego.*

Itaque D. Aug. agebat contra Pelagianos, qui negabant peccatum originale, et qui, distinguentes inter regnum cœlorum et vitam æternam, asserebant infantes sine Baptismo decedentes privari quidem regno cœlorum propter hæc Christi verba : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., sed vita æterna donari propter eorum innocentiam : quos ut refelleret D. Doctor cum Innoc. I urget eos ex hoc textu Joan. : *Nisi manducaveritis*, etc., sic argumentando : Qui non est particeps Corporis et Sanguinis Domini spiritualiter, id est, quoad incorporationem cum Christo, et unionem cum Ecclesia, non potest habere vitam æternam ; atqui parvuli non possunt esse participes Corporis Christi spiritualiter sine Baptismo quo *Christum* induunt[3] : ergo parvuli sine Baptismo defuncti privantur et regno Dei, et vita æterna.

Ita seipsum exponit D. Aug. explanans textum Joan. : *Nisi manducaveritis* ; ait enim[4] *hoc est ergo manducare illam escam, illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere.*

Ita pariter interpretatur D. Aug. sanctus Fulgentius, ejus discipulus, in Epist. *ad Fernandum Diaconum. Arbitror, sancte frater*, inquit, *disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam aliquatenus esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem corporis et sanguinis fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur ; nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat,*

[1] L. 1 *contra Julian.*, cap. 4. — [2] Epist. *ad Patres Conc. Milev.*
[3] Ad Galat. 4, v. 27. — [4] Tr. 26 *in Joan.*

de hoc sæculo in unitate Corporis Christi constitutus discedat.

Inst. 2. D. Thom. [1] docet Eucharistiæ manducationem esse necessariam necessitate medii; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Docet manducationem spiritualem esse necessariam necessitate medii, *conc.;* manducationem realem, *nego ant.;* ait enim : *Respondeo dicendum quod duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis ; manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare , quia hoc est Christo incorporari.*

Inst. 3. Quod est necessarium in voto, est necessarium necessitate medii ; atqui Eucharistia est necessaria in voto ; ergo, etc.

Prob. min. Ex D. Thoma, dicente ibidem : *Sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non potest homini esse salus;* ergo Eucharistia est necessaria in voto.

Resp. *Dist. textum.* Sine voto improprie dicto, quod respectu adultorum includitur in proposito servandi omnia mandata , et respectu infantium in intentione Ecclesiæ, *conc.;* sine voto proprie dicto, quod solum arguit necessitatem medii, *nego. Ex hoc ipso quod pueri baptizantur,* ait D. Thom. [2], *ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam , et per consequens recipiunt rem ipsius.*

Objicies 2. Alimentum necessarium est necessitate medii ad vitam conservandam ; sed Eucharistia est alimentum animæ ; ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Est alimentum animæ non unicum, *conc.;* unicum , *nego min.;* nam oratio et actus virtutum sunt etiam alimentum spirituale quo anima conservatur.

Inst. Potest dari casus in quo Eucharistia erit necessa-

[1] 3 p., q. 80, art. 11 in corp. — [2] 3 p., q. 73, art. 3 in corp.

ria necessitate medii, v. g. si peccator attritus incideret in amentiam, tunc non posset salvari nisi per sumptionem Eucharistiæ, per quam ex attrito fieret contritus; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Potest esse casus in quo Eucharistia erit necessaria necessitate medii, per accidens, *conc.*; per se et ex sui institutione, *nego ant.* Tantum hic negamus Eucharistiam *per se* esse necessariam in se vel in voto; unde nihil contra nos.

ARTICULUS II.

UTRUM JURE DIVINO SIT PRÆCEPTA COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE PANIS ET VINI?

Certum est 1° Communionem sub utraque specie a Christo præceptam esse Sacerdoti sacrificanti.

Certum est 2° Communionem sub utraque specie non fuisse Laicis a Christo prohibitam, cum in Ecclesia viguerit usque ad XIIum sæculum, a quo tempore usus solius speciei panis sensim invaluit.

Certum est 3° Ecclesiam justis de causis abstulisse Laicis usum Calicis, et sunt sequentes:

Prima est proximum effusionis periculum, quæ vix caveri potest, ubi magna est populi multitudo.

Secunda est difficultas diu asservandi speciem vini pro infirmorum communione, cum species vini asservatæ brevi possent acescere.

Tertia est multorum a bibendo vino, et quidem in eodem cum multis aliis Calice, repugnantia et horror.

Quarta est penuria vini in multis regionibus.

Quinta est Hæreticorum pertinacia obstinate contendentium utramque speciem jure divino necessariam esse ad salutem et substantiam Sacramenti.

Verum, an jure divino sit præcepta communio sub utraque specie, controversia est inter Catholicos et novatores Hussitas, Lutheranos et Calvinistas, quæ ut dirimatur,

CONCLUSIO.

Communio sub utraque specie non est jure divino præcepta fidelibus non sacrificantibus.

Hæc prop. est de fide definita a Conc. Trid. [1] his verbis: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

Prob. Tota Sacramenti substantia et integer ejus effectus in una specie salvatur, cum totus et integer Christus sub una specie præsens sit; ergo jure divino non est præcepta communio sub utraque specie.

Prob. ant. Ex Script. ubi Christus fructum Eucharistiæ tribuit sumentibus unam speciem panis, Joann. 6 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum... panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita ;* ergo, etc.

Confirmatur priorum sæculorum traditione, qua convincitur primos fideles non semper sub utraque specie communicasse.

1° Ex facto primorum fidelium, qui *erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis, et orationibus* [2].

2° Ex praxi asservandi Eucharistiam, eamque infirmis deferendi sub sola panis specie, ut testatur Eusebius [3] et S. Cyrillus [4].

3° Ex consuetudine fidelium tempore persecutionis sub una specie panis Eucharistiam domum deferentium, ut testatur Tertull. [5].

4° Ex Missa quæ *præsanctificatorum dicitur,* in qua Sacerdotes die parasceves panem non consecrant, sed eo qui jam consecratus fuerit et asservatus, utuntur in Missa, in qua Sanguis non offertur; totam ergo sacramenti substan-

[1] Sess. 21, can. 1. — [2] Act. 2. — [3] L. 6 *Hist.*, c. 44.
[4] *Catechesi V.* — [5] L. 2 *ad Uxor.*

tiam in una panis specie servari hoc ritu declarat et significat Ecclesia.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Christus præcepit communionem sub utraque specie, dicens Joan. 6 : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem*, etc.; ergo.

RESP. *Nego ant.* Christus enim non loquitur ibi de modo sumendi Eucharistiam sub una vel duplici specie, sed de sumptione rei ipsius, hoc est Corporis et Sanguinis sui; cum autem sub qualibet specie totus Christus contineatur, qui unam speciem sumit, Corpus et Sanguinem sumit. In spiritualibus enim idem est manducare et bibere, juxta illud Matth. 5 : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam.* Atqui hoc sensu sumenda esse verba Christi, probant hæc verba, quæ addit : *Et qui manducat me, vivet propter me;* ubi soli manducationi promittitur vita æterna. Ex quo etiam liquet particulam *et,* non conjunctive, sed disjunctive locum tenere, ita ut sensus sit : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, vel biberitis Sanguinem,* etc., quod familiare est Scripturæ, ut cum dicitur [1]: *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur;* id est, patrem vel matrem.

INST. 1. Christus [2] præcepit ut omnes biberent, dicens : *Bibite ex eo omnes;* ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Præcepit ut omnes Apostoli præsentes biberent, *conc.;* ut omnes omnino tam præsentes quam absentes, *nego ant.* Christus illis solis dixit: *Bibite ex eo omnes,* quibus dedit Calicem; atqui solis Apostolis dedit Calicem, qui, ut ait sanctus Marcus [3], *biberunt ex eo omnes.* Ergo, etc.

INST. 2. Christus dixit omnibus Apostolis: *Bibite,* etc.; ergo dixit omnibus fidelibus.

Prob. conseq. Ex Marci 13 : *Quod autem vobis dico, omnibus dico;* ergo dixit omnibus fidelibus : *Bibite.*

RESP. *Nego cons.* Id enim quod Christus voluit esse dic-

[1] Ex. 21, v. 5. — [2] Matth. 26, v. 17. — [3] 14, v. 23.

tum omnibus, istud est: *vigilate;* ait enim, *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

Inst. 3. Omnibus dictum est: *Accipit eet manducate;* alias sumendi Eucharistiam nullum esset omnibus fidelibus datum mandatum; ergo et omnibus dictum est: *Accipite et bibite.*

Resp. *Nego ant.* Solis enim Apostolis adstantibus dictum est: *Accipite et manducate;* neque inde concludi potest nullum extare recipiendi Eucharistiam mandatum; non enim his verbis: *Accipite, manducate,* exprimitur, cum sint potius invitantis quam præcipientis, sed istis: *Nisi manducaveritis.*

Inst. 4. Omnes communicantes debent recolere et annuntiare passionem Christi, juxta illud Apostoli [1]: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui non nisi per duplicem speciem possunt annuntiare mortem Christi, ejusque memoriam excitare. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam per unam speciem ab altera separatam recte exprimitur separatio sanguinis a corpore, renovaturque memoria passionis Christi. Deinde particula *et,* in laudato textu debet sumi disjunctive, ut dictum est in objectione.

Inst. 5. Ergo Christus frustra instituit utramque speciem: falsum consequens; ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Utraque enim species est necessaria ad sacrificium, conducitque ad expressiorem repræsentationem tum passionis, tum refectionis spiritualis, licet sit integra sub una specie, in qua cibus et potus, nempe totus Christus, continetur.

Urgebis: Ex dictis, communicantes sub utraque specie expressius repræsentant mortem Christi; ergo debent communicare sub utraque specie.

Resp. *Nego conseq.* Nam Laici non tenentur mortem Christi tam perfecte et expresse repræsentare, quam Sacerdotes

[1] 1 Cor. 11, v. 16.

conficientes hoc Sacramentum; Calix enim est de essentia Sacramenti conficiendi, non vero Sacramenti distribuendi.

OBJICIES 2. Christus facultatem reliquit fidelibus sumendi Eucharistiam sub utraque specie; ergo Ecclesia Romana non potuit, nec debuit illos hac facultate privare.

RESP. *Nego conseq.* Nam Conc. Trid.[1] *declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Porro, Ecclesia per suam legem consuluit venerationi Sacramenti, nec ullo effectu spirituali fideles privavit, cum totus Christus contineatur sub una specie.

INST. 1. Major et uberior per duas species quam per unam, gratia confertur; ergo Ecclesia fideles effectu spirituali privavit auferendo eis usum calicis.

RESP. *Nego ant.* Nam sub unica specie totus Christus sumitur; unde sicut dixit: *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternum;* ita dixit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternam.*

Prob. ant. Species panis significat refectionem diversam ab ea quam significavit species vini; ergo uberior gratia recipitur per duas species, quam per unam.

RESP. *Dist. ant.* Species panis significat refectionem diversam, etc., ex parte signi, *conc.;* ex parte rei significatæ per quam habetur ista refectio, *nego ant.;* nam sub alterutra specie habetur eadem res, videlicet Christus reficiens animam.

SUBSUMO. Atqui species panis significat refectionem diversam ex parte rei; ergo nulla solutio.

Prob. subsumpt. Sedare famem, sitim extinguere, sun duæ refectiones diversæ ex parte rei; atqui species panis famem sedat, species vini sitim extinguit: ergo.

[1] Sess. 21, c. 2.

Resp. *Dist maj.* Sedare famem et sitim extinguere, sunt duæ refectiones diversæ ex parte rei, si illi effectus sint duarum rerum diversarum, *conc.*; si sint effectus unius ejusdemque rei, *nego maj.* Itaque Eucharistia sub unica specie continet totum Christum, qui cum sit simul cibus et potus animæ, simul explet famem et sitim animæ per gratiam sacramentalem.

Inst. 2. Sacramentum bis sumitur, quando sumitur utraque species, et semel duntaxat cum sumitur unica species; ergo uberior gratia per duas species recipitur.

Resp. *Dist. ant.* Sacramentum bis sumitur physice, *conc.;* bis moraliter, *nego ant.;* nam sumitur per modum unius convivii; ergo tunc sumitur unum moraliter Sacramentum : nam, ut ait D. Th. [1] : *Sicut sumit Sacerdos Sanguinem Christi sacramentaliter de Calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso Corpore Christi, et est eis tam utilis et dulcis, ut Sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de Calice.*

Quæres : *Utrum detur præceptum divinum et ecclesiasticum sumendi Eucharistiam saltem sub una specie?*

Resp. affirm. 1. Extat præceptum divinum aliquando sumendi Eucharistiam, omnes omnino homines adultos etiam infideles obligans.

Prob. *Ex Joan,* 6 *: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis,* quæ verba exprimunt præceptum divinum obligans omnes adultos etiam infideles, quales erant Capharnaitæ ; ergo, etc.

Dices : Infideles non sunt capaces Eucharistiæ ; ergo præceptum Eucharistiæ recipiendæ eos non obligat.

Resp. *Dist. ant.* Infideles non sunt capaces Eucharistiæ per se et immediate, *conc.;* mediate per Baptismum, quem omnes suscipere possunt et debent, *nego ant.*

Dixi : *adultos,* quia soli adulti sunt capaces probationis ab Apostolo requisitæ ad fructuose communicandum.

[1] Opusc. 58.

QUÆRES : *Quo tempore obliget illud divinum mandatum?*

RESP. Nullum quidem in Scripturis est ad hoc determinatum tempus; attamen ex praxi ac sensu Ecclesiæ recti colligi potest præceptum illud obligare.

1° *In mortis articulo,* tunc enim maxime necessaria est Eucharistia ad superandas dæmonis tentationes; atque quisque jure divino, de omnibus mediis ad pugnandum contra dæmonis tentationes necessariis, sibi providere tenetur. Ergo, etc.

2° *Pluries in vita,* quia non tantum pro moribundis, verum etiam pro sanis ad spirituale alimentum incrementum et conservationem, est instituta Eucharistia.

Resp. 2. Extat ecclesiasticum præceptum omnibus fidelibus adultis perfecto rationis usu gaudentibus ad sacram Eucharistiam accedendi semel in anno, tempore Paschatis.

PROB. Mandatum illud extat in Conc. Later. IV [1] : *Omnis utriusque sexus fidelis,* inquit Innoc. III, *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioqui et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura.*

Circa hoc præceptum quod renovat et confirmat Conc. Trid. [2], practica sumuntur apud auctores morales.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

Nota. Cum novatores, Lutherus et Calvinus, doceant omnia Sacramenta solum instituta esse ad fidem excitan-

[1] Refertur cap. *Omnis utriusque sexus,* de Pœnit. et remis. — [2] Sess. 13, can. 9.

dam, qua homo justificetur, consequenter docent unicum esse effectum Eucharistiæ, nimirum remissionem peccatorum. Hinc duo discutienda occurrunt : *primum*, an effectus Eucharistiæ sit remissio peccatorum; *secundum*, quinam sint veri effectus Eucharistiæ, duplici conclusione.

CONCLUSIO I.

De fide est Eucharistiam non conferre per se remissionem peccatorum.

PROB. 1. Ad Eucharistiam recipiendam requiritur status gratiæ, ex Apost. dicente [1] : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat ;* ergo Eucharistia non confert per se remissionem peccatorum : unde concludit Apostolus *ibidem*, eum dammationis æternæ esse reum *qui manducat et bibit indigne,* id est in statu peccati mortalis.

PROB. 2. *Ex trad. Patrum,* ad quam attendens Conc. Trid. [2] definivit : *Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.*

DICES : Matth. 26 dicitur : *Hic est sangnis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ;* ergo Eucharistia confert per se remissionem peccatorum.

RESP. *Nego conseq.* Christus enim ibi non loquitur de sanguine bibendo, sed de sanguine effundendo in ara crucis; unde in futuro loquitur *effundetur.* Unde sacrificium Missæ non remittit peccata per se et immediate, Sed tantum mediate, ut dicetur infra cap. I, q. 4, de Missæ Sacrificio.

INST. 1. Atqui remissio peccatorum est effectus sanguinis bibendi; ergo, etc.

Prob. subsumpt. Ecclesia in post-communionibus sic precaurt : *Hæc nos communio purget a crimine... sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum ;* ergo remissio peccatorum est effectus Eucharistiæ.

[1] 1 Cor. 11, v. 28. — [2] Sess. 5, can. 5.

Resp. *Nego cons.* Effectus Eucharistiæ, ut est sacrificium, est remissio peccatorum, *conc. conseq.*; ut est Sacramentum, *subdist.*; peccatorum venialium, *conc.*, mortalium, *nego*.

Itaque Eucharistia, ut est Sacrificium, habet vim impetrandi remissionem peccatorum mortalium, sed ut est Sacramentum, habet duntaxat vim per se remittendi venialia, et præservandi a mortalibus.

Inst. 2. Eucharistia, ut est Sacramentum, continet virtutem passionis Christi; ergo habet vim remittendi mortalia.

Resp. *Dist. ant.* Continet virtutem passionis Christi, sub ratione cibi et potus spiritualis qui vitam supponit in eo qui datur, *conc.*; sub quacumque ratione, *nego ant.*; alias unicum Sacramentum esset sufficiens, alia essent inutilia.

CONCLUSIO II.

Sex sunt effectus Eucharistiæ præcipui.

Prob. enumeratione singulorum.

Primus effectus est spiritualis nutritiò animæ; Eucharistia enim efficit quod significat; atqui significat nutritionem spiritualem animæ[1]: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Ergo illam efficit in anima.

Hæc autem nutritio spiritualis consistit tum in augmento gratiæ sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales necessarias ad conservandam charitatem, et unionem cum Christo.

Secundus effectus est liberatio a peccatis venialibus et præservatio a mortalibus, et consequenter perseverantia in bono; hoc patet ex Conc. Trid. dicente[2] Eucharistiam esse *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservamur*, nimirum per gratias actuales, quæ illius intuitu dantur ad reparandum ardorem cha-

[1] Joan. 6. — [2] Sess. 13, can. 5.

ritatis a venialibus remissum, et præservandum a morte spirituali, conservando vitam animæ.

Tertius effectus est ineffabilis unio cum Christo, ex Conc. Flor. dicente : *Hujus Sacramenti effectus quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum.* Qui igitur devote hoc Sacramentum suscipit, Filium Dei ita in se admittit, ut ejus Corpori tanquam membrum vivum inseratur, inquit Catechismus Concilii Tridentini.

Quartus effectus est imminutio fomitis peccati, augende scilicet charitatem actualem, ut docet D. Th., dicens[1] : *Diminuit tamen* (Eucharistia) *fomitem ex quadam consequentia in quantum auget charitatem, quia, sicut August. dicit*[2], *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.*

Quintus effectus est quod sit pignus futuræ gloriæ, juxta illud[3] : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* ; et semen gloriosæ resurrectionis : *Qui manducat meam carnem... resuscitabo eum in novissimo die,* ibidem ait D. Joan.

Sextus effectus est quod remittat, per accidens, peccatum mortale, si nimirum, ut ait D. Th.[4], *percipiatur ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet : forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati.*

QUÆRES 1. *Quandonam Eucharistia in suscipiente effectum suum producat?*

RESP. Tunc producere quando species manducantur, manducantur autem cum trajiciuntur in stomachum : ratio est quia, juxta Conc. Flor., *omnem effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem,* Eucharistia *quoad vitam operatur spiritualem* ; atqui materialis cibus non nutrit nisi dum ad stomachum pervenit ; ergo nec Eucharistia.

[1] In 3 p., q. 79, art. 6, ad. 3. — [2] L. 83 *Quæstionum.*
[3] Joan. 6. — [4] In 3 p., q. 79, art. 3.

Hinc sequitur eum qui sacras species in ore detineret usque ad earum corruptionem, nullum ex hoc Sacramento fructum percepturum.

QUÆRES 2. *An per peccata venialia interdum impediatur Eucharistiæ effectus?*

RESP. Duo in peccato veniali distinguenda esse, reatum scilicet et affectum. 1° Reatus peccati venialis præteriti tollitur per Eucharistiam, nedum ejus effectum impedit. 2° Affectus ad peccatum veniale impedit fervorem charitatis et dulcedinem refectionis actualis, non vero impedit augmentum gratiæ; ita D. Th. dicente[1]: *Actualis refectio spiritualis dulcedinis impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollit augmentum habitualis gratiæ vel charitatis...* Proinde qui cum affectu peccati venialis ad communionem accedit, non manducat indigne Corpus Domini, nec judicium sibi manducat, *nam mundus est, et non indiget nisi ut pedes lavet*, id est, labeculas illas, quæ ex terrena conversatione adhærent, et nimium ad res creatas affectum exuat; quibus tamen creatorem præponit, ita comparatus, ut illas penitus abjiceret, si animam a Deo separarent.

QUÆRES 3. *An Eucharistia, quatenus est Sacramentum, aliis quam sumentibus prodesse possit?*

RESP. Non prodesse *directe et ex opere operato*. Ratio est, quia Eucharistia per modum cibi fuit instituta; at cibus non prodest nisi sumenti; ergo, etc.

Dixi: *directe et ex opere operato*; nam indirecte et ex opere operantis aliis prodesse potest, si nimirum communicans in aliorum gratiam communionem suam offert; unde Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, proscripsit opinionem eorum qui morem communicandi pro mortuis damnant.

[1] 3 p., q. 10, art. 8.

PARS SECUNDA.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

Nota. Totam hanc partem septem capitibus solvemus. *Primum* erit procemiale de acrificio in genere; *secundum* erit de existentia sacrificii Missæ; *tertium* erit de essentia ejusdem; *quartum* de ejus efficacia; *quintum* de ejus valore; *sextum* de ejus causa efficiente; *septimum* de iis pro quibus potest Sacrificium applicari; *octavum* de missis privatis et de lingua liturgica.

CAPUT I.

DE SACRIFICIO IN GENERE.

Nota. Duplici modo sumitur Sacrificium, late scilicet, et stricte.

Sacrificium *late* est quælibet actio sive interna, sive externa, quæ ad Dei gloriam refertur : tales sunt eleemosyna, psalmodia, etc. De Sacricifio late sumpto D. Aug. sic scribit : *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate inhæreamus Deo.*

Sacrificium proprie dictum definitur : *Oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta, per realem hostiæ immutationem ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, et nostram subjectionem.*

Dicitur 1° *Oblatio ;* pro genere, per quod Sacrificium convenit cum oblationibus primitiarum et bonorum operum, quæ ad Deum referuntur.

Dicitur 2° *Externa rei sensibilis,* ut excludatur a ratione sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis se suaque Deo offert.

Dicitur 3° *Legitime instituta*, a Deo, qui hanc sibi potestatem in utroque Testamento reservavit.

Dicitur 4° *Soli Deo facta;* quia Sacrificium proprie est cultus latriæ, qui soli Deo exhiberi potest [1].

Dicitur 5° *A legitimo ministro ;* id est a personis ad id specialiter deputatis, *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* [2], tales erant in lege naturæ primogeniti ; in lege evangelica soli Sacerdotes.

Dicitur 6° *Per realem hostiæ immutationem;* quia ad testandum supremum Dei in res omnes dominium, non solum usus rei Deo debetur, sed et ipsa substantia, quæ vel debet destrui, quomodo animalia occidebantur; vel saltem immutari, quomodo liquores in libationibus fundebantur, et caper emissarius, tanquam exul, ejiciebatur in desertum.

Dicitur 7° *Ad testandum Dei supremum dominium*, etc., est quippe hic Sacrificii finis essentialis, differtque a Sacramentis, quæ, ut talia sunt, ad hominis sanctificationem diriguntur.

QUÆRES : *Quomodo dividitur Sacrificium ?*

RESP. 1° Dividitur, ratione materiæ, in *victimas*, quæ erant ex animantibus, ovibus nempe, bobus, etc. ; *immolationes*, ex rebus inanimis, sed solidis, ut farina, pane, etc.; et *libamina*, ex rebus liquidis, ut vino, oleo, etc.

2° Dividitur, ratione formæ, in *holocaustum*, in quo res oblata tota cremabatur ; in *hostiam pro peccato*, cujus pars cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur ; et in *hostiam pacificam*, cujus una pars cremabatur, altera cedebat in usum tum sacerdotum, tum offerentium.

3° Dividitur, ratione finis, in latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium.

Sacrificium *latreuticum*, est Sacrificium oblatum ad Deum latria colendum.

[1] Ex. 22, v. 20. — [2] Heb. 5, v. 40.

Eucharisticum, est Sacrificium oblatum Deo in actionem gratiarum pro beneficiis ab eo acceptis.

Impetratorium, est Sacrificium oblatum Deo pro beneficiis ab eo impetrandis.

Propitiatorium, est Sacrificium Deo oblatum pro remissione peccatorum.

CAPUT II.

DE EXISTENTIA SACRIFICII EUCHARISTIÆ.

Nota 1. Eucharistiam, prout est Sacrificium, aptissime nuncupari Missam, quæ vox probabiliter derivatur a voce hebraica *missach,* quæ significat oblationem spontaneam; vel probabilius a verbo *mitto,* quia, liturgia Sacrificii peracta, dimittebatur populus a Diacono dicente: *Ite, missa est.*

Nota 2. Calvinistæ et Lutherani negant Eucharistiæ celebrationem esse verum Sacrificium, affirmant vero omnes Catholici, cum quibus

CONCLUSIO.

Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium quod in Missa offertur.

Hæc prop. est de fide definita a Conc. Trid.[1] his verbis: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandam dari, anathema sit.*

Prob. *prop.* 1° *Ex necessitate Sacrificii.* Non potest esse vera religio sine vero Sacrificio. Sacrificium enim est præcipuus religionis actus; atqui nihil potest assignari in religione Christiana cui conveniat ratio Sacrificii proprie dicti, præter Missam, et in Missa reperiuntur omnes conditiones ad Sacrificium proprie dictum requisitæ: ergo in Missa offertur Sacrificium proprie dictum.

[1] Sess. 22, can. 1.

Prima pars minoris est evidens, cum in nova lege omnia Sacrificia desierint præter Missam. Ideo

Prob. secunda pars minoris : Nempe, in Missa reperiri omnes conditiones Sacrificii ; Sacrificium enim est oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta, per realem hostiæ immutationem, ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, et nostram subjectionem ; atqui talis est Missa ; nam

1° Est *oblatio,* nimirum Corporis et Sanguinis Christi tanquam hostiæ ; unde Apost. [1] ait : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.*

2° Est *oblatio externa rei sensibilis,* corpus enim et sanguis Christi sunt sensibilia per species panis et vini.

3° Est *legitime instituta* a Christo, qui jussit ut idipsum Apostoli et eorum successores facerent quod ipse fecerat in ultima cœna : *Hoc facite in meam commemorationem ;* atqui in ultima cœna corpus et sanguinem suum Deo Patri obtulit : *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur,* id est offertur ; ergo.

4° Est oblatio *soli Deo facta,* cum sacrificium Missæ sit cultus latriæ ad honorem Dei relatus.

5° Est facta *a legitimo ministro,* nempe a Sacerdotibus quos instituit, cum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem*, prout definivit Trid. [2].

6° Fit *per realem hostiæ immutationem,* quia Christus victima in Missa mystice immolatur, quatenus, vi verborum, tanquam gladio spirituali, sanguis ejus a corpore separatur ad recognoscendum supremum Dei dominium. Quare D. Aug. [3] ait : *Christus semel immolatus est in seipso, in Sacramento omni die populis immolatur.*

* Prob. 2. *Ex Scripturis.* 1° Ex ipsa *institutione* Eucharistiæ : Christus instituens Eucharistiam, verum ac proprium Deo obtulit Sacrificium ; atqui Missa est idipsum quod fecit et quod facere præcepit Apostolis et eorum successoribus

[1] Hebr. 13, v. 10. — [2] Can. 2. — [3] Epist. 23.

dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo Missa est verum ac proprie Sacrificium. Minor patet, nec negatur.

Prob. maj. Sacrificium Missæ est commemorativum seu relativum ad Sacrificium Crucis. Atqui ad rationem formalem Sacrificii commemorativi seu relativi duo requiruntur et sufficiunt : 1° Realis præsentia Christi in Eucharistia, 2° repræsentatio mortis Christi in agnitionem supremi dominii Dei in omnes creaturas, *subsumo;* atqui : 1° Christus præsens est realiter in Eucharistia ex supra dictis; 2° in Missa est repræsentatio mortis Christi in recognitionem dominii quod Deus habet mortis et vitæ; nam consecratio utriusque speciei panis et vini seorsim facta significat, fatentibus adversariis, separationem sanguinis a corpore, quæ facta fuit in ara Crucis, ergo vera est repræsentatio mortis Christi; jam vero hæc repræsentatio seu relatio, est intrinseca consecrationi; ergo intrinseca pariter ipsi est formalis ratio Sacrificii veri et proprie dicti.

2° Ex *adjunctis* in institutione Eucharistiæ : 1° Christus primum vetus pascha celebravit in mactato corpore Agni paschalis, deinde novum ejus loco suffecit oblationem corporis sui; atqui celebratio Agni paschalis verum et proprium erat sacrificium : ergo verum sacrificium quoque dici debet celebratio novi. Hæc enim sola discrepantia est inter novum et antiquum, quod illud fuerit absolutum in pecude, istud vero relativum ad sacrificium Mose in cruce peragendum. — 2° Christus in institutione Eucharistiæ alludens ad id quod fecerat Moyses dixit : *Hic est sanguis novi Testamenti*, sicut Moyses dixerat : *Hic est sanguis fœderis*, etc.; atqui verba Moysis dicta sunt de sanguine oblati sacrificii : ergo et verba Christi de oblato sacrificio intelligi quoque debent.

3° Ex *comparatione.* 1° Apostolus [1] confert mensam et altare Christianorum cum mensa et altare Ethnicorum : *Non potestis Calicem Domini bibere, et Calicem dæmonio-*

[1] Cor. 110, 18.

rum; non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum; atqui mensa et altare Ethnicorum referuntur ad sacrificia, quæ, licet falsis diis offerrentur, vera tamen erant sacrificia : ergo mensa et altare Christianorum ad verum et proprium sacrificium referuntur, alias nulla esset comparatio. — 2° Idem Apostolus [1] altare Christianorum confert cum altari Judæorum dicens : *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo* (id est) altari tabernaculi *deserviunt;* ergo sicut Judæi, ita Christiani habent altare de quo edunt, *subsumo;* atqui altare relationem dicit ad sacrificium; ubi enim est altare, ibi necessario intervenit sacrificium; sed apud Christianos nullum aliud datur sacrificium quam Eucharistiæ, nec aliud edunt quam Eucharistiam. Ergo.

4° Ex celebri *prophetia Malachiæ*, cap. 1 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Tria importat hæc prophetia : 1° veterum sacrificiorum abrogationem; 2° illis novi sacrificii excellentioris subrogationem; 3° ejusdem ubique terrarum oblationem et celebrationem per novos sacerdotes ex gentibus assumptos; atqui tria hæc in solo sacrificio Eucharistiæ reperiuntur : 1° quidem est oblatio munda, ut patet; 2° in omni loco Deo offertur, nec potest intelligi de sacrificio crucis, cum non sit nec fuit oblatum in omni loco, sed semel tantum in Judæa, nec de sacrificio spirituali bonorum operum, quia tale sacrificium non est novum, nec substituendum loco antiquorum sacrificiorum, est enim ab initio mundi, aliunde tale sacrificium semper est Deo gratum; 3° offertur per novos sacerdotes ex gentilitate assumptos.

5° Tandem Christus in psalmo 109, et ad Hebr. 7, dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; atqui sic non

[1] Hebr. 13, 10.

dicitur nisi ex similitudine rei oblatæ in sacrificium, scilicet panis et vini : ergo, etc. Ita communiter intelligunt SS. Patres [1].

Veritas sacrificii eucharistici probatur insuper sicut præsentia realis, tum ex constanti traditione, tum ex usu universalis Ecclesiæ, id est argumento præscriptionis. *

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Apostol. inculcat unicum Christi in cruce Sacrificium, dicens [2] : *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo nullum est aliud religionis Christianæ Sacrificium ; adeoque Missa injuriosa est cruci Christi.

RESP. *Dist ant.* Apost. inculcat unicum Christi in cruce Sacrificium, per exclusionem alterius Sacrificii cruenti, *conc.* ; per exclusionem Sacrificii incruenti, *nego ant.* Itaque Apost. loquitur de Sacrificio in cruce peracto, quod est unicum, ex quo vim habent nostra Sacrificia, cum illud unicum, quasi fons sit et pretium nostrorum, nostraque Sacrificia illius sint quasi rivulus, applicatio et repræsentatio continua ; unde patet Missam non esse injuriosam cruci, cum sit crucis continua commemoratio et commendatio ; Sacrificium enim crucis nobis pretium comparavit, Missa vero confert nobis hujus pretii applicationem.

INST. 1. Apost. docet ibidem vetera Sacrificia cessasse, quia quotidie quasi infirma et inefficacia repetebantur ; *et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata ;* atqui talis quoque est Missa. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Aaronica enim Sacrificia repetebantur, eo quod nullam haberent vim expiandi culpam theologicam, sed tantum legalem et umbraticam, hæc enim est eorum infirmitas ; nostra vero Missæ Sacrificia repetuntur,

[1] Conf. Bellarm., lib. 5 *de Eucharistia*, cap. 7. — [2] Hebr. 10.

quia nova committimus peccata, quæ nova expiatione Sacrificii, quo nobis applicetur meritum et satisfactio Sacrificii crucis, indigent.

INST. 2. Apostolus, eadem Epistola [1], solum Christum statuit Pontificem et Sacerdotem; ergo non sunt ponendi in Ecclesia alii Sacerdotes.

RESP. *Nego conseq.* Excludit quidem Apostolus multitudinem Sacerdotum in eadem auctoritate et dignitate cum Christo, sed non excludit multitudinem Sacerdotum inferiorum, qui sunt vicarii et ministri Christi in sacerdotio, qui crucis Sacrificium nobis per Missæ sacrificium repræsentant et applicant; ait enim: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Pars autem præcipua sacri ministerii in liturgiæ celebratione posita est.

INST. 3. Christus nullos habet Sacerdotes successores, est enim *Sacerdos in æ ernum secundum ordinem Melchisedech;* ergo jam nulli sunt in Ecclesia Sacerdotes.

RESP. *Nego conseq.* Ideo enim Christus est Sacerdos in æternum, quia per ministerium Sacerdotum offert Sacrificium simile illi quod obtulit Melchisedech, hoc est in pane et vino; nec inde sequitur quod Christus habeat successores in Sacerdotio, sed ministros duntaxat et vicarios, per quorum ministerium ipse consecrationem perficit, dicens: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus*, etc.; ista enim verba profert Sacerdos in persona Christi, non in sua, cum non suum, sed Christi, Corpus et Sanguinem demonstret.

OBJICIES 2. Eucharistia est Sacramentum; ergo non potest esse Sacrificium; hæc enim duo pugnant inter se.

RESP. *Dist. conseq.* Non potest esse Sacrificium, sub eodem formali respectu quo est Sacramentum, *conc.*; sub alio respectu, *nego conseq.* Eucharistia enim sub duplici respectu consideranda est: 1° quatenus tendit ad sanctificationem hominis efficiendam, et sic est Sacramentum;

[1] Hebr. 7, v. 23.

2° quatenus directe et primario tendit ad recognoscendum supremum Dei in omnes creaturas dominium, licet secundario tendat ad impetranda uberiora grætiæ auxilia, et sic est Sacrificium.

INST. Ubi non est immutatio realis hostiæ, ibi non est Sacrificium; atqui in Missa non fit realis immutatio Christi, qui ibi non occiditur : ergo in Missa non est verum Sacrificium.

RESP. *Dist. maj.* Ubi non est realis immutatio hostiæ neque cruenta, neque mystica, ibi non est Sacrificium, *conc.*; ubi non est immutatio cruenta, sed est mystica, *nego maj.*, et sic distincta min., *nego conseq.*

Itaque in sacrificio Missæ Christus moraliter et mystice occiditur, quatenus vi verborum corpus ejus separatur a sanguine, quo fit ut agnus in hoc Sacrificio immolatus, ibi sit tanquam occisus : hinc S. Chrysost., homil. 15 *ad populum*, ait : *Quid agis, o homo? juras super sacram mensam, ubi et Christus occisus jacet,* non cruento modo, quod semel in cruce actum est, sed incruento et mystico.

CAPUT III.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Hic duæ dirimendæ sunt controversiæ : *prima,* in qua parte Missæ essentialiter consistat Eucharistiæ Sacrificium; *secunda,* an salvetur ratio Sacrificii in consecratione unius speciei; quæ quæstiones scholasticæ diversas inter Theologos pariunt sententias, quæ ut elucidentur, sit.

CONCLUSIO I.

Tota Sacrificii Eucharistiæ essentia in sola consecratione consistit.

PROB. 1. Sex sunt actiones, de quibus inter Catholicos controvertitur an in ipsis consistat essentia Sacrificii : *prima,*

est oblatio panis et vini ante consecrationem ; *secunda*, est consecratio ipsa ; *tertia*, est oblatio corporis et sanguinis post consecrationem ; *quarta*, est fractio et commixtio cum sanguine; *quinta*, est communio Sacerdotis ; *sexta*, est distributio fidelibus ; atqui in nulla harum consistit essentia Sacrificii, nisi in consecratione : ergo tota essentia consistit in sola consecratione.

Prob. min. 1. *Non consistit in oblatione panis et vini ante consecrationem ;* tum quia non a Christo, sed ab Ecclesia est instituta ; tum quia essentia sacrificii Missæ consistere debet in oblatione et immutatione solius victimæ Sacrificii ; atqui panis et vinum non sunt victima sacrificii Missæ, sed solus Christus, ut testatur Conc. Trid., dicens [1] : *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Ergo, etc.

2. *Non consistit in oblatione corporis et sanguinis post consecrationem ;* tum quia non est instituta a Christo, tum quia in hac oblatione nulla fit victimæ immutatio ; atqui immutatio, eaque realis, est essentialis Sacrificio. Ergo, etc.

3. *Non consistit in fractione et commixtione specierum*, quia per illas corpus et sanguis, quæ solum habent rationem victimæ, nec offeruntur, nec mutantur realiter per aliquam destructionem. Ergo, etc.

Dices : Species sacramentales sunt pars Sacrificii ; ergo ad ejus essentiam pertinent.

Resp. *Nego ant.* Sunt tantum conditiones quibus Sacrificium sensibile redditur.

Prob. ant. Illud est pars Sacrificii, sine quo Sacrificium nec esse, nec concipi potest ; atqui sine speciebus sensibilibus Sacrificium nec esse, nec concipi potest. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sine quo tanquam parte essentiali, *conc.;* tanquam conditione sine qua non, *nego maj.* Patet ex dictis.

1 Sess. 12, cap. 2.

INST. Species panis et vini sunt pars essentialis Sacramenti ; ergo et Sacrificii.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Sacramentum sit essentialiter signum sensibile ad sanctificationem hominis efficiendam, ac proinde species sacramentales, quæ sunt signum sensibile, pertinent ad substantiam Sacramenti. At Sacrificium non consistit nisi in oblatione et immolatione victimæ sensibilis ad testandum supremum Dei dominium; cum ergo species nec offerantur, nec immolentur, non sunt de substantia sacrificii, sed meræ conditiones sine quibus victima non esset sensibilis, nec posset offerri.

4. *Non consistit in distributione fidelibus,* cum Conc. Trid. [1] definierit Missam esse licitam, licet nulli distribuatur Corpus Christi.

5. *Non consistit in communione Sacerdotis;* nam actio sacrificativa est propria Sacerdotis; atqui communio talis non est, nam et Laici communicant, et Diaconi tanquam ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt. Ergo, etc.

DICES : Per communionem Sacerdotis immutatur hostia; ergo pertinet ad essentiam Sacrificii.

RESP. *Dist. ant.* Immutatur hostia ad suscipientis utilitatem, *conc.;* primario ad recognoscendum Dei supremum dominium, *nego ant.;* alias communio populi pertineret ad essentiam Sacrificii, quod est falsum.

INST. Ecclesia præcipit ut, si forte Sacerdos, repentino morbo correptus post consecrationem, non possit species consumere, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit qui utramque speciem sumat, ut perficiatur Sacrificium; ergo consumptio specierum est de essentia Sacrificii.

RESP. *Nego conseq.* Ecclesiæ præceptum probat quidem communionem Sacerdotis pertinere ad integritatem Sacrificii, non ad essentiam ejusdem. Cujus integritatis defectu dicitur cap. *Relatum,* de Consecr., dist. 2 : *Quale erit Sa-*

[1] Sess. 22, can. 8.

crificium, cujus neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?

Prob. *prop.* 2. In ea sola actione consistit tota essentia sacrificii Missæ, quam Sacerdos exercet in persona Christi, qui est principalis offerens ex Trid. [1]; atqui sola consecratio est actio quam Sacerdos exercet in persona Christi, dicens : *Hoc est Corpus meum ;* ergo tota essentia Sacrificii consistit in sola consecratione. Hinc D. Th. [2] ait : *Consecratione hujus Sacramenti Sacrificium Deo offertur.* Et in resp. ad 1um : *Alia Sacramenta perficiuntur in usu fidelium.; sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ in qua Sacrificium Deo offertur.*

Objicies : In consecratione Corpus et Sanguis Christi non destruuntur ; ergo essentia Sacrificii non consistit in consecratione.

Resp. *Nego ant.* Nam in consecratione destruitur hostia, si non cruente, saltem mystice, realiter tamen, tum quia Christus per consecrationem sub speciebus ponitur ut immolatus per separationem sanguinis a corpore ; tum quia per consecrationem ponitur in statu proximo ad realem destructionem, nam producitur sub speciebus, ut, iis corruptis, Christus non solum mystice, sed realiter destruatur quoad esse reproductum.

Inst. 1. Quod producitur non destruitur ; atqui per consecrationem Christus producitur : ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod producitur per actionem non sacrificativam, non destruitur, *conc. ;* quod producitur per actionem sacrificativam, non destruitur, *nego maj.* Christus autem producitur per actionem sacrificativam, unde producitur et offertur una eademque actione.

Inst. 2. Atqui consecratio non est actio sacrificativa; ergo.

Prob. subsumpt. Actio sacrificativa supponit victimam ; atqui consecratio non supponit victimam, nempe Christum sub speciebus : ergo non est actio sacrificativa.

1 Sess. 22, cap. 2. — 2 3 p., q. 82, art. 10.

RESP. *Dist. maj.* Actio sacrificativa non productiva victimæ supponit victimam *conc.;* productiva victimæ, *nego maj.;* hic autem una eademque est actio qua Christus producitur et destruitur mystice.

INST. 3. In die Parasceves non fit consecratio, et tamen fit Sacrificium; ergo consecratio non est actio sacrificativa.

Prob. ant. In die Parasceves Sacerdoti dicenti : *Orate, fratres,* respondet minister : *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis ;* ergo.

RESP. *Nego conseq.* Ratio est, quia ibi Sacrificium sumitur pro re sacrificata, nempe Corpore Christi, non vero pro actione sacrificandi, quæ non fit eo die ; unde vocatur *Missa præsanctificatorum*.

Extat vero *septima* sententia, quæ S. Liguorio [1] videtur probabilior, quæque dicit essentiam Sacrificii consistere partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione : *In consecratione enim*, inquit Sanctus, *ponitur victima, et in sumptione consumitur.*

* Ratio *prima*, quia verum et reale Sacrificium, veram requirit et realem destructionem rei absolutæ, quæ non habetur nisi per sumptionem sacerdotis, qua destruitur sacramentalis essentia Christi. Nec obstat dicere quod in consecratione jam habetur mors mystica, et in tantum non habetur mors realis, in quantum propter naturalem concomitantiam, nequeunt Christi sanguis et anima a corpore separari. Nam respondetur quod si concomitantia illa naturalis impedit mortem, impedit etiam sacrificium, quod sine vera et reali destructione non consumitur.

Ratio *secunda*, quia si destructio non fieret per sumptionem, sequeretur quod sacrificium fieret in cœlo, non in altari ; nam ut in altari fiat sacrificium, opus est ut prius ibi victima ponatur integra, et deinde destruatur. Cum autem in consecratione panis, vi verborum veniat tantum corpus a sanguine separatum, sequitur præsupponi de-

[1] Lib. 6, n 305.

structio jam facta in cœlo, ubi Christus integer manet. Licet enim ratione concomitantiæ Christus integer veniat, hoc fit per accidens. Cum tamen sacrificium fiat per se vi verborum, ratione separationis sanguinis a corpore, necesse est, ut etiam *per se* vi verbórum ponatur integer Christus, prius quam destruatur. *

CONCLUSIO II.

Probabilius et communius est ad essentiam Sacrificii necessariam esse utriusque speciei consecrationem.

Prob. Consecratio utriusque speciei est necessaria jure et præcepto divino, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem ;* ergo consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii pertinet.

Prob. conseq. Circa ea quæ sunt institutionis divinæ, quidquid est necessarium jure divino, ad essentiam rei institutæ pertinet; sic expressa invocatio trium personarum est de essentia Baptismi, quia ipsam Christus præcepit; atqui sacrificium Eucharistiæ est institutionis divinæ : ergo quidquid in Sacrificio est necessarium præcepto divino, pertinet ad essentiam Sacrificii.

Dices 1. Consecratio utriusque speciei est tantum necessaria jure ecclesiastico ; ergo.

Prob. ant. Innoc. IV cum Norvegis dispensavit ut in una duntaxat specie propter vini penuriam, consecrarent, ut refert Volateranus [1]. Ergo est tantum necessaria jure ecclesiastico.

Resp. *Nego utrumque ant.* Illæ enim dispensationes sunt fictitiæ, vel saltem ipso jure nullæ et irritæ.

Dices 2. Per consecrationem unius speciei Christus offertur, nam ponitur in altari tamquam victima; ergo nihil deest ad Sacrificium.

Resp. *Nego conseq*. Deest enim expressa significatio mor-

[1] L. 7 *Geograph.*, c. 4.

tis Christi, quæ in separatione utriusque speciei repræsentari debet, juxta institutionem Christi.

Inst. Per unius speciei consecrationem sufficienter repræsentatur sacrificium Crucis ; ergo nulla responsio.

Prob. ant. Per separationem animæ a corpore sufficienter repræsentatur sacrificium Crucis; atqui per unius speciei consecrationem, separatur anima a corpore, qui vi verborum est corpus exsangue ; ergo per unius speciei consecrationem sufficienter repræsentatur.

Resp. *Nego maj.* Quia sacrificium Crucis non tantum repræsentatur per mortem, sed præcipue per causam mortis, effusionem nempe sanguinis, quam utriusque speciei consecratio distincta proxime et immediate, mortem vero mediate tantum, et consequenter significat.

CAPUT IV.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSÆ.

CONCLUSIO.

Sacrificium Missæ sua efficacia comprehendit omnia antiquæ Legis Sacrificia.

Prob. In antiqua Lege erant quatuor Sacrificiorum genera, nempe Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium et Impetratorium ; atqui sacrificium Missæ comprehendit illa quatuor Sacrificiorum genera : ergo, etc.

Prob. min. per partes.

1° Sacrificium Missæ est *latreuticum*, quia offertur Deo ad testandum supremum ejus in omnes creaturas dominium.

2° *Est eucharisticum*, in quantum offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, ut patet ex praxi Ecclesiæ.

3° Est *propitiatorium*, et quidem ex opere operato.

Prob. Quod est institutum in remissionem peccatorum,

est propitiatorium ; atqui sacrificium Missæ est institutum in remissionem peccatorum[1] : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur* (juxta græcum *effunditur*) *in remissionem peccatorum*. Ergo est propitiatorium.

Hinc Conc. Trid. definit[2] : *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti ; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Hosque effectus producit ex opere operato, cum dicat idem Conc. Trid. : *Illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.*

Dices : Si sacrificium Missæ peccata dimittat, inutile erit sacramentum Pœnitentiæ ; falsum conseq. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si peccata dimittat eodem modo, *conc.;* si diverso modo, *nego maj.;* et, concessa min., similiter *dist. conseq.*

Itaque Sacramenta remittunt peccata immediate ; Sacrificium vero peccata non dimittit *quoad culpam,* nisi mediate, quatenus nempe, intuitu hujus Sacrificii, Deus peccatori, pro quo oblatum est, largitur gratias actuales quibus movetur ad pœnitentiam, disponiturque ad sacramentum Pœnitentiæ, in quo immediate fit peccatorum remissio ; ita Trid.[3].

Dixi : *quoad culpam ;* quia hoc Sacrificium remittit immediate pœnam temporalem peccatis quoad culpam remissis debitam, ut patet in Missis quas Ecclesia offert pro defunctis, in quibus sola pœna temporalis relaxanda est, ad quem effectum nihil conferunt, cum non sint in statu merendi.

Dices 2. Hebr. 10 dicit Apost. : *Voluntarie peccantibus... jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergo sacrificium Missæ non producit remissionem peccatorum.

1 Matth. 26, v. 28. — 2 Sess. 22, can. 3. — 3 Cit. cap. 2.

Resp. *Dist. textum.* Non relinquitur hostia, sumpta pro pretio redemptionis nostræ, *conc.*; sumpta pro applicatione pretii nostræ redemptionis, *nego.* Itaque sacrificio Crucis omne redemptionis et satisfactionis Deo debitæ pretium abunde et super abunde solutum est; sed applicatio hujus pretii fit quotidie per celebrationem sacrificii Missæ, quod hoc uno sensu dicitur propitiatorium, quod maxime notandum contra Novatores.

4° Denique sacrificium Missæ est *impetratorium*: nam habet vim impetrandi omnia beneficiorum genera, etiam temporalium, in hypothesi quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem; *pro infirmis, et terræ, et maris, et universi orbis fructibus sacrificamus,* ait Div. Chrysost. [1]. Et Divus Cyrillus Jerosolymit. *Catechesi* 5 *Mystag.*: *Deinde vero,* inquit, *postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, et ille cultus incruentus supra ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro omni Ecclesiarum pace, pro ægrotis, pro regibus,* etc.

CAPUT V.

DE VALORE SACRIFICII MISSÆ.

Nota. Valor sacrificii Missæ ab ejus effectu distinguitur; nam valor significat moralem dignitatem quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ; effectus vero significat id quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

CONCLUSIO.

Valor sacrificii Missæ ex parte rei oblatæ et quoad sufficientiam est infinitus; ex parte vero efficaciæ et quoad applicationem, est finitus et determinatus.

Prob. prima pars. Sacrificium Missæ idem est quoad hostiam et offerentem cum sacrificio Crucis, *sola offerendi*

1 Hom. 71 *in Joan.*

ratione diversa [1] ; atqui sacrificium Crucis valore et pretio est infinitum. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Quia Christus in hoc Sacrificio contentus, non operatur ut agens naturale, quod secundum totam virtutis suæ latitudinem operatur, sed ut agens liberum, quod non operatur nisi quantum vult; atqui Christus non vult meritum passionis suæ applicare secundum totam latitudinem virtutis suæ, tum ut magis excitetur pietas fidelium, tum ut procuretur frequentior hujus Sacrificii celebratio, sine quo stare religio non potest. Ergo, etc.

Confirmatur tum ex praxi Ecclesiæ, quæ plures Missas ad eamdem rem impetrandam celebrari permittit; tum ex damnatione hujus proposit. ab Alex. VII : *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et unicum Sacrificium offerre ;* quæ propositio fundata est in hoc falso principio, quod nempe unicum Sacrificium æque prosit ac plura.

OBJICIES : Illud effatum D. Hieron. [2] : *Dum pro cunctis animabus psalmus vel Missa dicitur, nihil minus quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Ergo Sacrificium est valoris infiniti quoad applicationem.

RESP. *Nego conseq.* D. enim Hieronymus, ut exponit Glossa, loquitur de fructu quem ipse percipit celebrans ex charitate erga mortuos, non de fructu quem omnes pro quibus offertur Sacrificium, percipiunt, qui minor est, si pro pluribus applicetur quam si pro uno.

Resolves Missam mali Sacerdotis ex opere operato tantum valere quantum Missa boni, siquidem eadem est res oblata, et idem principalis offerens; ergo et idem valor; tamen minus valet quoad orationes quæ virtutem habent ex opere operantis, quia *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* [3].

[1] Trid. sess. 22, cap. 2.— [2] Relatum can. *Non mediocriter*, de Consecr., dist. 5.
[3] Prov. 28, v. 9.

CAPUT VI.

DE CAUSA EFFICIENTE SACRIFICII MISSÆ.

Nota. Duplex est causa efficiens sacrificii Missæ: nimirum *principalis*, quæ suo nomine agit; et *ministerialis*, quæ nomine principalis agentis offert. Ideo

CONCLUSIO.

Christus in sacrificio Missæ est principalis offerens; et solus Sacerdos rite ordinatus, est minister qui solus potest immediate hoc Sacrificium offerre.

PROB. PRIMA PARS. Quia *Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;* atqui non est Sacerdos in æternum nisi quatenus usque ad consummationem sæculi Sacrificium corporis et sanguinis sui sub speciebus panis et vini offert, *ministerio Sacerdotum*, ait Conc. Trid.[1]. Ergo Christus est principalis offerens.

SECUNDA PARS probata manet ex dictis de sacramento Eucharistiæ. Tamen

Dixi: Quod solus Sacerdos *immediate* hoc Sacrificium possit offerre; quia omnes fideles per Sacerdotem offerre possunt et debent hoc Sacrificium: 1° generali quadam ratione, quatenus sunt membra Ecclesiæ; 2° speciali, quatenus procurant Sacrificium, inserviunt sacrificanti, et intersunt Sacrificio, ut constat ex canone Missæ, in quo Sacerdos sic orat: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum.... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium,* etc.

QUÆRES 1. *An Sacerdos potestatem specialem habeat Missæ fructum applicandi?*

Nota triplicem esse fructus Sacrificii portionem, generalem scilicet, mediam et specialem.

[1] Sess. 22, cap. 2.

Generalis est ea portio quæ toti Ecclesiæ advenit, et principaliter omnibus in canone Missæ expressis.

Media est ea quæ iis advenit, pro quibus Sacerdos celebrare intendit.

Specialis est ea quæ ipsi celebranti advenit, etiamsi, accepto stipendio, celebret pro aliis.

Certum est 1° Sacerdotem de fructu generali pro libitu suo non posse disponere, quia a Christo ipso, qui est principalis offerens, applicatur.

Certum est 2° Fructum medium ita a Sacerdotis beneplacito pendere, ut possit illum cuilibet voluerit applicare; ratio est quia minister in victimam habet potestatem. His tanquam certis positis,

RESP. Probabilius videtur Sacerdotem non posse alteri applicare fructum specialem; ratio est quia talis fructus ex natura sua pertinet ad Sacerdotem, sicut fructus generalis ex natura sua pertinet ad Ecclesiam; ergo sicut fructus generalis alteri applicari non potest, neque fructus specialis.

DICES : Liberum est cuilibet propriis suis bonis in favorem alterius sese abdicare; ergo.

RESP. *Dist. ant.* Si lex non obstet, *conc.*; si obstet, *nego ant.*; at hic obstat institutio Christi qui voluit ut fructus specialis Sacrificii sit personalis sacrificanti, alterique incommunicabilis.

QUÆRES 2. *Qualis requiratur intentio ad Missæ applicationem?*

RESP. Requiritur et sufficit habitualis non retractata; ratio est quia Missæ applicatio se habet per modum donationis, quæ valida est donec retractetur.

Hinc valet Missæ hodie celebratæ applicatio facta a duobus vel tribus abhinc diebus, modo nec explicite, nec implicite fuerit retractata.

Dixi: *requiritur*, quia non valet intentio interpretativa, qua quis ita est dispositus ut Missam pro tali applicasset, si

attendisset; non enim quia intentio adfuisset, sequitur quod ipsa adfuerit.

CAPUT VII.

DE IIS PRO QUIBUS SACRIFICIUM MISSÆ APPLICARI POTEST.

Nota. Hæc quæstio, quæ spectat tum viventes, tum defunctos, variis solvetur propositionibus. Ideo

CONCLUSIO I.

Licitum est offerre Missæ sacrificium pro omnibus Christianis fidelibus, sive justis sive peccatoribus, ut istis prosit ad pœnitentiam, illis ad augmentum justitiæ : at non licet directe illud offerre pro infidelibus, hæreticis et publice excommunicatis.

PROB. PRIMA PARS. Ex canone Missæ, ubi sic loquitur Sacerdos : *Hæc sancta Sacrificia illibata, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica... et omnibus orthodoxis, atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.* Ergo nullum membrum Ecclesiæ excluditur a fructu Sacrificii.

PROB. SECUNDA PARS. Pro illis non est licitum offerre Missæ sacrificium, quos Ecclesia a suis orationibus et suffragiis excludit, prohibetque ne ad altare nominentur; atqui tales sunt infideles et excommunicati, ut declarat Innoc. III [1]. Ergo.

Dixi: *directe*, quia non licet ipsos appellare, nisi in die Parasceves, sed indirecte offertur pro ipsis Sacrificium; nam offertur pro extirpatione hæresum, dilatatione Ecclesiæ; ergo indirecte offertur pro conversione infidelium, hæreticorum, excommunicatorum, etc.

[1] Cap. *A nobis*, de Sent. excomm.

Dices : Apostolus præcipit fieri orationes pro regibus [1] infidelibus ; ergo licitum est pro ipsis offerre Sacrificium.

Resp. *Nego conseq.* Equidem ex ipsa rei natura licitum est offerre Sacrificium pro infidelibus, sed nunc obstat Ecclesiæ prohibitio, quæ tempore Apostoli non obstabat.

CONCLUSIO II.

Sacrificium Missæ non potest offerri pro defunctis damnatis.

Prob. Pro illis Sacrificium non potest offerri, qui non sunt capaces fructus Sacrificii ; atqui tales sunt damnati ; quia *in inferno nulla est redemptio*. Ergo, etc.

Dices : Ecclesia Deum orat, ut defunctos liberet *de pœnis inferni et de profundo lacu ;* ergo Sacrificium prodesse potest damnatis defunctis.

Resp. *Nego conseq.* Ecclesia enim non refert suas preces ad tempus mortem subsequens, sed ad ipsum tempus mortis, pro suo more, *quæ rem, jam diu præteritam spectat ut præsentem*, ait D. Aug., epist. 78 ; sic in nativitate exhibet Christum nascentem, in resurrectione resurgentem, etc.

CONCLUSIO III.

Sacrificium Missæ rite offertur pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis.

Hæc propositio est de fide definita in Conc. Trid. [2] his verbis : *Si quis dixerit Missæ Sacrificium.... neque pro vivis et defunctis offerri debere, anathema sit.*

Prob. 1. *Ex Scriptura* [3] *: Fortissimus Judas... facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene e religiose de resurrectione cogitans... sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

[1] 1 *ad Tim.* 2, v. 2. — [2] Sess. 22, can. 3. — [3] 2 *Machab.* 12.

Ad quem locum attendens D. Aug. [1] : *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium ; sed, et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.*

PROB. 2. *Ex perpetua traditione Ecclesiæ,* quam testantur omnes Patres, dicentes cum D. Chrysostomo [2] : *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

CONCLUSIO IV.

Sacrificium Sanctis non offertur, sed Deo in honorem Sanctorum.

Hæc prop. est definita in Conc. Trid. [3]. : *Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

PROB. Ex continua Ecclesiæ praxi et traditione ; certum quippe est ex veteribus liturgiis Græcis et Latinis, Martyrum ac aliorum Sanctorum memoriam semper ad altare factam fuisse, *ut assiduas preces pro nobis offerant,* ait liturgia sancti Basilii.

DICES CUM KEMNITIO : Oblatio Sacrificii est honor supremus et latreuticus ; ergo est superstitio offerre Sacrificium in honorem Sanctorum.

RESP. *Nego conseq.* Non enim Sanctis in honorem Dei offertur Sacrificium, quod esset superstitiosum ; sed Deo in honorem Sanctorum, quæ duo sunt valde diversa : *Quamvis* enim, ait Conc. Trid. [4], *in honorem Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non ta-*

[1] Lib. *de Cura pro mortuis.* — [2] Hom. 69.
[3] Sess. 22, can. 5. — [4] Sess. 22, cap. 3.

men illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit ; unde nec Sacerdos dicere solet : Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

* CAPUT VIII.

DE MISSIS PRIVATIS ET DE LINGUA LITURGICA.

Quæres 1. *Quid sint Missæ privatæ, et an sint licitæ et approbandæ ?*

Resp. 1. Quamvis, proprie loquendo, multæ sint Missæ privatæ , siquidem omnes *vere communes,* inquit Trid. [1], *censeri debent , partim quod in eis populus spiritualiter communicet , partim vero quod publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur ;* usus tamen invaluit ut nuncupentur *Missæ privatæ,* quæ fiunt absque publico conventu, aut in quibus solus Sacerdos celebrans sacramentaliter communicat.

Resp. 2 *affirm.* Et est de fide, definitum a Trid. [2] contra Lutherum [3], his verbis: *Si quis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.*

Prob. Illæ Missæ non sunt illicitæ, nec ideo abrogandæ, in quibus salvatur essentia sacrificii et finis obtinetur , ad quem præcipue institutæ sunt; quas semper retinuit retro

[1] Sess. 22, cap. 6. — [2] Sess. 22, can. 8.

[3] Lutherus librum edidit *de Abroganda Missa privata,* suadente, ut ipse fatetur, Diabolo, easque missas vocat, *Solitarias, Singulares, Angulares,* aliisque contumeliosis nominibus afficit. Verum Doerdelein (*Inst. Theos. Christ.*) dicit Missam privatam improbatam a Luthero, a Theologis recentioribus Lutheranis passim commendari. (Conf. R. P. Perronne, *de Sacrif. Miss.*, c. 2, nota 5, p. 209 (dit. Migne.)

antiquitas, nec ulli Christi præcepto adversantur; atqui tales sunt Missæ quæ dicuntur privatæ.

Prob. min. per partes. 1° Essentia sacrificii, primariusque ac præcipuus ejus finis, est Deo supremum latriæ cultum exhibere, ipsum placare, illi pro peccatis satisfacere, tum vivis quam defunctis fidelibus veniam, requiem et omnia bona impetrare, et gratias pro beneficiis acceptis agere; atqui hæc omnia salvantur independenter a communione populi, cum sit finis Eucharistiæ, prout est Sacrificium, non Sacramentum.

2° Illas Missas semper approbavit et retinuit tota retro antiquitas, ut constat ex monumentis ecclesiasticis [1]; atqui Ecclesia nihil approbat aut retinet quod sit contra divinum præceptum.

3° Ut aliquid alicui præcepto divino adversetur, requiritur, vel ut omittatur quod præcipitur, vel ut fiat quod prohibetur; atqui nulla extat in Scripturis prohibitio non celebrandi, nisi in casu publico, vel nisi adstantes sacramentaliter communicent; nusquam enim Protestantes hanc prohibitionem invenerunt. Ergo, etc.

QUÆRES 2. *An liceat vel expediat Missam celebrare in lingua vulgari?*

Resp. negative contra Novatores, tum Pseudoreformatos, tum Jansenistas.

PROB. Id non licet, nec expedit quod adversatur Ecclesiæ legibus; quod antiquam et ubique receptam evellit consuetudinem; quod repugnat ipsimet naturæ cujusque religionis; quod tandem gravia secum trahit incommoda ac pericula; atqui talis est adversariorum præsumptio. *Prob. min.* per partes [2].

[1] Conf. card. Bona, *de Rebus Liturg.*; Bellarm., lib. 4 *de Euchar.*, etc.

[2] Quæ ex Apostolo (1 Cor. 14) objiciuntur, non sunt ad rem. Apostolus enim loquitur de donis spiritualibus, ac præsertim de dono linguarum, quo qui instructi erant, in conventibus loquebantur in lingua ignota et peregrina; verba autem liturgica non sunt peregrina cum parochi curent, juxta mon'tum Trid.,

1° Adversatur Ecclesiæ legibus. Constat 1° ex Trid. [1]; 2° ex Constit. *Unigenitus*, in qua proscripta est hæc Quesnelis prop. 86ª : *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi apostolicæ et intentioni.* 3° Constat ex Bulla *Auctorem fidei*, qua propos. 33ª, in qua pseudosynodi Pistoriensis suum sensum aperit, ut liturgia *in vulgari lingua* exponatur, damnata est ut *temeraria*, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

2° Antiquam et ubique receptam evellit consuetudinem et praxim. Constat enim omnes liturgias in lingua non vulgari esse conscriptas. Licet enim in primordiis Ecclesiarum temporibus, linguæ liturgicæ fuerint vernaculæ, quod aliter fieri non potuisse nemo non videt, brevi tamen tempore vulgares esse desierunt, quia utpote Religione consecratæ, linguis populorum mutantibus, ipsæ quasi mortuæ seu immobiles evaserunt, ut nonnisi a doctoribus et sacerdotibus intelligantur [2] ; quod ita rei naturæ consonum est, ut idem factum apud Ethnicorum cultus deprehendatur.

3° Præsumptio adversariorum repugnat ipsimet naturæ cujuscumque religionis. Dignitas enim Mysteriorum expostulat ut verba quibus exprimuntur sint immutabilia, et, ut ita dicam, æterna sicut et ipsa. Hinc Quintilianus : *Carmina Saliorum vix sacerdotibus suis intellecta, sed quæ mutari vetat religio.*

4° Præsumptio adversariorum gravia secum trahit incommoda ac pericula. Etenim : 1° ex diversitate linguarum tollitur communio Ecclesiarum, non sine unitatis fidei, religionis et charitatis detrimento; 2° mutantibus idiomatibus, aut continuo mutanda forent verba liturgica, cum gravi

sess. 22, cap. 7, ut inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant.

[1] Sess. 22, cap. 8 et can. 9 ejusdem sess.

[2] Conf. Bellarm. *de Sacrif. Missæ* Dom Gueranger, *Institut. Liturg.*, tom. III, cap. 3; Lebrun, etc.

periculo errandi, aut antiquata et ridicula, quæ risum moverent, retinenda; 3° tot esse deberent versiones liturgiæ quot sunt fere pagi aut villæ, nulla enim lingua adeo vulgaris est, ut in pluribus pagis vernacula dici possit [1].*

[1] C'est une chose remarquable, les oraisons en langue latine semblent renouveler le sentiment religieux de la foule (*Génie du Christian.*, 4e partie, liv. 1, c. 4). Quant au peuple proprement dit, s'il n'entend pas les mots, c'est tant mieux. Le respect y gagne, et l'intelligence n'y perd rien. Celui qui ne comprend point, comprend mieux que celui qui comprend mal (de Maistre, *du Pape*, liv. 1er, chap. 9).

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

Nota. Pœnitentia, secundum vim nominis, idem est ac pœnæ tenentia, cum enim dicitur : *Pœnitet me peccati ;* idem est ac si diceretur : *Pœna peccati me tenet.*

Nota 2. Pœnitentia dividitur in eam quæ est virtus, et eam quæ est Sacramentum.

Pœnitentia virtus definitur : *Habitus supernaturalis quo homo movetur ad odium et detestationem peccati commissi, cum proposito non peccandi de cætero, justitiæquæ divinæ satisfaciendi.* Hæc definitio colligitur ex Conc. Trid. [1]. Hinc Pœnitentia virtus quatuor complectitur : 1° vitæ prioris mutationem seu resipiscentiam ; 2° odium et detestationem illius ; 3° propositum vitæ melioris ; 4° prioris vitæ vindictam ; unde Pœnitentia virtus, secundum suos actus sumpta, est partialis materia sacramenti Pœnitentiæ, quæ contritio dicitur ; de qua suo loco fuse dicetur.

Pœnitentiæ sacramentum definitur : *Sacramentum a Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis et absolutionem Sacerdotis.*

Dicitur 1° *Sacramentum a Christo institutum,* quod tenet locum generis.

Dicitur 2° *Ad remittenda peccata ;* ut denotetur materia hujus Sacramenti remota, et effectus, qui est remissio peccatorum.

Dicitur 3° *Post Baptismum commissa ;* quia peccata ante Baptismum commissa non delentur per sacramentum Pœ-

[1] Sess. 14, c. 2.

miserat Apostolis, dimittendi peccata auctoritatem, his verbis : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quem locum afferens Conc. Trid. [1], ait : *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit ; et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit.*

Confirmatur ex facto D. Pauli, qui incestuoso quem tradiderat Satanæ in interitum carnis, post peractam pœnitentiam, veniam indulsit in persona Christi : *Nam et ego*, inquit [2], *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quem locum contra Novatianos urgebat S. Ambrosius [3] his verbis : *Jus sibi vindicavit Paulus acceptum, non usurpavit indebitum.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Christus non concessit facultatem remittendi peccata post Baptismum commissa ; ergo.

Prob. ant. Ex Apost. [4] : *Impossibile est eos qui semel illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Ergo Christus non concessit facultatem peccata lapsis remittendi.

RESP. *Nego conseq.* Duæ enim sunt hujus textus expositiones.

1° Est omnium pene Veterum [5], qui censent Apostolum loqui de pœnitentia quæ præit Baptismum, tantumque

in servitute diaboli, juxta illud Apostoli : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Ita omnes theologi.

[1] Sess. 14, cap. 1. — [2] 2 Cor. 2, vers. 10. — [3] L. 1, *de Pœnit.*, cap. 7.

[4] Hebr. 6. — [5] Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Occum, Haymonis, Ambrosii, Hieron., Augustini, etc.

damnare iterationem Baptismi; Hebræi enim in Judaismo sæpe se baptizabant, indeque facti Christiani, putabant pari modo posse multoties baptizari, et baptismo iterato identidem peccata, in quæ sæpius incidebant, expiare. Hanc esse mentem Apostoli probant ex verbis *illuminationis* et *renovationis*, quibus utitur; quæ apprime congruunt Baptismo, non vero Pœnitentiæ: *Is enim quem pœnitet*, ait S. Athan.[1], *peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices : qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur superne genitus, spiritus gratia.*

2ª Est Recentiorum, qui magis apposite censent Apostolum proprie loqui de Pœnitentia, eamque dicere impossibilem, id est, valde difficilem esse peccatoribus, non quibusvis, sed gravissimis, quales sunt Apostatæ, qui, post tot cœlestia dona accepta, agnitam veritatem contemnentes, a Christo ad Judaismum discedunt, ut aliqui faciebant Hebræi.

Porro, quæcumque expositio admittatur, non sequitur quod ex eo textu Novatiani inferebant, nempe nullum post Baptisma superesse lapsis remedium.

Inst. 1. Cap. 10 ejusdem Epistolæ, Apostolus ait: *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii.* Ergo peccata post Baptismum commissa non possunt remitti.

Resp. *Dist. ant.* Voluntarie peccantibus peccato quolibet, non relinquitur hostia, *nego ;* peccato apostasiæ quo a Christo ad Judaismum deficiebant, *subdist.;* si in sua apostasia perseverent, *conc. ;* si de sua priori apostasia pœnitentiam agant, *nego ant.* et consequentiam.

Itaque Apostolus manifeste loquitur de Hebræis qui fidem deserebant ut ad Judaismum deflecterent, et asserit talibus in tali statu manentibus, nullam relinqui pro peccatis hostiam; qualis enim esset? an Christus? at eum negant et

1 Epist. 4 ad *Seraptonem.*

conculcant; an alius Messias? at nullus est; an Legis sacrificia? at infirma et jam abolita erant : talibus ergo Hebræis non hostia, non spes veniæ, sed terribilis tantum ultio manet, et ignis vehemens qui consumpturus est eos ut Christi adversarios. Hic sensus eruitur tum ex verbis antecedentibus : *Non deserentes collectionem nostram;* tum ex consequentibus : *Post acceptam notitiam veritatis.*

Inst. 2. Atqui quodlibet peccatum in Deum admissum remitti nequit; ergo, etc.

Prob. sumpt. Ex lib. 1 *Reg.*, cap. 2, ubi dicitur : *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo peccata in Deum admissa remitti nequeunt.

Resp. *Dist. conseq.* Peccata in Deum remitti nequeunt, in omni facto, *nego ;* in facto speciali de quo agitur in textu, *subdist.;* remitti nequeunt per visibile sacrificium, *conc.;* per pœnitentiam, *nego.* Itaque textus loquitur de solo peccato filiorum Heli, quod *erat grande nimis coram Domino, qui* per suam ingluviem, rapacitatem et incontinentiam, *retrahebant homines a Sacrificio Domini*[1]. Et consequenter cum nullus esset peccator qui postularet pro se offerri Sacrificium, nullum supererat visibile remedium quo placari posset divina majestas, quæ tamen semper placari poterat per veram pœnitentiam.

Inst. 3. Atqui vere pœnitentibus venia peccatorum non semper indulgetur; ergo, etc.

Prob. subsumpt. Exemplo Antiochi et Esau; de Antiocho dicitur[2] : *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus;* de Esau vero : *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam;* ergo venia peccatorum non semper pœnitentibus indulgetur.

Resp. *Dist. conseq.* Venia peccatorum mendaciter pœnitentibus non indulgetur, *conc. ;* vere pœnitentibus, *nego.*

[1] 1 *Reg.* 2, v. 17. — [2] L. 2 *Machab.* cap. 9, v. 13.

Porro, mendax et fucata fuit pœnitentia Antiochi et Esau; Antiochus enim non doluit de culpa admissa, sed de crudelissimo morbo quo vexabatur. Pœnitentia vero Esau non fuit peccati et gratiæ Dei deperditæ, sed benedictionis paternæ et primogenituræ amissæ per profanam venditionem, quam desiderabat recuperare, sed frustra, cum non potuerit flectere patrem suum Isaac, ut benedictionem datam Jacobo revocaret, quin potius ipsam confirmaverit Isaac, dicens : *Benedixi ei* (Jacobo), *et erit benedictus;* hinc textus allatus proprie intelligitur de pœnitentia Isaac.

Objicies 2. 1 Joan. 5 dicitur : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem ; non pro illo dico ut roget quis.* Ergo omne peccatum mortale est irremissibile.

Resp. *Dist. conseq.* Non enim de omni peccato loquitur D. Joannes, sed de peccato apostasiæ a Christo et Ecclesia, quod ideo vocat peccatum ad mortem : 1° quia, propter indurationem, solet per totam vitam usque ad mortem durare; 2° quia aufert fidem, quæ est principium vitæ spiritualis, et consequenter tollit peccatori omnem vitam spiritualem, omnemque spem pœnitendi et resurgendi, a qua apostasia potest nihilominus resipiscere peccator et converti, licet difficile.

Inst. 1. Illud peccatum, pro cujus remissione vetat orare D. Joannes, est omnino irremissibile; atqui pro peccato ad mortem vetat orare D. Joannes. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Sensus enim textus hic est : non prohibeo quidem pro tali orare; sed non audeo polliceri quod impetrabit, ideo *non pro illo dico ut roget quis,* nimirum cum illa certa fiducia impetrandi, de qua vers. præcedenti locutus sum dicens : *Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus :*

mentum et inventum humanum. Sed tunc dicant quando, quo in loco, a quo inventore, quomodo illud fuerit inventum ? in lucem prodeant reclamationes, turbationes, dissidia, schismata quæ in talibus circumstantiarum adjunctis esse debuerunt, fuerunt enim cum Christus remisit peccata: *Et quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus*[1] ? quis tanta gavisus est potestate, tantaque præditus solertia, ut omnes christianos adduceret ad propalanda sua crimina atrociora, ad imponendum hominibus jugum naturæ superbæ, ita durum, ita difficile et onerosum, ut tanta eluceat Dei potentia in hujus Sacramenti perduratione et frequentatione, quanta emicuit sua misericordia in ejus institutione? Ergo illud Sacramentum nonnisi a Christo fuit institutum. *

* *Confirmatur* 2. Nullus hæreticus, nulla hominum secta ante Novatores sæculi XVI¹, illud Sacramentum rejecerunt, sed omnes illud admittebant et confessionem agebant. Ergo illud in Ecclesia catholica existebat ante eorum schisma, et secum ut paternam hæreditatem detulerunt, quia repugnat illud, aut illas sectas postea ab Ecclesia, aut Ecclesiam ab illis fuisse mutatam, *subsumo;* atqui ab incunabulis Ecclesiæ fuerunt schismata et hæreses; ergo ab initio extitit sacramentum Pœnitentiæ; ergo a Christo fuit institutum. *

4° Est signum perpetuum, cum potestatem dimittendi peccata absque temporis limitatione, Christus Ecclesiæ suæ concesserit.

Hinc Conc. Trid.[2] definivit: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Probatur secunda pars. Nempe *sacramentum Pœnitentiæ distinctum esse a Baptismo ejusque materia.* Probatur, inquam: 1° ex D. Aug.[3], qui asserit peccata fidelium curari

1 Marc. 2, 7.— 2 Sess. 14, can. 1. — 3 L. 2 *de Adulterinis conjugiis*, cap. 13.

remedio plane diverso ab eo quo peccata catechumenorum curantur : *Si a catechumeno factum est homicidium*, inquit, *Baptismate abluitur; si a baptizato, Pœnitentia et reconciliatione sanatur.*

Prob. 2. Ratione deducta ex Scriptura sacra, et traditione Patrum : illa Sacramenta sunt inter se diversa quæ habent materiam, formam, subjectum, ministrum et effectus omnino diversos et distinctos; atqui Baptismus et Pœnitentia habent materiam, formam, subjectum, etc., omnino distinctos et diversos : ergo sunt duo Sacramenta inter se omnino diversa.

Prob. min. per partes ; namque

1° Baptismi materia est aqua, et forma sunt ista verba : *Ego te baptizo*, etc. ; materia vero sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, forma autem sunt hæc verba : *Ego te absolvo*, etc.

2° Baptismi subjectum est homo quilibet nondum baptizatus; Pœnitentiæ vero est solus homo baptizatus; unde Conc. Trid. ibid. dicit : *Sacramentum Pœnitentiæ esse remedium, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.*

3° Baptismi minister in necessitate est homo quilibet; Pœnitentiæ vero est solus Sacerdos personam judicis sustinens.

4° Baptismi effectus sunt character, et remissio tum peccati originalis, tum actualium ante ipsum commissorum, tam quoad omnem pœnam, quam quoad culpam; Pœnitentiæ vero effectus, est sola remissio peccatorum actualium post Baptismum commissorum quoad culpam et pœnam æternam; ergo, etc.

* *Confirmatur :* Christus concessit Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata; sed si sacramentum Pœnitentiæ non est distinctum a memoria Baptismi, minister Pœnitentiæ non potest retinere subjectorum peccata; non potest enim impedire quominus vel per prædicationem, vel

per Pœnitentiæ sacramenti frequentationem in baptismum excitetur fides qua peccata remitterentur. Ergo.

Hinc merito Conc. Trident.[1] contra Novatores definit: « *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum* « *Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sa-* « *cramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non* « *recte secundam post naufragium tabulam appellari, ana-* « *thema sit.* »

PROBATUR TERTIA PARS. Nempe *Pœnitentiæ sacramentum lapsis absolute esse necessarium in re vel in voto.* Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo obtineri non potest remissio peccatorum post Baptismum commissorum; atqui sine sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto non potest obtineri remissio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, dicente Christo[2]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;* ergo, etc.

Confirmatur ex Conc. Trid.[3] dicente: *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Nam eodem modo quo Christus dixit Joan. 34: *Nisi quis renatus fuerit,* etc., dixit Lucæ 13: *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Hinc Sacramentum hoc, idem Concil.[4] vocat *secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam.*

Dixi: *in re vel in voto;* quia homo in tali statu constitutus, in quo non habet copiam Confessarii, vel defectu linguæ ministerio ejus uti non potest, contritus gratiam sanctificantem, et hac mediante, gloriam paradisi obtinere potest.

OBJECTIONES.

OBJICIES *contra primam partem:* Eadem est vis Pœnitentiæ in utraque Lege; atqui Pœnitentia in Lege veteri non fuit Sacramentum; ergo nec in Lege nova.

[1] Sess. 14, can. 2. — [2] Joan. 20, v. 23. — [3] Sess. 14, cap. 2. — [4] Sess. 6, cap. 14.

Resp. *Dist. maj.* Eadem est vis Pœnitentiæ, quatenus est virtus, *conc.*; quatenus Sacramentum, *nego maj.* In veteri quippe Lege Pœnitentiæ virtus duntaxat fuit, quæ in nova ad dignitatem Sacramenti fuit elevata; unde contritio, quæ Judæis ad salutem sufficiebat, jam nobis non sufficit sine Sacramento re vel voto percepto.

Inst. Ad Sacramentum requiritur elementum, juxta illud D. Aug [1]: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum*; atqui in pœnitentiæ ritu nullum est elementum: ergo, etc.

Resp. *Dist maj.* Ad Sacramentum requiritur elementum improprie dictum, nempe sumptum pro aliquo signo sensibili, *conc.*; proprie dictum, *subdist.*; in aliquibus Sacramentis, *conc.*; in omnibus, *nego maj.* Div. itaque Aug. loquitur de Baptismo in quo materia est aqua.

Objicies *contra secundam partem*: Joannes prædicavit [2] Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum; ergo sacramentum Pœnitentiæ non distinguitur a Baptismo.

Resp. *Nego conseq.* Joannes enim non loquitur de sacracramento Pœnitentiæ, sed de suo proprio Baptismo, cujus cum tota vis esset a virtute Pœnitentiæ, merito vocatur Baptismus Pœnitentiæ.

Inst. 1. D. Fulgentius [3], cum pluribus aliis Patribus, Baptismum appellat *sacramentum fidei et Pœnitentiæ*; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Baptismum appellat sacramentum fidei et Pœnitentiæ, respectu infidelium adultorum, qui ad Baptismum non admittuntur, nisi præmissa de peccatis Pœnitentia, *conc.*; eo quod sacramentum Baptismi sit ipsummet sacramentum Pœnitentiæ, *nego ant.*; nam effectus utriusque Sacramenti sunt valde diversi, quos sic exprimit Div. Chrysost. [4]: *Novos*, inquit, *facere est solius Baptismi, Pœnitentiæ autem est, eos qui novi facti sunt, deinde in peccatis*

[1] Tr. 80 *in Joan* — [2] Lucæ 3, v. 3. — [3] L. *de Fide ad Petrum*, c. 30.
[4] Hom. 11 *in Epist. ad Hebræos.*

inveteraverunt, liberare a vetustate, solidosque reddere; ad illum autem splendorem (receptum per Baptisma) *non licet reducere: illic enim totum est gratia.*

INST. 2. D. Aug. [1] asserit omnia peccata, etiam post Baptismum, dimitti per ipsum Baptismum; ergo sacramentum Pœnitentiæ non distinguitur a Baptismo ejusque memoria.

RESP. *Dist. ant.* Peccata post Baptismum commissa dimittuntur per ipsum Baptismum præsuppositive et dispositive, *conc.*; vere et effective, *nego ant.*

Itaque peccata post Baptismum commissa vere ac effective remittuntur per Pœnitentiam, sed præsuppositive remittuntur per Baptismum, quia cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum, nemo mundari potest per sacramentum Pœnitentiæ, nisi fuerit baptizatus. Ita seipsum explicat D. Aug., dicens: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?*

CONCLUSIO III.

Asolutio sacramentalis est actus judicialis quo vere ac proprie dimittuntur peccata, non vero nudum ministerium declarans tantum ea esse dimissa.

Est de fide, ut Conc. Trid. [2] contra Lutheranos et Calvinistas definit: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti..., anathema sit.*

PROB. *Ex verbis Christi* [3]: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Ex quibus argumentor:

Illa verba in sensu proprio naturali significant veram potestatem remittendi peccata; non enim Christus dixit, quorum declaraveritis dimissa peccata, sed *quorum remi-*

[1] L. 1 *de Nuptiis et Concupisc.*, cap. 33. — [2] Sess. 14, can. 9. — [3] Joan. 20.

seritis; atqui illa verba sunt in sensu proprio et naturali intelligenda: ergo significant veram protestatem remittendi peccata, datam Apostolis.

Prob. min. 1. Quia Christus testatur se eam Apostolis conferre auctoritatem quam ipse a Patre acceperat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, etc. Atqui Christus potestatem accepit a Patre non solum declarandi peccata esse remissa, sed vere et juridice ea dimittendi ; ergo, etc.

2. Quia Christus testatur eo ipso modo peccata esse dimittenda in cœlis, quo remittuntur in terris ; at in cœlis non tantum declarantur esse remissa, sed vere et proprie remissa habentur ; ergo.

3. Quia verbum *remittere*, cum de peccatis agitur, indicat veram et proprie dictam peccatorum remittendorum auctoritatem , ut constat ex murmuratione Pharisæorum, qui cum audierint Christum dicentem paralytico : *Remittuntur tibi peccata tua*, conquerebantur Christum sibi arrogasse auctoritatem remittendi peccata, dicentes [1] : *Quis est hic qui loquitur blasphemias ? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus ?* Ergo ista verba : *Quorum remiseritis*, etc., sunt in sensu naturali et obvio intelligenda de vera potestate remittendi peccata.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Solus Deus potest dimittere peccata, juxta illud Isaiæ 43 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas ;* ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Solus Deus potest dimittere peccata, auctoritate propria et independente, *conc.* ; solus per exclusionem causæ ministerialis et instrumentalis, *nego ant.* Christus enim concessit hominibus tanquam instrumentis et ministris ut suo nomine remitterent peccata.

Inst. 1. Solus Deus potest actione sua animam attingere;

[1] Luc. 5, v. 21.

ergo solus potest dimittere peccata per exclusionem causæ ministerialis.

Resp. *Dist. ant.* Solus Deus potest actione sua immediata et independenti animam attingere, *conc.*; mediata et dependente a signis sensibilibus, *nego ant.* Porro, potestas remittendi peccata hominibus concessa, alligata est ritui externo a Christo instituto.

Inst. 2. In nullo loco Scripturæ reperitur Christum dedisse Sacerdotibus potestatem judiciariam absolvendi a peccatis; ergo talem non habent.

Resp. *Nego ant.* Hanc enim ipsis concessit, cum [1] dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc.

Inst. 3. Atqui per ista verba: *Quorum remiseritis*, etc., Christus non dedit Apostolis potestatem judiciariam, etc.; ergo, etc.

Prob. subsumpt. S. Cyrillus hic exponit hæc verba: *Quorum remiseritis*, etc., de prædicatione Evangelii; ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* S. Cyrillus hæc verba: *Quorum remiseritis*, etc., non exponit de prædicatione Evangelii, sed ista: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, scilicet ad prædicandum Evangelium.

Inst. 4. S. Cyrillus explicans hæc verba: *Quorum remiseritis peccata*, ait dupliciter remitti peccata, scilicet *Baptismo* et *Pœnitentia;* atqui in Baptismo peccata non remittuntur per judiciariam potestatem: ergo nec in Pœnitentia.

Resp. *ad majorem.* Utrumque verum est, sed utrumque non est ad mentem Christi hoc loco; Christus enim loquitur proprie de tribunali Pœnitentiæ, Cyrillus vero sententiam Christi extendit ulterius, scilicet ad Baptismum, quæ extensio non præjudicat veritati fidei, quam exponunt alii Patres et Conc. Trid. locis jam citatis.

Objicies 2. S. Hieronymus exponens hunc textum [2]: *Tibi dabo claves regni cælorum*, ait: *Apud Deum non sententia*

[1] Joan. 20. — [2] Comm. *in cap.* 16 *Matth.*

Sacerdotum, sed reorum vita quæritur; ergo non est in potestate Sacerdotum solvendi vel ligandi quos voluerint, sed ad solum Deum illa pertinet.

Resp. *Dist. conseq.* Non est in potestate Sacerdotum arbitraria nullisque legibus adstricta solvendi vel ligandi quos voluerint: *Quasi pro arbitrio,* ait D. Hieronym. cit., *possent vel damnare innocentes, vel solvere noxios, conc.;* non est in potestate ministeriali ac certis legibus adstricta, nempe ut eos tantum absolvant qui absolutione digni videntur, *nego conseq.* Addit enim D. Hieron.: *Peccatorum varietates audiendæ sunt, ut Sacerdos sciat qui ligandus sit, quique solvendus.*

Inst. D. Hieronymus in confirmationem suæ sententiæ adducit comparationem leprosorum veteris Legis, qui jubebantur ut Sacerdotibus se ostenderent, non ut mundarentur, cum fuerint mundati a Christo, sed ut mundati declararentur; ergo mens D. Hieron. est Sacerdotes novæ Legis non aliam habere potestatem, quam declarandi peccata esse remissa.

Resp. *Nego conseq.* Comparatio enim illa claudicat, et in hunc solum finem adducitur a D. Hieronymo, ut probet Sacerdotibus incumbere munus probandi qui solvendi sunt aut ligandi, antequam ferant sententiam remissivam vel retentivam peccatorum; sicut munus incumbebat Sacerdotibus Legis mosaicæ probare utrum lepra sit mundanda, vel non, antequam leprosos declararent a lepra mundatos, et sic restituerentur templo et convictui hominum.

Urgebis: Saltem absolutio est mere declaratoria peccatorum illius qui cum contritione perfecta accedit ad tribunal Pœnitentiæ.

Resp. *Nego illatum.* Rationem reddit Concilium Trid. [1], quia in illa contritione includitur votum Sacramenti, sine quo *reconciliatio contritioni non est adscribenda.* Et ideo verba formæ : *Ego te absolvo,* tam ex Christi institutione,

[1] Sess. 14, cap. 4.

quam ex Ecclesiæ et ministri intentione, significant effectum quem Sacramentum per se operatur, si aliunde nihil obstet. Unde illa *non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronuntiat, qui prius ardentissimæ contritionis vi, accedente tamen confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consecutus sit*, ut docet Catechismus. Conc. Trident.

CAPUT II.

DE ESSENTIA ET NATURA POENITENTIÆ.

Nota. Cum essentiam metaphysicam Pœnitentiæ definitione supra tradita habeamus, hic de ejusdem essentia physica, materia scilicet et forma, agendum restat duplici articulo.

ARTICULUS I.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Nota 1. Duplex est Pœnitentiæ materia, una remota seu *circa quam*, altera proxima seu *ex qua*. Materia remota est objectum circa quod occupatur efficacia sacramenti Pœnitentiæ. Materia proxima sunt partes ex quibus Sacramentum conficitur.

Constat apud omnes materiam remotam sacramenti Pœnitentiæ esse peccata post Baptismum commissa, sive ea sint mortalia, sive veniala, sive jam fuerint confessa, sive non; cum hoc solo discrimine, quod peccata venialia et mortalia jam confessa, sint quidem materia sufficiens Pœnitentiæ, cum sine distinctione Christus dixerit : *Quorum remiseritis peccata*, etc., sed libera, cum ex Conc. Trid., *taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possint* venialia, et mortalia jam confessa sint remissa... mortalia vero nondum confessa sint materia necessaria, hoc est, dimitti non possint, nisi aut per actualem sacerdotalem absolutionem, aut saltem per illius votum, seu desiderium,

cum idem Trid. ibidem declaret omnia peccata mortalia necessario in confessione esse declaranda.—De una ergo materia proxima controvertitur, circa quam

Nota 2. Scotus [1] docet tres actus pœnitentis non esse materiam proximam, seu partes intrinsecas hujus Sacramenti, sed esse duntaxat dispositiones necessario præerequisitas ad illius effectum; contenditque totam rationem Sacramenti repositam esse in sola Sacerdotis absolutione, quæ, quatenus est sonus quidam sensibilis, est materia Sacramenti; quatenus vero significat peccatorum remissionem, est ejusdem forma. Scotistis adhæret Maldonatus.

Durandus [2] docet contritionem non esse partem essentialem hujus Sacramenti, eo quod non sit sensibilis.

Communis D. Thomæ et aliorum sententia assignat tres actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem, pro materia proxima Pœnitentiæ, cum hoc discrimine quod contritio et confessio sint materia essentialis, et satisfactio sit tantum integralis, cum quibus sit

CONCLUSIO I.

Tres actus pœnitentis, et nullatenus absolutio, sunt materia proxima Pœnitentiæ, seu partes ex quibus componitur.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex Conc. Flor.* in decreto dicente : *Quartum Sacramentum est Pœnitentiæ, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes.*

PROB. 2. *Ex Trid.* [3] definiente : *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem... anathema sit.*

Nec te moveat particula *quasi*, qua utitur Concilium, nam *hi actus,* inquit Catechismus Romanus [4], *quasi materia*

[1] In 4, dist. 14, q. 4, et dist. 16, q. 1.— [2] In 4, dist. 16, q. 1.
[3] Sess 14, can. 4. — [4] *De Sacram. Pœnit.*, n. 17.

a sancta Synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sit, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.

PROB. 3. *Ratione.* Quod componit totum, est intrinsecum toti; atqui actus pœnitentis componunt sacramentum Pœnitentiæ, cum ex Trid. sint *partes Pœnitentiæ.* Ergo.

Respondent Scotistæ. Actus pœnitentis dicuntur *partes Pœnitentiæ,* quia requiruntur ad effectum Sacramenti percipiendum; sed

Contra est: Nam actus fidei, spei, et charitatis saltem inchoatæ, requiritur ad effectum Baptismi recipiendum; ergo pari jure possent dici partes Baptismi, quod est falsum.

PROB. SECUNDA PARS. Quia, juxta Concilia Flor. et Trid., forma et materia Sacramenti a se invicem distinguuntur; atqui absolutio est forma Pœnitentiæ; ergo non est materia, nequidem, ut ait Scotus, qua parte est sensibilis, cum in Sacramentis tam forma quam materia debeat esse sensibilis: ergo ratio formæ consistit duntaxat in verbis absolutionis, quatenus sensibiliter proferuntur; non igitur eo respectu absolutio potest habere rationem materiæ.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Conc. Trid. [1] docet actus pœnitentis esse dispositiones ad percipiendum cum fructu sacramentum Pœnitentiæ; ergo non sunt materia hujus Sacramenti.

RESP. *Nego conseq.* Actus enim pœnitentis sunt dispositiones simul et materia Sacramenti; nam, quatenus præcise spectantur prout a pœnitente seipsum ad Sacramentum præparante procedunt, sunt dispositiones præviæ ad effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum; sed, quatenus spectantur prout a Sacerdote per potestatem clavium evehuntur ad Sacramentum constituendum, ejusque effectum

[1] Sess, 14, c. 4.

mediante absolutione producendum, sunt partes intrinsece componentes sacramentum Pœnitentiæ.

INST. 1. Si actus pœnitentis sint materia proxima Pœnitentiæ, pœnitens erit minister, saltem partialis, Pœnitentiæ; falsum consequens. Ergo, etc.

Prob. sequel. Si actus pœnitentis sint materia proxima Pœnitentiæ, pœnitens subministrabit materiam Sacramenti; ergo erit minister.

RESP. *Dist. ant.* Pœnitens subministrabit materiam, et simul evehet ipsam ad esse sacramentale, *nego;* et non evehet ipsam ad esse sacramentale, *conc. ant., et nego conseq.;* Porro, ille solus est minister Sacramenti, qui materiam evehit ad esse sacramentale per applicationem formæ ad materiam, quod solus præstat Sacerdos.

INST. 2. In aliis Sacramentis materia proxima est actus ministri proprius, v. g. ablutio in Baptismo; ergo in sacramento Pœnitentiæ debet quoque esse actus ministri.

RESP. *Dist. ant.* In aliis Sacramentis, in quibus materia remota est applicanda ad subjectum Sacramenti, ut aqua quæ in Baptismo applicatur baptizando, *conc. ;* in aliis, *nego ant.* Porro, in sacramento Pœnitentiæ nulla est materia remota quæ debeat ad subjectum applicari, cum potius debeat expelli a subjecto et destrui.

OBJICIES 2. Materia Sacramenti debet esse sensibilis; sed contritio non est sensibilis; ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Materia debet esse sensibilis vel per se, vel per aliud, *conc.;* per se semper, *nego maj.* Contritio autem sensibilis est vel per confessionem, vel per actum ejus exterius prolatum.

OBJICIES 3. Id non est materia Sacramenti, sine quo validum est Sacramentum; atqui Sacramentum moribundi confiteri non valentis est validum absque confessione. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Sine confessione actuali et explicita, *conc.;* sine confessione virtuali saltem et implicita,

nego min.; nam in tali casu semper est confessio virtualis inclusa in petitione Confessarii, vel etiam, ut multi volunt, in vita christiane peracta; sed de hoc argumento infra.

CONCLUSIO II.

Contritio et confessio sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, satisfactio vero est pars integralis.

PROB. PRIMA PARS. Illæ partes sunt essentiales Sacramenti, sine quibus stare non potest Sacramentum; atqui, sine contritione et confessione, non potest stare sacramentum Pœnitentiæ, ut probabitur dum agemus de ipsis. Ergo, etc.

Hinc sequitur sacramentum Pœnitentiæ non posse esse validum simul et informe, quia omnia quæ requiruntur et sufficiunt ad valorem sacramenti Pœnitentiæ, sufficiunt etiam ad gratiam sanctificantem producendam ; ergo.

DICES : Cætera Sacramenta possunt esse simul valida et informia; ergo et sacramentum Pœnitentiæ.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod in aliis Sacramentis dispositio subjecti necessaria ad producendam gratiam, non sit pars essentialis Sacramenti, ac proinde Sacramentum possit habere totam suam essentiam absque productione gratiæ sanctificantis, quæ non confertur sine dispositione subjecti. At in sacramento Pœnitentiæ contritio necessaria ad gratiam sanctificantem recipiendam, est simul subjecti dispositio et essentialis pars Sacramenti ; ac proinde non potest esse validum, quin producat gratiam et sit formatum.

PROB. SECUNDA PARS. Ea pars est tantum integralis, sine qua ponitur essentialiter Sacramentum et ejus primarius effectus, nempe justificatio; atqui talis est satisfactio respectu sacramenti Pœnitentiæ ; valet enim sine illa absolutio data peccatori contrito et confesso : ergo, etc.; tamen *satisfactio in voto*, seu *propositum satisfaciendi*, cum ne-

cessario saltem implicite includatur in contritione, est pars essentialis Sacramenti; unde dixi in conclusione *actualis*.

DICES: Sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii vindicativi; ergo satisfactio est pars essentialis.

RESP. *Dist. ant.* Est institutum per modum judicii vindicativi secundario, *conc.*; primario, *nego ant.* Itaque sacramentum Pœnitentiæ primario et essentialiter est judicium reconciliativum; secundario et integraliter est judicium vindicativum; unde sequitur satisfactionem esse partem integralem, non essentialem.

INST. 1. Ex Conc. Trident.[1], *debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere.* Ergo est pars necessaria et essentialis.

RESP. *Nego conseq.* Sacerdotes enim tenentur imponere satisfactiones, quia tenentur facere Sacramentum integrum.

INST. 2. In veteri Ecclesia praxis fuit non concedendi absolutionem, nisi prius expleta satisfactione; ergo satisfactio censebatur pars essentialis.

RESP. *Dist. ant.* In veteri Ecclesia praxis fuit non concedendi absolutionem omnium peccatorum, nisi prius expleta satisfactione, *nego*; peccatorum graviorum, *subdist.*; extra vitæ periculum, tempus persecutionis, etc., *conc.*; in illis temporibus, *nego ant. et conseq.* Ex quo patet in Ecclesia satisfactionem semper habitam fuisse ut partem duntaxat integralem: alias Ecclesia his in casibus violasset institutionem Christi, quod nemo sanæ mentis dixerit.

[1] Sess. 14, c. 8.

ARTICULUS II.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Nota. Tria hic quæri possunt : ***primum,*** an forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis ; ***secundum,*** an necessario debeat esse indicativa ; ***tertium,*** quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis.

§ I.

An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis?

CONCLUSIO

Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis humana voce prolatis.

Prob. *Ex Conc. Florentino* dicente [1] : ***Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit:*** Ego te absolvo, etc. ; et *Trid.* [2] dicente : ***Docet Sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam... illis ministri verbis positam esse :*** Ego te absolvo, etc. Ergo forma sacramenti Pœnitentiæ debet essentialiter constare verbis humana voce prolatis, cum ipsa consistat in ***verbis*** quæ Sacerdos ***profert,*** cum ***dicit :*** Ego te absolvo.

Unde jure merito Clem. VIII [3] hanc propositionem : ***Licet per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere,*** damnavit ut falsam, temerariam et scandalosam, ac prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipsam edoceri, aut ea in praxi uti.

Dices : Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii ; at judicium non exigit essentialiter ut sententia verbis proferatur ; ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Est institutum per modum judicii di-

[1] In *Decreto pro Armenis.* — [2] Sess. 14, c. 3.

[3] Bulla *Sanctissimus Dominus,* data ann. 1602.

vini in foro interno, *conc.*; humani vel in foro externo, *nego maj.*, et sic ad minorem.

Itaque sententia in foro externo lata potest vel verbis, vel scripto, vel nutibus proferri; at ex perpetua traditione et Conciliorum definitione constat sententiam in foro interno debere verbis proferri; multum enim discrepat judicium fori interni a judicio fori externi; primum enim est in solutionem rei institutum; secundum est in ejus condemnationem; primum est voluntarium; secundum est contentiosum et necessarium. In primo, idem est reus et accusator; in secundo, sunt diversi, etc.

Inst. Matrimonium potest scripto vel nutibus celebrari; ergo et Pœnitentia.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Christus, instituendo matrimonium, novum ritum non instituit, sed unice contractum humanum ad rationem Sacramenti elevavit; cum autem contractus humanus ante suam ad rationem Sacramenti elevationem verbis, scripto, vel nutu celebratus, fuerit validus; ergo et post suam ad rationem Sacramenti elevationem: e contra, instituendo sacramentum Pœnitentiæ, novum ritum instituit, quem voluit administrari per verba proprie dicta et ore prolata.

§ II.

Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria, vel indicativa esse debeat?

Nota. Morinus [1], quem sequuntur aliqui recentiores, docet formam Pœnitentiæ esse quidem actum judicialem, sed quæ indifferenter potest exprimi verbis deprecatoriis vel indicativis, prout Ecclesiæ placuerit eam determinare, cui Christus reliquit determinandum; imo docet duodecim prioribus sæculis deprecatoriam fuisse in Ecclesia Latina, et nunc quoque deprecatoriam esse in Ecclesia Græca, contra torrentem doctorum qui docent formam Pœnitentiæ debere

[1] L. 8 *de Pœnit.*, cap. 8 et seq.

RESP. *Nego ant.* Christus enim instituit ut Sacerdos verbis exprimeret se remittere peccata, non vero præcise peccata a Deo remitti : ita docet D. Th.[1] dicens : *In Sacramentis verba efficaciam habent ex institutione divina ; unde tenenda sunt verba determinata, consonantia divinæ institutioni. Institutioni autem dicentis,* quodcumque solveris, etc., *hæc verba conveniunt :* Ego absolvo te, *ac propterea tenenda sunt.*

Prob. ant. Ecclesia Latina adhibuit formam deprecativam usque ad XII^um^ sæculum, quam etiam hodie Ecclesia Græca adhibet; ergo Ecclesia intellexit neutram a Christo fuisse determinatam; nam si intellexisset alterutram a Christo fuisse determinatam, eam haud dubie summa religione retinuisset. RESP. *Nego ant.*

Prob. prima pars anteced. (secunda enim probabitur in objectione sequenti); *prob.*, inquam, ex antiquis Pœnitentialibus et Ritualibus manuscriptis, in quibus nulla forma indicativa reperitur, sed solum orationes quibus Deus deprecabatur, ut indulgeret pœnitentibus; ergo tunc forma erat deprecativa.

RESP. *Nego conseq.* Tum quia nullius est momenti illa probatio negativa contra expressam clavium concessionem a Christo factam Ecclesiæ, ut docet D. Th.[2]: *Dicendum,* inquit, *quod nec magister* (Sententiarum) *formam posuit, nec legitur alia forma, qua sanctorum aliquis usus fuerit, sicut nec etiam legitur, quod aliquis hanc formam negaverit. Legitur autem quod ipse institutor Sacramenti dixit :* Quodcumque solveris, *quod est majus omni auctoritate.* Tum quia prioribus sæculis formæ Sacramentorum et alia mysteria non scripto, sed viva voce tradebantur, ne Ethnicis aut Judæis facile innotescerent, et ab iis contemnerentur aut irriderentur. Hanc solutionem admittere debet Tournely hic nobis contrarius, qui [3] rationem reddens cur apud veteres non reperiatur septenarius numerus Sacra-

[1] *Opusc.* 22. — [2] *Opusc.* 22 cit. — [3] Q. 2 *de Sacramentis*, art. 1.

mentorum, ait : *De Sacramentis parce omnino veteres in suis scriptis tractabant ob reverentiam silentii circa mysteria servandi, ne forte a Paganis vel Judæis irriderentur.*

Inst. 1. SS Patres, qui ante sæculum XII^um floruerunt, affirmant pœnitentes per orationes Sacerdotum absolvi; ergo forma deprecatoria usa est Ecclesia.

Resp. *Nego conseq.* Nam sic locuti sunt Patres, non ut formam deprecativam significarent, sed

1. Quia per ly *oratio* totum pœnitentiæ ritum comprehendunt; cui merito adscribunt remissionem peccatorum, non quod oratio eam efficiendi vim habeat, sed quia materiæ et formæ, quæ de se hanc virtutem habent, moraliter est unita, et sic ad ejus productionem aliqualiter concurrit; ita intelligendus est S. Leo [1], cum dicit : *Indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequit obtineri.*

2. Ut significarent Sacramentorum ministros esse tantum causam instrumentalem, Deum vero solam causam principalem gratiæ et remissionis peccatorum; ita intelligendus est D. Ambros. [2] : *Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent ; neque enim in suo, sed in Patris, et Filii, et Spiritus Sancti nomine peccata dimittuntur ; isti rogant, divinitas donat.*

3. Quia per orationem et supplicationes intelligunt formas Sacramentorum quatenus habent vim impetrandi a Deo gratiam peccati remissivam, sic enim sunt implicita invocatio divinæ virtutis; hoc sensu illud D. Ambrosii intelligendum est : *isti rogant, divinitas donat.* Hinc forma Baptismi et Eucharistiæ a D. Aug. [3] dicitur deprecatio.

Inst. 2. Guillelmus Parisiensis, qui vivebat anno 1230, ait [4] : *Non more judicum forinsecorum pronuntiat Confessor: absolvimus te, non condemnamus ; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem at-*

[1] Epist. 91, c. 2, et refertur c. *Multiplex*, dist. *de Pœnit.* — [2] L. 3 *de Spiritu Sancto*, cap. 18. — [3] L. 5 *de Bapt.*, c. 20. — [4] Cap. 19 *de Sacram. pœnit.*

que gratiam sanctificationis tribuat. Ita etiam sensit Hugo Cardinalis; ergo, etc.

RESP. *Dist.* Sic loquitur ut rejiciat formam indicativam, *nego;* ut astruat Sacerdotem non virtute propria et auctoritate humana, sed auctoritate a Deo accepta, et virtute Dei ut causæ principalis remittere peccata, *conc.;* unde *nego conseq.* * Præterea D. Thomas, Opusc. 22, asserit *non constare quod ita senserint.* Postea addit: *Sed etsi sic senserunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro:* Quodcumque solveris, etc.; *numquid etiam, si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis:* Ego te absolvo, *absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?* *

OBJICIES 3. Valuit et etiamnum valet apud Græcos forma absolutionis verbis deprecativis expressa; ergo, etc.

Prob. ant. Quia in Euchologiis Græcorum veteribus et recentioribus non alia reperitur quam deprecatoria absolutionis forma; ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Ratio est, quia prima Græcorum Euchologia condita fuere eo tempore, quo Sacramentorum formæ sine urgenti necessitate scripto non mandabantur, sed solum viva voce solis ministris tradebantur; in recentioribus vero Euchologiis hæc forma: *Habeo te venia donatum,* reperitur, teste Arcudio peritissimo Græco [1]; hæc autem forma in praxi græca eadem est ac ista: *Absolvo te a peccatis tuis*, etc.

INST. Clem. VIII, in Instructione super ritibus Græcorum, ann. 1595 edita, ait: *In causa necessitatis, Presbyteri Græci catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concil. Florent. præscripta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consue-*

[1] L. 4 *de Pœnit.*, cap. 3.

verunt. Ex quo duo sequuntur : *primum,* Græcos formam tantum deprecativam usurpare consuevisse ; *secundum,* Græcos valide absolvi a Græcis per solam formam deprecatoriam.

Resp. 1. *Dist. primam partem conseq.* Ex Clem. VIII sequitur Græcos aliquos formam tantum deprecatoriam usurpasse, *conc.;* omnes, *nego.* Itaque, teste Arcudio, major pars Græcorum ex ignorantia formam tantum deprecativam adhibebant. quos instruens Clem. VIII, ipsis prohibet, ne id in posterum faciant, relicta libertate suam orationem, *si voluerint,* addendi formæ indicativæ ; per quod Summus Pontifex mentem suam sufficienter declarat, absolutionem deprecativam esse invalidam, alias hanc libertatem non reliquisset, cum non liceat bis proferre formam supra eamdem materiam.

Resp. 2. *Nego secundam partem conseq.* Nam Summus Pontifex absolute loquitur, dicens : *Utantur forma,* etc., non vero dicit : cum absolvunt Latinos.

Objicies 4. Si forma absolutionis deberet esse indicativa, sequeretur ipsam esse falsam, dum profertur in peccata jam remissa.

Resp. *Nego sequel. maj.* Quia remissionis confirmatio vere semper est remissio, eo sano ac vero sensu quo a Theologis dicitur conservationem esse continuam creationem.

Inst. 1. Quod jam datum est, iterum dari non potest ; atqui, peccato jam remisso, venia jam data est : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.;* Iterum dari non potest alteri, *conc.;* eidem, *nego maj.,* et sic ad consequens ; nonne nosmetipsos quotidie Deo offerimus ? quis audeat dicere illam oblationem non esse veram et Deo gratam ?

Inst. 2. Vincula soluta iterum solvi nequeunt ; atqui per primam absolutionem vincula peccatorum soluta sunt : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Vincula physica, quæ physicam actio-

nem supponunt, *conc.*; vincula moralia, quorum solutio se haberet per modum condonationis, *nego maj.*

Inst. 3. Peccatum remissum se habet tanquam nullatenus fuisset commissum; sed peccatum non commissum, non est remissionis objectum ; ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam peccatum remissum vere est commissum, et de propitiato peccato cum non debeamus esse sine metu, ideo semper de ipso dolere possumus et remissionem obtinere.

§ III.

Quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis?

CONCLUSIO.

Verba sequentia: Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *sunt necessaria necessitate præcepti; verum sola ista :* Absolvo te, *sunt de necessitate Sacramenti.*

Prima pars constat ex usu Ecclesiæ vim legis habente; ita ut qui contra illum usum aliqua verba detraheret, vel adderet, regulariter loquendo graviter peccaret.

Prob. secunda pars. Illa sola verba sunt de necessitate Sacramenti, quæ exprimunt ministrum, subjectum et effectum Sacramenti primarium, nempe reconciliationem ; sed hæc verba: *Absolvo te,* illa tria exprimunt; ergo. Namque: 1° pronomen *ego* includitur in verbo *absolvo;* 2° confessio peccatorum quæ præcessit, sufficienter determinat verbum *absolvo,* ad significandam absolutionem a peccatis ; 3° ista verba : *in nomine Patris,* etc., non sunt a Christo instituente hoc Sacramentum addita, sicut in Baptismo; ergo.

Dices : Conc. Flor., hanc formam assignando, hæc verba: *a peccatis tuis,* profert; ergo sunt essentialia.

Resp. *Nego conseq.* Inde sequitur tantum quod sint necessaria ex præcepto Ecclesiæ, ut magis expressiva remissionis peccatorum; alias ista verba : *in nomine Patris,* etc., essent

etiam essentialia, cum et illa proferat Conc. Flor.; quod est contra sententiam omnium Theologorum.

CAPUT III.

DE PRIMA PARTE POENITENTIÆ, SEU DE CONTRITIONE.

Nota. Duplex e Concil. Trid. [1] distinguitur contritio: nempe *perfecta,* quæ justificat ante actualem Sacramenti perceptionem; et *imperfecta,* quæ dicitur *attritio,* nec justificat sine Sacramento. Hinc, ut ordine in hac tanti momenti materia procedamus, agemus: 1° de contritione universim sumpta, prout abstrahit a perfecta vel imperfecta; 2° de contritione perfecta; 3° de imperfecta: tribus quæstionibus.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE UNIVERSIM SUMPTA.

Nota. Cum nullæ vel leves de contritione universim sumpta inter Theologos exurgant controversiæ, ideo quæ ad hanc materiam spectant variis quæstiunculis dirimemus: itaque,

Quæres 1. *Quid sit contritio?*

Resp. Cum Conc. Trid. [2]: *Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Cui definitioni addi debent hæc verba: *et voto confitendi et satisfaciendi*, ut habeatur definitio contritionis prout Legis evangelicæ est propria.

Dicitur 1° *Animi dolor;* id est tristitia voluntatis, peccatum tanquam malum præsens aversantis, et illud expellere conantis: qui cum Ezechia [3] dicere debet: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Porro, quamvis contritionis dolor sit voluntatis et non appetitus sensitivi, tamen propter sympathiam appetitus rationalis cum sensitivo, sæpe ex illo in hunc redundat, et

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Sess. 14, cap. 1. — [3] Apud *Isai.*, 38.

tentiæ semper necessario requiritur contritio formalis, cum sit pars essentialis illius materiæ.

III. Debet esse *supernaturalis*, tum ex parte auxilii, tum ex parte motivi, id est, debet elici per auxilium gratiæ, et ex motivo per fidem proposito.

Ratio primi est, quia nemo potest solis naturæ viribus ad gratiam justificationis se disponere. Concil. Trid. [1] definit : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem... pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Ratio secundi est, quia actio moralis speciem suam præsertim ex motivo sumit; ergo, ut contritio sit supernaturalis, motivum ejus esse supernaturale necesse est : hinc merito Clerus Gallic., ann. 1700, hanc propositionem damnavit ut hæreticam : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Eamdem jam damnaverat Innoc. XI.

Resolves : Nullum fore Sacramentum, si contritio non sit supernaturalis, etiamsi pœnitens probabiliter judicet eam esse supernaturalem; nam, cum partes Sacramenti sint necessariæ ex institutione divina, si non sint tales, quales Christus eas esse voluit, nihil omnino a Ministro conficitur; nam se habet Deus respectu peccatoris, sicut se habet creditor respectu debitoris; ergo quemadmodum creditor non remittit debitum homini, qui pro vero auro, quod debebat, præberet aurichalcum, quantumvis crederet esse verum aurum; ergo nec Deus remittit peccatum reo, qui pro actu supernaturali, qui exigitur, naturalem tantum elicit, licet eum esse supernaturalem existimet.

IV. Debet esse *universalis*, ita ut ad omnia peccata mortalia generatim sese extendat, et nullum prorsus excludat, juxta illud [2] : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis ... vita vivet :* ratio est, quia unum mortale non potest remitti sine aliis omnibus; atqui, ut contritio

[1] Sess. 6, can. 3. — [2] Ezechiel 18.

valeat ad remissionem omnium mortalium, debet saltem generatim ad omnia se extendere: ergo, etc.

Dixi : *generatim ;* quia non est necesse ut se extendat ad omnia peccata mortalia speciatim, id est ut tot sint numero contritionis actus, quot sunt numero peccata; unica enim sufficit contritio, quæ ad omnia peccata commissa se extendat.

V. Debet esse *summa,* non quidem intensive, sed appretiative.

Contritio *intensive summa,* est ea qua quis summo voluntatis ardore detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei; hinc *intentio* spectat gradum actus subjecti elicientis contritionem.

Contritio *appretiative summa,* est ea qua quis de peccato commisso longe magis æstimative dolet, quam de quovis alio malo et damno, ita ut mallet potius rerum omnium pati dispendium, quam Deum offendere; hinc ly *appretiative* spectat objectum quod pluris fit omnibus rebus, et motivum propter quod pluris æstimatur. His positis,

Prob. prima pars responsionis. Tum quia intensio gradus non est in potestate hominis, et scripturæ testimonia exponi recte possunt *de totalitate integritatis et perfectionis, non vero de totalitate gradualis intentionis,* ut ait Melchior Canus[1]. Tum quia intensio actus voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis; atqui objectum sensibile naturaliter vehementius movet et afficit voluntatem, quam objectum intelligibile aut spirituale: ergo dolor, qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest eo qui concipitur propter offensam Dei, etiamsi peccatum magis detestetur homo, modo appretiativo; sic pater potest intensive magis dolere de mortuo filio, et tamen simul magis appretiative dolere de Deo offenso.

Dices : Perfectius est intensive dolere de peccato, quam appretiative ; ergo contritio debet esse intensive summa.

[1] *De Pœnit.,* part. 3.

RESP. *Nego ant.* Nam intentio actus oritur a sensibus et imaginatione; appretiatio autem ex judicio rationis, quo unum judicatur esse majus malum quàm aliud, ex detestatione voluntatis procedit, quod est perfectius.

Prob. secunda pars responsionis. Contritionem esse appretiative summam, est peccatorem detestari peccatum super omnia alia mala; atqui pœnitens debet peccatum, cum sit summum malum, detestari super omnia alia mala; ergo contritio debet esse appretiative summa : hinc dicitur [1] : *Convertimini ad me in toto corde vestro,* scilicet totalitate appretiationis.

QUÆRES 4. *An ad contritionem requiratur certa temporis mensura?*

Resp. negative. Quia potest Deus in instanti hominem quantumvis induratum ad se convertere, juxta illud [2]: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit;* unde D. Aug. [3] ait : *In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.*

Fatendum tamen est, longiore temporis mora opus esse, ut quis e cœno graviorum peccatorum ex malitia et consuetudine commissorum, ita statim emergat, ut ad sufficientem cordis conversionem et proinde ad veram contritionem perveniat.

QUÆRES 5. *An contritio de peccatis sit necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum mortalium?*

Resp. affirmative. Ita enim definiit Conc. Trid. [4] : *Fuit autem,* inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

PROB. Contritio tria complectitur : 1° cessationem a peccatis; 2° eorumdem odium et detestationem; 3° vitæ novæ propositum atque inchoationem; atqui illa tria impio semper necessaria fuere necessitate medii ad justificationem. Ergo, etc.

Prob. prima pars min. Ex illo Is. 55. *Derelinquat im-*

[1] Joel 2. — [2] Ezechiel. 33, v. 12. — [3] *Enchir.*, cap. 65. — [4] Sess. 14, c. 4.

pius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus. Quare Apostolus prius hortatur Romanos, ut abjiciant opera tenebrarum, deinde ut induantur arma lucis : *Abjiciamus ergo,* inquit, *opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Ergo impius, qui Deo vult reconciliari, debet primum cessare a peccatis.

Prob. secunda pars min. Ezech. 18 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet et non morietur ;* ergo, si eam non egerit, morietur : id aperte declarat Christus [1] : *Nisi pœnitentiam egeritis,* inquit, *omnes similiter peribitis.*

Quare D. Aug. [2] ait : *Nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.* Ergo, etc.

Prob. tertia pars min. Quia justificatio non tantum dicit aversionem a bono commutabili, sed etiam conversionem ad bonum incommutabile, juxta illud Zachar. 1 : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Atqui non potest esse conversio ad bonum incommutabile, absque novæ vitæ proposito et inchoatione ; ergo, etc. Hoc disertis verbis docet Deus [3] : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ergo, etc.

Objicies : Actus charitatis Dei super omnia sufficit ad justificationem impii ; ergo vitæ veteris odium non requiritur. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. 1 Petri 4 : *Charitas operit multitudinem peccatorum ;* reddit nos filios Dei [4]. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est ;* ergo sufficit ad justificationem.

Resp. *Dist. conseq.* Sufficit conjuncta cum vitæ prioris odio, ad quod movet, *conc.;* sufficit sola ac in se tantum considerata, *nego.* Nam Leo X et Concil. Trid. Lutherum damnarunt, quod doceret explicitum vitæ veteris odium et detestationem ad justificationem impii non requiri, conten-

1 Lucæ 13. — 2 Serm. 352. — 3 Ezech. 18. — 4 1 Joann. 4.

deretque sufficere vitæ novæ propositum; ergo, cum actus charitatis, quantumcumque sit perfectus, explicitam illam detestationem non includat, non potest per se solum esse sufficiens ad justificationem impii dispositio.

INST. Actus charitatis includit virtualiter præteritorum peccatorum detestationem; ergo per se solum est dispositio sufficiens ad justificationem impii.

RESP. *Nego conseq.* Nam ad justificationem impii essentialiter requiritur explicitum vitæ veteris odium, ut docet Conc. Trid. [1]: *Et certe,* inquit, qui *illos Sanctorum clamores consideraverit :* Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; Laboravi in gemitu meo; Lavabo per singulas noctes lectum meum; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, *et alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.*

QUÆRES 6. *Utrum contritio sit homini justo necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum venialium?*

RESP. Requiritur saltem virtualis, ut docet D. Aug [2]: *Ne quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque, sive magno, sive parvo peccato, ad correctionem sine Pœnitentia posse transire.* Ratio D. Th. [3] est, quia *sicut peccatum mortale remitti non potest quandiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia, manente causa, manet effectus.*

Dixi: *saltem virtualis contritio ;* quia, ut docet ibidem D. Th., perfectiori pœnitentia opus est ad mortalium remissionem, scilicet actuali detestatione omnium et singulorum: ad venialium vero remissionem sufficit, et requiritur virtualis tantum displicentia, qua vir justus affectu tam fervido fertur in Deum et res divinas, ut quidquid ipsi occurreret, quod eum ab hoc motu retraheret, doleat commisisse, etiamsi actu de hoc non cogitaret; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum

[1] Sess. 14, c. 4. — [2] Epist. 48. — [3] 3 p., q. 87, art. 1.

ad peccata oblita, post diligentem inquisitionem. Tota illa resolutio est D. Thomæ.

OBJICIES 1. Ad remissionem venialium sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis; ergo non requiritur displicentia virtualis.

RESP. *Nego ant.* cum D. Th. Ratio est, *quia,* inquit, *sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum.*

OBJICIES 2. D. Aug.[1] asserit peccata venialia dimitti per prolationem horum orationis dominicæ verborum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Per prolationem horum verborum cum aliqua peccatorum præteritorum displicentia, ut supponit Aug., *conc.;* absque tali displicentia, *nego.* Neque enim debito modo hæc petitio: *Dimitte nobis,* etc., recitari potest nisi ab eo qui peccatum suum, quantumcumque leve sit, interius detestetur.

OBJICIES 3. Peccata venialia remitti possunt per unum Sacramentalium; ergo contritio, etiam virtualis, non est ad eorum remissionem absolute necessaria.

RESP. *Nego ant.* Remittuntur mediate, *conc.;* immediate, *nego.* Itaque sacramentalia ad remissionem venialium concurrunt per modum impetrationis, quatenus Ecclesia per orationes, quibus ad sacramentalium consecrationem utitur, a Deo exposcit, ut iis, qui sacramentalia adhibituri sunt, conferatur gratia actualis, quæ justos moveat ad venialium detestationem; sed sacramentalia non delent peccata venialia per se, quia cum non a Deo, sed ab Ecclesia fuerint instituta, non habent annexam promissionem gratiæ.

QUÆRES 7. *Utrum Contritio de peccatis sit præcepta, et quo jure?*

RESP. Est necessaria jure et præcepto divino, illudque præceptum traditur Ezech. 18: *Convertimini et agite pœni-*

[1] Lib. 50, hom. 28.

tentiam ab omnibus inquinamentis vestris. Et Lucæ 13: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* ... Ratio est, quia quidquid est necessarium necessitate medii ad salutem, est quoque necessarium necessitate præcepti divini; Deus enim vult, ut omnibus mediis, sine quibus salus obtineri non potest, utamur; atqui, etc.

Nota: Quæ dicimus de necessitate et præcepto divino contritionis, eadem de necessitate et præcepto divino confessionis, dicta esse intelligas, ne ipsa cum fastidio refricare cogamur, dum agemus de confessione; itaque

QUÆRES 8. *Quo tempore obliget divinum contritionis* (idem quæritur de confessione) *præceptum?*

Certum est 1. Præceptum divinum contritionis obligare *per se:* 1° in probabili periculo mortis, quia vel nunquam obligat, quod asserere erroneum est, vel saltem obligat in articulo mortis, quia tunc præsertim tenetur quilibet saluti animæ suæ consulere: sine contritione vero et pœnitentia nemo lapsus potest salvari: ergo, etc.; 2° aliquoties in vita, quia præcepta positiva et affirmativa non tantum obligant in extrema necessitate, sed etiam cum probabiliter judicatur eorum observatio necessaria; hinc præcepto Ecclesiæ quotannis semel facienda est confessio sacramentalis; an vero sæpius etiam in anno, et quoties? judicabit vir prudens et pius [1].

Certum est 2. Præceptum divinum contritionis obligare *per accidens,* quando urget præceptum alicujus Sacramenti vivorum percipiendi, ut per se patet.

Certum est 3. Optimam et ab omnibus Confessariis suadendam praxim eorum qui peccatum detestantur, statim ac commissum fuit, juxta illud Eccl. [2]: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem,* etc. Ratio est, quia peccator tenetur vitare periculum incidendi in novum peccatum; atqui, ex D. Greg. [3], *Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.*

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 437. — [2] C. 5. — [3] L. 25 *Mor.*, cap. 9.

Status ergo quæstionis disputatæ inter Theologos hic est : an præceptum contritionis per se obliget sub peccato, statim ac peccatum commissum est ? quæ ut solvatur, sit

CONCLUSIO.

Peccator statim a peccato commisso non tenetur sub peccato contritionis præcepto, sicut nec præcepto confessionis [1].

PROB. 1. Quia præceptum resurgendi a peccato est affirmativum, cum aliquid præcipiat ; atqui præcepta affirmativa non obligant pro omni omnino tempore: ergo. Hinc est quod ecclesiasticum confessionis præceptum, quod est determinatio præcepti divini quoad tempus, non obstringit nisi semel in anno.

2. Quia si novum committitur peccatum non conterendo statim a peccato commisso, homo toties peccaret et quidem specialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem, et eam non impleret; atqui hoc est contra communem sensum tum confitentium, qui circumstantiam hanc in confessione declarare non assueverunt, tum Confessariorum, qui de hac circumstantia pœnitentes suos non interrogant. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Dicit Scriptura [2] : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*. Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Ibi enim Spiritus Sanctus dat consilium, non præceptum.

INST. 1. S. Th. [3] ait : *Manifestum est, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari ; sed quilibet tenetur peccatum statim deserere*. Ergo, ex D. Th., est præceptum statim a peccato commisso conterendi.

RESP. *Dist.* Quilibet tenetur peccatum perseverans statim deserere, *conc.* ; peccatum non perseverans, *nego ant.*

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 437. — [2] Eccli. 5, v. 8. — [3] 2 2, q. 62, art. 8 in corp.

et *conseq*. Itaque D. Th. loquitur de eo qui non restituit rem alienam, quique, quandiu non restituit domino, *impedit eum ab usu rei suæ, et sic ei facit injuriam :* addit ibi rationem, quia, *sicut accipere rem alienam, est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam;* unde sic concludit: *et ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest.*

Inst. 2. Atqui peccatum illius qui non statim conteritur, est perseverans; ergo nulla solutio.

Prob. subsumpt. Peccatum illius qui non statim restituit, est perseverans; ergo pariter, etc.

Resp. *Nego conseq. et paritatem.* Disparitas est, quod qui statim non restituit, transgreditur de novo præceptum non furandi, quo prohibetur subreptio et simul detentio rei alienæ; unde qui detinet rem alienam et non restituit, quando potest, peccat; qui vero non conteritur statim, non facit contra præceptum, quia non præcipitur contritio pro omni tempore.

Inst. 3. Qui approbat peccatum peccat; sed qui non vult detestari peccatum, cum ut detestabile occurrit, illud saltem virtualiter approbat; ergo peccat.

Resp. *Dist. min.* Qui non vult detestari peccatum positive quando ut detestabile occurrit, peccat, *conc.;* qui non vult, detestari peccatum negative, peccat, *nego min.;* et sic, *distincto consequente, nego consequentiam.*

Itaque nolle detestari peccatum positive, est velle peccatum perpetrare; nolle detestari negative, est se habere mere negative circa peccatum nec approbando, nec dolorem excitando; potest autem quis sic se habere erga peccatum cogitando, quod suo tempore velit pœnitere.

Inst. 4. Si filius mere negative se habeat circa veniam quam tenetur petere a parentibus injuriatis, censetur eos nova contumelia afficere; ergo si peccator, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia pater non videt quod filius odium deposuerit, et quod suo tempore petiturus sit veniam; quod si videret, non censeret sibi no-

vam contumeliam fieri, tantum ex dilatione veniæ petitionis.

Objicies 2. Tenemur sub gravi peccato proximum corripere, quamprimum commode possumus; ergo a fortiori nosmetipsos.

Resp. *Dist. ant.* Tenemur corripere proximum quamprimum, quando in peccato suo perseverat, *conc.*; quando in peccato suo non amplius perseverat, *nego. ant.* Similiter tenemur statim conteri, quando contritio necessaria est ut deponamus voluntatem peccandi.

Objicies 3. Graviter peccat qui alienum, cum potest, non restituit; ergo graviter peccat qui non compensat injuriam Deo illatam, cum primum fieri commode potest.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod præceptum restitutionis est affirmativum simul et negativum, *quo prohibemur rem alterius detinere*, ut ait D. Th. [1] : præceptum vero resurgendi a peccato est affirmativum, quod proinde non obligat pro semper.

Objicies 4. Quando lapsi sumus in morbum, tenemur statim recurrere ad medicum; ergo a fortiori quando lapsi sumus in peccatum.

Resp. *Dist. ant.* Tenemur statim recurrere ad medicum, quando medicina differri non potest sine probabili periculo, *conc.*; quando differri potest, *nego ant.*; et sic dicendum de peccato: unde, si immineret periculum mortis, vel amentiæ, vel impœnitentiæ finalis, vel oblivionis gravis peccati, etc., non deberent differri contritio et confessio.

ARTICULUS II.

DE CONTRITIONE PERFECTA.

Nota 1. Conc. Trident [2] circa contritionem perfectam duo docet: primum, *contingere aliquando contritionem charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare priusquam*

[1] 2 2, q. 62, art. 8, ad. 3. — [2] Sess. 14, cap. 4.

sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur; secundum, *reconciliationem hanc ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Hic hæret Concilium, sed duo relinquit Theologis discutienda, circa quæ nihil expresse determinavit. *Primum*, unde repetenda sit ratio essentialis et specifica contritionis perfectæ, ut sit par homini reconciliando. *Secundum*, an contritio perfecta non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper hominem Deo reconciliet.

Circa primum, duæ sunt Theologorum opiniones.

Prima, distinctionem specificam contritionis perfectæ ab imperfecta repetit ex graduum intensione vel remissione: unde contritionem perfectam docet eam esse, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se intensive dilecti; eam vero esse imperfectam, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se remisse dilecti.

Secunda, hanc distinctionem repetit ex motivis specie diversis: unde hujus sententiæ patroni contritionem perfectam, et homini justificando parem, dicunt eam esse quæ concipitur ex motivo charitatis proprie dictæ, seu ex amore Dei propter se dilecti, sine ullo explicito ad proprium amantis bonum respectu; imperfectam vero, quæ concipitur ex motivo honesto supernaturali alio quam charitatis, puta ex metu gehennæ et pœnarum, vel ex turpitudine peccati, quatenus est offensa Dei, etc... : juxta hanc opinionem contritio perfecta et attritio specie differunt, cum actus speciem suam ab objecto formali, seu motivo desumat; ideo attritio nunquam fieri potest contritio: quæ enim natura specie differunt, in se invicem, transmutari non possunt, hinc istud axioma: *Pœnitens in sacramento Pœnitentiæ de attrito fit contritus*, intelligendum dicunt, vel cum amori concupiscentiæ seu spei, accedit amor charitatis, vel cum per virtutem Sacramenti infunditur gratia sanctificans, quæ vera est charitas in cordibus per Spiritum Sanctum diffusa.

CIRCA SECUNDUM, Baius, Jansenius Iprensis, et Estius negant contritionem perfectam justificare extra usum Sacramenti, nisi in casu necessitatis, puta mortis, dum deest copia Confessarii. Ut utramque quæstionem unica propositione resolvam,

CONCLUSIO [1].

Ratio essentialis et distinctiva contritionis perfectæ ab imperfecta non repetitur ex intensione graduum, sed ex proprio motivo, ita ut omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, cum voto Sacramenti, sit perfecta in quocumque gradu intensionis sit, et justificet extra Sacramentum, et non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex Scriptura. Ego diligentes me, diligo* [2]. *Charitas operit multitudinem peccatorum* [3]. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* [4]. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est* [5]*:* ex quibus textibus sic argumentor :

Amicitia divina, nativitas ex Deo, et justificatio promittitur actui charitatis absolute et simpliciter sumpto, sine ulla mentione gradus et intensionis; atqui qui habet charitatem in infimo gradu, diligit absolute et simpliciter; ergo qui habet charitatem in infimo gradu, natus est ex Deo, diligitur a Deo, et est justificatus.

PROB. 2. *Ex Patribus* unanimiter, sine distinctione graduum, dicentibus cum D. Chrys. [6] : *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala;* et cum D. Aug. [7] : *Deus clamat nobis: Amate me et habebitis me, quia nec potestis amare me, nisi habueritis me.* Ubi aperte loquitur de charitate actuali.

PROB. 3. *Ex Conc. Trid.* [8] quod, licet nihil derterminantur-

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 440 et seqq., ubi strenue sententiam auctoris propugnat.— [2] Prov. 8.— [3] Petri 4.— [4] Joan. 14.— [5] 1 Joan. 4.— [6] Hom. 7 in 2 *ad Tim.* — [7] Serm. 35 *de Prov.*, cap. 12. — [8] Sess. 14, cap. 8.

verit supra hanc quæstionem, testibus Palavicino [1] et Andrea Vega, qui Concilio interfuit [2], tamen in nostram opinionem maxime inclinavit his verbis : *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur* etc. ; ex quo sic argumentor :

Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat priusquam Sacramentum actu suscipiatur ; atqui contritio etiam infimo gradu concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, est contritio charitate perfecta ; habet enim totam essentiam charitatis proprie dictæ consistentem in summa appretiatione, et motivo amoris omnium perfectissimo : ergo contritio etiam in infimo gradu concepta ex tali amore, hominem Deo reconciliat antequam Sacramentum actu suscipiatur.

PROB 4. *Rationibus theologicis.*

Prima : Qui habet plenitudinem Legis, non potest esse in mortali ; atqui charitas etiam in infimo gradu est plenitudo Legis, juxta illud [3] : *Plenitudo legis est dilectio ;* ergo qui habet charitatem in infimo gradu, non potest esse in mortali.

Secunda : Ubi est essentia alicujus formæ, ibi est effectus ejus formalis, sic qui habet justitiam, haud dubie justus est ; atqui ubi est charitas in infimo gradu, ibi est ejus effectus formalis ; sed effectus formalis charitatis est justificatio ; ergo ubi est charitas in infimo gradu, ibi est justificatio.

Tertia : Absurdum est ut qui amat Deum super omnia, etsi remisse, damnetur ; nam ille damnatus semper et indesinenter amaret Deum, et non amaret, quod est contradictorium : amaret, quia ex Apostolo [4] : *Charitas nunquam excidit ;* non amaret, quia damnati Deum semper odio habent ; sed qui remisse Deum amat super omnia propter se, damnaretur si e vita decederet ante actualem Sacramenti receptionem. Ergo, etc.

[1] L. 4 *Historiæ Conc. Trid.* — [2] L. 6, cap. 29. — [3] Rom. 13. — [4] 1 Cor. 13.

Confirmatur ex damnatione harum Baii propositionum facta a Summis Pontificibus Pio V et Greg. XIII, confirmata ab Urbano VIII.

31ª: *Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.*

32ª: *Charitas illa, quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

33ª: *Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

70ª: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere, veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

71ª: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Baptismi.*

PROB. SECUNDA PARS. Tum ex damnatione propositionum Baii; tum quia, ipsis fatentibus adversariis, contritio ex amore Dei super omnia propter se, sed in gradu remisso, elicita, justificat aliquando, nempe in casu necessitatis; ergo justificat semper... *Prob. conseq.* Contritio remissa non habet virtutem justificandi propter casum necessitatis, sed ex propria sua perfectione; neque Deus plus contritionis remissæ promisit in casu necessitatis quam in quovis alio: ergo, si juxta adversarios justificat in casu necessitatis, justificat ordinarie et in omni casu.

*Hinc patet, inquit S. Liguorius, loco cit., oppositam sententiam, quæ dicit contritionem cum charitate remissa non justificare extra Sacramentum, esse omnino improbabilem et falsam. Ideiro eam omnes theologi communiter rejiciunt, alii ut erroneam, alii ut contra sententiam catholi-

cam, et parum tutam in fide; alii vero ut temerariam et scandolosam; temerariam quidem, quia in re gravissima discedit ab omnibus theologis et communi sensu SS. Patrum; scandalosam vero, quia removet homines a sæpius procuranda contritione. *

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Contritio perfecta distinguitur ab imperfecta per intensionem graduum; ergo, ut contritio justificet extra Sacramentum, requiritur ut sit summa intensive.

Prob. ant. Scriptura intensionem graduum requirit in contritione de peccatis ad justificationem; ergo.

Prob. ant. Joel. 2: *Convertimini ad me in toto corde vestro;* ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Quia voces: *in toto corde,* significant totalitatem appretiationis qua detestamur peccatum super omnia alia detestabilia; non totalitatem intensionis. Præterea Scriptura hortatur ad id quod optimum est, non quod absolute necessarium est.

INST. 1. Christus de Magdalena [1] dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* ergo, ad remissionem peccatorum, requiritur contritio fervens et intensa.

RESP. *Nego conseq.* Nam Scriptura id tantum narrat quod factum est, non quod absolute necessarium est; nam ex eo quod Magdalena habuerit amoris Dei et contritionis vehementiam, non inde probatur talem vehementiam plane necessariam esse ad essentiam amoris et contritionis perfectæ, ut sit par homini justificando.

INST. 2. Ly *quoniam* est particula causalis; ergo ideo illi sunt dimissa multa, id est omnia peccata, quia ex intensa Dei dilectione de peccatis suis doluit; ergo ex eo quod Magdalena habuerit vehementiam amoris, recte probatur talem vehementiam necessariam esse ad peccati remissionem.

RESP. *Dist. conseq.* Ideo Magdalenæ dimissa sunt multa

1 Lucæ 7.

peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam, *conc.;* quoad culpam tantum, *nego conseq.* In textu enim agitur de remissione peccatorum non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam, ut constat ex contextu, qui talis est : *Cui autem minus dimittitur, minus diligit;* atqui certum est unum peccatum mortale etiam minimum sine aliis remitti non posse, cum omnia remittantur quandocumque unum remittitur : ergo sermo est de remissione quoad pœnam, quæ major est pro majori vel minori intensione graduum dilectionis.

OBJICIES 2. Potest quis esse perfecte contritus, et non justificatus; ergo perfecta contritio non justificat ante actualem Sacramenti perceptionem.

Prob. ant. Magdalena prius fuit perfecte contrita, quam justificata, juxta illud : *Remittuntur, quia dilexit;* ergo.

RESP. *Dist. ant.* Magdalena fuit prius contrita, prioritate naturæ, qua causa prior concipitur suo effectu, *conc.;* prioritate temporis, *nego ant.* Nam eodem instanti temporis est justificatio et dilectio, quæ est ultima dispositio ad justificationem. *Deinde* in græco habetur *remissa sunt* [1].

INST. 1. Ananias dixit Paulo perfecte contrito [2] : *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua.* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Nam etiam perfecte contritus debet recipere Sacramentum, quia non justificatur nisi cum speciali onere et obligatione suscipiendi Sacramenti. Præterea D. Paulus intensissima charitate affectus fuit, quæ juxta adversarios justificat ante actualem Sacramenti receptionem.

INST. 2. Sancti Patres requirunt ferventem amorem ad remissionem peccatorum; ergo contritio debet esse summa intensive.

RESP. *Nego conseq.* Quia Patres hortantur ad id quod decet et optandum est, non ad id quod absolute necessarium est.

[1] Vide Corn. a Lapide, *hic.* — [2] Act. 22, v. 16.

INST. 3. D. Aug.[1] ait : *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat : non illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum.* Ergo, etc.

RESP. *Distinguo et explico D. Aug.* Quantumcumque proficiat in virtutibus moralibus, *conc.*; in charitate, *nego ant.* Alias nec per intensissimam charitatem quis posset justificari absque reali susceptione Sacramenti, quod est contra adversarios et Trident. citatum. *Præterea* loquitur de eo qui dedignatur baptizari per arrogantiam, qui proinde caret charitate.

INST. 4. Idem August.[2]: *Deus non dimittit peccata nisi baptizatis*; ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Nam eo loco loquitur de eo quod ordinarie fit, non de eo quod fit extraordinarie, nam[3] de Cornelio dicit : *In Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, et accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.* Ergo D. Aug. docet fieri aliquando, ut Catechumenus ante Baptismum justificatus sit, per contritionem scilicet charitate perfectam.

OBJICIES 3. Ad justificationem extra Sacramentum requiritur juxta nos dolor summus quoad appretiationem, seu æstimationem ; ergo et summus quoad intensionem.

Prob. conseq. Dolor non potest esse summus appretiative quin sit summus intensive; ergo, si requiritur, etc.

RESP. *Nego ant.* Ex diverso quippe capite nascitur objecti appretiatio, et intensio actus in voluntate : appretiatio quidem oritur ex præstantia et dignitate objecti; intensio vero ex vehementi applicatione facultatis erga objectum; quod tale est aliquando, ut, etsi magis æstimetur appretiative, non tamen ita movet voluntatem, sicut aliud objectum quod non tanti æstimatur. Res declarari potest exemplo matris, quæ parvulum filium intensiori amore prosequitur, licet natu majorem amore minus quidem intenso,

[1] *Tr.* 13 *in Joan.* — [2] L. 1 *de Symbolo ad Catechum.*
[3] L. 4 *de Bapt.*, cap. 24.

sed majori appretiative diligat, cujus vitæ conservationem præfert vitæ junioris.

Inst. 1. Charitas remissa non est perfecta; ergo contritio ex ea concepta non justificat.

Resp. *Nego ant.* Charitas enim remissa quoad gradus, sed summa quoad appretiationem, est perfecta essentialiter, et completa in esse charitatis, quæ in hoc consistit, ut Deus super omnia propter se diligatur.

Inst. 2. Esto charitas sit essentialiter perfecta in quocumque gradu, non potest tamen expellere peccatum sine certa gradus intensione; ergo contritio non justificat nisi charitas qua informatur, habeat certos gradus.

Resp. *Nego ant.* Quia amor Dei super omnia propter se dilecti, compati non potest cum peccato mortali, cui contrariatur ; ergo illud expellit in quocumque gradu actus charitatis eliciatur.

Prob. ant. Scintilla ignis, etsi sit verus essentialiter ignis, impar tamen est comburendo ligno, vel expellendo frigori; ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq. et paritatem.* Dispar est enim ratio agendi rerum spiritualium et rerum physicarum; actio physica, qualis est ignis comburentis et calefacientis, fit successive applicando activa passivis; nil ergo mirum est quod certam temporis mensuram, et certum intensionis gradum exigat; non ita est spiritualis actio, qualis est justificatio hominis per charitatem, quæ fit in instanti, non ratione gradus, sed ratione substantiæ ipsius charitatis, seu amoris Dei super omnia propter se.

Colliges, contra magistrum Sententiarum et Estium, contritionem perfectam non esse dispositionem ncessario prærequisitam ad sacramentum Pœnitentiæ debite recipiendum, quia ex Conc. Trid. justificat ante actualem receptionem Sacramenti.

Quæres : *Quale debeat esse votum seu desiderium sacra-*

menti Pænitentiæ in his qui per actum contritionis perfectæ justificantur, an explicitum, vel implicitum?

Resp. Probabilius nobis videri sufficere ut illud sit implicitum; ait enim Conc. Trid.[1]: *Reconciliationem quæ per contritionem perfectam obtinetur, non esse adscribendam ipsi contritioni sine voto Sacramenti quod in illa includitur;* unde sic argumentor:

Votum alicujus rei in alio inclusum, est votum implicitum; atqui, ad justificationem recipiendam per contritionem perfectam, sufficit ex Trid. votum Sacramenti quod in ipsa contritione includitur: ergo sufficit votum Sacramenti implicitum.

Dices: Propositum non peccandi de cætero, in contritione, debet esse formale et explicitum; ergo et votum Sacramenti in his qui conteruntur.

Resp. *Negare potest ant.* ex supra dictis[2]; quidquid sit absolute *nego conseq.* Disparitas desumitur ex Conc. Trid., quod cum loquitur de proposito non peccandi, exprimit propositum simpliciter; propositum autem virtuale non est propositum simpliciter; at cum loquitur de reconciliatione quæ non adscribitur contritioni sine Sacramenti voto, addit: *quod in illa includitur;* quæ verba significant votum virtuale.

ARTICULUS III.

DE CONTRITIONE IMPERFECTA.

Conc. Trid.[3], postquam assignavit charitatem pro motivo contritionis perfectæ, assignat pro motivo attritionis metum gehennæ et turpitudinem peccati, quatenus nimirum ista sunt supernaturaliter et per fidem cognita, et ad Deum offensum relata:

Nota 1. Circa attritionem ex metu pœnarum conceptam erraverunt:

1° Lutherus asserens ipsam esse malam, et reddere hominem magis hypocritam et peccatorem; hoc nixus prin-

1 Sess. 14, c. 4. — 2 Cap. 3, art. 1, *de Contrit. universim sumpta.* — 3 Sess. 14, c. 4.

cipio, illud omne esse peccatum, quod non procedit a charitate habituali.

2° Baius [1], Jansenius [2], Quesnellius [3], qui, cum doceant omne quod fit ab homine, esse vel a vitiosa cupiditate, ac consequenter malum ; vel a charitate actuali, et consequenter bonum et honestum ; illi consequenter docent attritionem ex solo metu pœnarum conceptam, vitiosam esse ; verumque peccatum saltem omissionis, quatenus ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum tanquam ad finem ultimum referatur, nam ex Quesnellio, prop. 62ª : *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam reus est coram Domino.*

Nota 2. Disputant inter se Theologi utrum attritio ex metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo Dei amore, ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, vel utrum in illa attritione requiratur amor et qualis ? Hinc duo hic habemus elucidanda : *primum*, utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta, sit bona et utilis ; *secundum*, utrum sufficiat sine ullo amore ad justificationem in Sacramento obtinendam. Primum pertinet ad fidem ; secundum spectat scholæ dissidium.

§ I.

An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis, etc.?

Nota 1. Ex D. Th. [4], timor est quadruplex, scilicet mundanus, servilis, initialis et filialis.

Timor mundanus est fuga mali temporalis per offensam Dei.

Timor servilis est fuga peccati ut pœnæ a Deo infligendæ causativi, et duplex est, nimirum *simpliciter servilis*, et *serviliter servilis*. Timor *simpliciter*, seu sine servilitate servilis, est fuga peccati ut pœnæ per fidem apprehensæ causativi, sine affectu illius committendi, si hæc abesset.

[1] Prop. 34, 36, 38. — [2] Tom. II, l. III, cap. 19, 20 et seq. — [3] Prop. 44, 45, 46, 47.
[4] 2 2, q. 19, a. 2 in corp.

Timor *serviliter*, seu cum servilitate servilis, est fuga peccati ut pœnæ causativi, cum affectu illius committendi, si hæc abesset; unde servilitas est vitium timentis, non timoris; nam *servilitas*, ait D. Th. [1], *non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis.* Ista duo maligne confundunt Novatores, et quæ de timore serviliter servili, qui malus est, a SS. Patribus dicuntur, ea transferunt ad timorem simpliciter servilem.

Timor initialis est ille quo quis initio conversionis fugit peccatum, quatenus est Dei offensa et pœnæ inductivum.

Timor filialis, seu castus, est ille quo quis fugit peccatum, quatenus est offensa Dei propter se super omnia dilecti.

Nota 2. Certum esse: 1° timorem mundanum et serviliter servilem esse malos et vitiosos propter affectum peccati, qui intrinsece malus est, sicut et ipsummet peccatum; 2° timorem filialem et initialem esse bonos et laudabiles, utpote qui motivo nituntur laudabili et honesto.

Agitur ergo tantum de timore simpliciter servili, et quæritur utrum attritio ex tali timore concepta, sit bona et supernaturalis; quod ut solvatur, sit

CONCLUSIO I.

Attritio concepta ex timore simpliciter servili, est bona et laudabilis, nec facit magis hominem hypocritam. Est de fide.

Prob. Illa attritio bona est et utilis, cujus motivum est bonum et utile; atqui attritionis motivum (nempe metus gehennæ per fidem cognitæ) est bonum et utile ad salutem: ergo attritio est bona et utilis ad salutem.

Prob. min. Ille timor est bonus et ad salutem utilis, ad quem Scriptura et Patres nos hortantur; atqui Scriptura et Patres nos hortantur ad metum gehennæ. Ergo, etc.

[1] 2 2, q. 19, a. 1 in corp. 7.

1. Ex Scriptura [1], ubi Christus, postquam retraxit homines a timore mundano, ait : *Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ita dico vobis, hunc timete.*

2. Ex Patribus, inter quos solus sufficiat Aug., cujus auctoritate maxime gloriantur adversarii, dicens in Ps. 127 : *Bonus est iste timor et utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam ;* ergo Scriptura et Patres nos hortantur ad metum gehennæ.

Hinc Concil. Trid. [2] definit : *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

OBJECTIONES.

OBJICIES. Timor servilis serviliter est malus ; ergo attritio ex illo concepta est mala.

RESP. *Dist. ant.* Timor servilis serviliter est malus, *conc.*; timor servilis simpliciter, *nego ant.* Responsio patet ex dictis, et confirmat D. Th. [3], dicens : *Timor servilis, in quantum servilis est, charitati contrariatur. Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis simpliciter esset malus... sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis... et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus est mala.*

INST. 1. Atqui timor simpliciter servilis est malus, ea ratione, quod timere culpam propter pœnam est malum ; atqui per timorem simpliciter servilem, timetur culpa propter pœnam. Ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Nam pœna gehennæ, utpote summa miseria, est motivum legitimum a Christo propositum fugiendi peccatum.

Prob. maj. Majus malum referre ad minus est malum et

[1] Lucæ 12. — [2] Sess. 6, can. 8. — [3] Cit. art. 4.

pœnam habet, id est, cruciatum animi, ut vertit D. Aug. ex Græco, quod non potest esse cum charitate.

CONCLUSIO II.

Attritio concepta ex timore simpliciter servili, est supernaturalis, voluntatemque peccandi excludit.

PROB. Attritio concepta ex timore, qui odit peccatum et expellit, qui inducit homines ut præparent corda sua, ut in conspectu Domini sanctificent animas suas, etc., est supernaturalis, excluditque voluntatem peccandi; atqui talis est attritio concepta ex timore simpliciter servili. Ergo, etc.

Prob. min. Ex Scriptura et Patribus, maxime D. Aug. et D. Th., quorum patrocinio gloriantur adversarii.

1. Ex Script.: *Timor Domini odit malum* [1]; *Timor Domini expellit peccatum* [2]; *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas* [3], etc.

2. Ex D. Aug., in *Expositione Psal.* 127, dicente: *Audisti cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur : Audiunt hoc homines, et quia vere futura sunt impiis, timent et continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam* (en character timoris servilis); *cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat, amari, et dulcescit Deus, et jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat justitiam.* Ergo timor servilis retrahit hominem a peccato, et ipsum perducit ad justitiam.

3. Ex D. Th. dicente [4]: *Quandoque homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur et ei inhæret; quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, et malum culpæ; si ergo aliquis convertitur ad Deum ut ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autem propter timorem culpæ,*

[1] Prov. 8. — [2] Eccl. 1. — [3] Cap. 2. — [4] 2 2, q. 19, a. 2 in corp.

erit timor filialis. Ergo, ex D. Th., homo per timorem servilem potest ad Deum converti eique inhærere, et consequenter nullam nequidem implicitam et conditionatam continet voluntatem peccandi.

Confirmatur integra propositio ex Conc. Trid., dicente [1]: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ vel pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*, etc. Idem definit can. 5. Atqui quod est donum Dei impulsusque Spiritus Sancti, hominemque parat ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam, est bonum et laudabile, supernaturale et excludens voluntatem actualem peccandi, nec potest dici peccatum saltem omissionis; ergo attritio ex metu gehennæ concepta, est bona et laudabilis, etc.

Merito igitur Alex. VIII duas istas propositiones damnavit: 14^am^: *Timor gehennæ non est supernaturalis;* et 15^am^: *Attritio quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

Objiciet Jansenius [2]: Timor non tollit affectum et voluntatem peccandi; ergo est malus.

Prob. ant. Multis Augustini testimoniis, quorum unum refero *Epist.* 145: *Inaniter ille putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat... inimicus justitiæ est, qui timore pœnæ non peccat... nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Ergo timor servilis non tollit voluntatem peccandi.

Resp. *Dist. conseq.* Timor servilis, *conc.;* simpliciter, *nego conseq.* Sese explicat D. Aug. *Serm.* 161, ubi, reprehendens

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] L. 5 *de Gratia Christi*, cap. 27, 28, 29.

eum qui pœnæ timore non peccans, peccaret si non videret eum Deus, ait : *Ergo pœnam times, serviliter times;* quia talis ita affectus est, ut peccare vellet, nisi Deus pœnas peccatori comminaretur : unde abstinet solum ab opere externo peccati, quia timor intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem.

Inst. Ex eodem Aug.[1], timor ad veterem Legem pertinet, amor ad novam; ergo a nova Lege omnis timor debet eliminari.

Resp. *Dist. ant.* Amor pertinet ad novam Legem sine exclusione timoris, *conc.;* cum exclusione timoris, *nego ant.* Id expresse docet D. Aug. his verbis[2] : *Quanquam utrumque in utroque fit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo.* Unde gehennæ timor per se, id est, si aliunde non adsit mala circumstantia, hypocritas non facit, imo viam ad justitiam parat. *Si nullus est timor,* inquit Augustinus, *non est qua intret charitas.*

§ II.

Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo amore ad justificationem in Sacramento obtinendam ?

Nota 1. Amor duplex est, scilicet amor amicitiæ, seu perfectæ charitatis, qui dicitur perfectus; et amor spei, seu concupiscentiæ, qui dicitur imperfectus, seu minus perfectus.

Amor amicitiæ est *ille quo Deus super omnia diligitur propter se,* seu quia in se summe bonus est ac perfectus, abstractione facta proprii amantis commodi. Si sit in remissiori gradu, dicitur *initialis.*

Amor spei est *ille quo Deus super omnia diligitur, quatenus nobis bonus est, nostra beatitudo, et finis ultimus.* Hinc illi duo amores differunt specie, cum differant penes motiva, a quibus virtus suam speciem desumit.

Nota 2. In amore formali spei reperiri amorem virtualem benevolentiæ, nam attritio ex amore spei concepta im-

[1] L. *contra Adimantem*, cap. 17. — [2] L. 1 *de Moribus Ecclesiæ*, cap. 29.

portat firmum melioris vitæ et mandatorum Dei observationis propositum, inter quæ dilectio primum locum tenet; sed qui proponit Deum diligere, jam virtualiter diligit, cum sit proxime dispositus ad illum propter se diligendum, et ex D. Th. dispositio proxima ad aliquid, sit initium seu inchoatio illius. His positis,

CONCLUSIO I.

Ut attritio ex metu pœnarum concepta, sit dispositio sufficiens ad sacramentum Pœnitentiæ rite et utiliter percipiendum, requiritur quidem aliquis Dei amor.

Prob. Ex Conc. Trid. [1], quod, agens de dispositionibus adultorum ad justificationem in Baptismo consequendam requisitis, ait : *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac proinde moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem*, etc. En amor initialis et imperfectus, quem Concilium prærequirit ad justificationem perinde ac actus fidei et spei; atqui actus fidei et spei necessario prærequirit: ergo et amorem initialem.

* Porro, amor ille initialis, qui non oritur ex motivo charitatis prædominante, jam habetur in attritione, quam supra descripsimus : *primo*, per timorem divinæ vindictæ, juxta illud [2] : *Timor Dei initium dilectionis ejus ; secundo*, per spem veniæ, cum in ipso Trid. dicatur quod bene se disponunt ad gratiam, qui Deum incipiunt diligere *tanquam omnis justitiæ fontem*, id est tanquam justificationis omnium auctorem ; *tertio*, per spem beatitudinis æternæ; cum doceat D. Th. [3], loquens de spe theologica, eam esse quidem initium amoris erga Deum, his verbis : *Ex hoc . . . quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare*. Ita S. Lig. [4]. Attritus igitur ex inde Deum ut suum liberatorem, justificatorem et glorificatorem incipit diligere. *

[1] Sess. 6.—[2] Eccl., cap. 15, 16.—[3] 1 2, q. 40, art. 7.—[4] I a S. Lig., lib. 6, n. 442.

OBJECTIONES.

OBJICIES. Ut attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum recipiendum, nullus in ea requiritur amor; ergo, etc.

Prob. ant. Conc. Trid. [1], tractans ex professo de attritione et ejus motivis, nullam facit mentionem amoris Dei; ergo nullus in ea requiritur.

RESP. *Nego conq.* Licet enim Concilium Trid. nullam in suo decreto fecerit mentionem amoris Dei, nihilominus recte infertur discursu theologico aliquem Dei amorem necessarium esse: 1° ex eis quæ docet circa naturam contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ; 2° ex eo quod [2] requirat ut ii, qui se ad justitiam disponunt, *Deum diligere incipiant tanquam omnis justitiæ fontem.*

INST. 1. Solus timor gehennæ absque ullo Dei amore, voluntatem peccandi excludere potest; ergo est sufficiens dispositio ad Sacramenti gratiam recipiendam.

RESP. *Nego ant.* Quod est de rebus incompossibilibus, impossibile enim est timorem gehennæ excludere voluntatem peccandi, quin includat amorem boni quo privari metuit, bonum autem illud est Deus possidendus.

INST. 2. Multi Theologi asserunt attritionem conceptam *solo* pœnarum metu sufficere; ergo excludunt omnem Dei amorem.

RESP. *Dist. conseq.* Excludunt omnem Dei amorem qui sit proprie dictæ charitatis, hominemque reconciliet ante Sacramentum re susceptum, *conc.;* omnem amorem spei, *nego conseq.* Itaque illa exclusiva, *solo,* refertur ad solam charitatem.

INST. 3. Timor pœnæ est bonus, honestus et supernaturalis; ergo est sufficiens dispositio ad Sacramentum.

RESP. 1. *Retorq.* Fides est bona, honesta et supernaturalis; ergo est sufficiens dispositio ad Sacramentum.

RESP. 2. *Nego conseq.* Nam ut timor gehennæ sit dispositio sufficiens, debet ex Concil. Trid. esse conjunctus cum

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Sess. 6, cap. 6.

spe veniæ; atqui spes illa veniæ necessario includit amorem rei quæ speratur. Ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Ut attritio ex metu pœnarum concepta (idem dic a fortiori de aliis motivis attritionem informantibus), *sit dispositio sufficiens ad justificationem in Sacramento recipiendam, requiritur et sufficit aliquis amor Dei initialis non prædominans.*

PROB. 1. *Ex probatis supra :* charitas in quovis gradu intensionis justificat ante actualem Sacramenti receptionem; ergo non est necessaria dispositio ad justificationem in Sacramento percipiendam.

Prob. conseq. Si charitas justificans esset dispositio necessaria ad justificationem in Sacramento percipiendam, nunquam sacramentum Pœnitentiæ conferret primam gratiam, nec peccatores Deo reconciliaret, cum semper ipsos supponeret per contritionem perfectam reconciliatos; atqui absurdum est aliquod Sacramentum nusquam efficere id ad quod efficiendum a Christo est institutum, juxta hanc Conc. Trid. definitionem [1] : *Si quis dixerit in Ecclesia pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo institutum, anathema sit.* Ergo charitas justificans non est dispositio necessaria ad gratiam in Sacramento percipiendam.

Hinc D. Bonav. ait [2] : *Non oportet igitur quod actus pœnitentiæ formatus, qui dicitur contritio, præcedat, sed sufficit quod actus sit informis, utpote attritio.* Et D. Th. [3] : *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo recipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio;* ex quo constat

[1] Sess. 14, can. 1. — [2] In 4, dist. 4 in *Exposit. dub. primi.*
[3] In 4, dist. 6, a. 3, ad 5.

tinctus est a spe; ergo est amor veræ charitatis. RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. Postquam Concilium dixit actus fidei et spei esse necessarios, adjunxit ipsam dilectionem, seu amorem Dei; ergo amor ille distinctus est motivo a spe. RESP. *Nego conseq.*

Prob. conseq. Concilium distinguit amorem illum ab actibus spei; ergo amor ille non est amor spei.

RESP. *Dist. ant.* Concilium distinguit amorem illum ab actibus spei, tanquam effectum a causa, *conc.;* tanquam rem a re, *nego ant.* Itaque Concilium distinguit spem ab illa dilectione tanquam causam a qua procedit talis dilectio.

INST. 1. Ex iis quæ Conc. Trid.[1] docet, colligitur necessitas amoris Dei ex motivo charitatis; ergo.

Prob. ant. Cap. 3, inter partes Sacramenti, recenset contritionem, quam cap. 4 dicit : *Quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum;* atqui talis contritio charitatem includit : alias impar fuisset homini justificando in lege naturæ et Mosaica. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Talis contritio includit charitatem extra Sacramentum necessariam, *conc.;* intra Sacramentum, *nego min.* Itaque Concilium, initio capitis quarti, loquitur de contritione generatim, prout abstrahit a perfecta, quam postea dividit in perfectam, quæ charitate concipitur, et imperfectam, quæ ex alio motivo supernaturali distincto a charitate, quamque dicit esse dispositionem sufficientem ad Sacramentum.

INST. 2. Contritio non dicitur imperfecta nisi propter remissionem graduum charitatis; ergo.

RESP. *Nego ant.* Dicitur enim imperfecta propter motivum quod, cum sit specie diversum in contritione et attritione, differunt inter se essentialiter et necessario.

OBJICIES 3. Ex Trid., contritio requisita in Sacramento debet includere *odium peccati, propositum novæ vitæ in-*

[1] Sess. 14.

choandæ, et legis divinæ servandæ, atqui illa omnia non possunt esse sine amore charitatis. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Constat enim ex dictis amorem Dei imperfectum sufficere ad illa omnia præstanda.

Inst. 1. Qui peccavit contra charitatem (quod fit in omni peccato, saltem interpretative) non potest Deo reconciliari, nisi actum charitatis præmittat; ergo in contritione requiritur amor charitatis.

Resp. *Dist. ant.* Non potest reconciliari extra Sacramentum, nisi, etc., *conc.;* in Sacramento, *nego ant.* Disparitas inter reconciliationem in Sacramento vel extra Sacramentum habendam, est quod extra Sacramentum nihil sit præter charitatem quod divinam misericordiam moveat ad gratiam conferendam, *nihil quippe eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*, ait Conc. Trid. [1]; at Sacramentum, utpote habens vim reconciliandi, supplet defectum perfectæ charitatis, alioquin requisitæ.

Inst. 2. Qui peccavit contra fidem et spem, non potest Deo reconciliari, etiam in Sacramento, nisi actus fidei et spei formales præmiserit; ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia *fides*, ex Conc. Trid. [2] (idem dic de spe), *est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine quo impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire;* unde necesse est actus fidei et spei præcedere tanquam media et dispositiones ad gratiam sanctificantem; at charitas non est tale medium, sed finis aut ipsa forma qua justificamur, unde non debet præcedere justificationem.

Objicies 4. D. Aug. multis locis asserit nullum sine charitate opus bonum fieri posse; ait enim [3]: *Ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputari, nec recte bonum opus vocari.* Item [4]: *Desiderium peccatorum non extinguitur, nisi*

[1] Sess. 6, cap. 8. — [2] Sess. 6, cap. 8. — [3] L. *de Gratia Christi*, cap. 26.
[4] L. *contra adversarium Legis*, c. 7.

contrario desiderio recte faciendi ubi fides per dilectionem operatur. Item : *Quid est boni cupiditas, nisi charitas*[1] ? Ergo.

RESP. *Nego ant.*, cujus falsitas ut manifesta fiat, advertendum est D. Aug., nomine *charitatis et dilectionis*, non semper intelligere charitatem proprie dictam, sed vel gratiam actualem : sic in duobus primis textibus allatis per *dilectionem* intelligit gratiam excitantem ; vel generatim intelligit quemlibet recti et boni, id est virtutis, amorem ex aliquo motivo honesto et supernaturali : sic in tertio textu per *charitatem* intelligit bonam voluntatem ; sese explicat[2], dicens : *Quid est charitas, nisi bona voluntas ?* Et, lib. *de Moribus Ecclesiæ*[3], ait : *Quamlibet virtutem esse ordinem amoris.*

Abutuntur ergo Augustini auctoritate Janseniani, cum multa ex illo testimonia promiscue congerunt, ut probent sine charitate quamlibet actionem vitiosam esse, ac verum peccatum, saltem omissionis.

OBJICIES 5. Ex nostra sententia, sequitur aliquem casum posse dari, in quo quis salvaretur sine actu charitatis Dei (v. g. fieri potest ut qui per totam vitam impie vixit, nec amore charitatis Deum amavit, actum attritionis eliciat, absolvatur, et statim moriatur) ; absurdum consequens. Ergo.

RESP. *Nego seq. maj.* Nam, ut dictum est, attritio ex amore concupiscentiæ concepta importat firmum propositum observationis mandatorum Dei pro tempore quo urgent ; et cum in casu proposito urgeat præceptum charitatis, qui conteritur, tenetur actum charitatis elicere, quem si omittat, fit reus peccati omissionis.

[1] L. 2 *contra Duas Epist. Pelag.*, cap. 8.
[2] Lib. *de Gratia Christi*, cap. 21. — [3] Cap. 15.

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE

Nota. Confessio, quæ a Græcis vocatur *exomologesis*, definitur: *Sacramentalis accusatio peccatorum suorum post Baptismum commissorum, facta Sacerdoti, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.* Explico.

Dicitur 1° *Sacramentalis accusatio,* non historica narratio, multo minus excusatio.

Dicitur 2° *Suorum peccatorum,* non alienorum, nisi fiant propria, v. g. ratione scandali dati.

Dicitur 3° *Post Baptismum commissorum;* quæ enim præcedunt, delentur per Baptismum.

Dicitur 4° *Facta Sacerdoti,* scilicet approbato et habenti jurisdictionem, alias non esset sacramentalis accusatio.

Dicitur 5° *Ad eorum veniam virtute clavium obtinendam;* ut finis confessionis, nempe venia peccatorum; et efficacia, nempe remissio judiciaria, ostendatur.

Porro, in tres quæstiones coarctabimus quæ de confessione nobis sunt dicenda.

Prima erit de institutione seu præcepto divino confessionis;

Secunda, de præcepto ecclesiastico confessionis;

Tertia, de conditionibus ad legitimam confessionem requisitis.

ARTICULUS I.

DE INSTITUTIONE, SEU PRÆCEPTO DIVINO CONFESSIONIS.

CONCLUSIO.

Confessio omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, præcepta est jure divino. Est de fide contra Wiclefitas, Lutheranos et Calvinistas.

Prob. 1. Ex decretorio testimonio Joann. 20: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittun-*

tur eis; quorum retinueritis, retenta sunt. Ex quo sic argumentor:

Christus dedit Sacerdotibus potestatem judiciariam dimittendi peccata; atqui hæc potestas non potest rite et prudenter exerceri, nisi cognita prius causa per confessionem, nec possent peccata retineri absolute, si fideles non tenerentur comparere in eorum judicio; ergo eodem jure præcepta est confessio, quo est institutio sacramenti Pœnitentiæ; sed institutio Sacramenti est juris divini, ergo et lex Confessionis. Conc. Trid. [1] hoc argumentum vivide urget adversus Novatores : *Constat enim,* inquit, *Sacerdotes judicium incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat et non potius in specie ac sigillatim sua peccata* (pœnitentes) *declarassent.*

PROB. 2. Ex constanti SS. Patrum doctrina et traditione, quam passim tradunt auctores; ne longiori calamo scribam, unicum ex Patribus quinque priorum sæculorum, quos ab errore puros vel ipsi fatentur Novatores, referam.

In I° sæculo, S. Clemens dixit [2] : *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur dum habemus tempus pœnitentiæ; postquam enim a mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* Loquitur vir apostolicus de omnibus peccatis, tam occultis quam publicis, quæ per confessionem declaranda sunt, ut a Domino salvemur.

In II° sæculo, S. Irenæus [3] de quibusdam feminis a Marco hæretico seductis ait : *Ipsæmet sæpe, cum ad Dei Ecclesiam rediissent, confessæ sunt, seque corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse.* In hoc textu loquitur de peccatis luxuriæ tum externis, tum mere internis.

In III° sæculo, Origenes [4] ait : *Si revelaverimus peccata nos-*

[1] Sess. 14, c. 5. — [2] — 2 *Epist. ad Cor.* — [3] L. 1, c. 9.
[4] Hom. 17 *in Lucam.*

tra non solum Deo, sed et iis qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra. Ubi loquitur de omnibus peccatis indefinite.

In IV° sæculo, S. Ambr.[1] ait : *Si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Ubi manifestum est loqui de peccatis tum internis, tum externis.

In V° sæculo, S. Aug.[2] : *Cum audis,* inquit, *hominem confitendo conscientiam proferre, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? quæ solveritis,* inquit, *in terra*, etc. ; ubi patet loqui de omnibus peccatis etiam occultis ex his verbis : *proferre conscientiam.*

Hinc Conc. Trid.[3] definit : *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ex Scriptura, promissa est remissio peccatorum contritioni; ergo non est necessaria confessio.

Resp. *Dist. ant.* Remissio promissa est contritioni cum voto confessionis, *conc.;* sine tali voto, *nego ant.* Contritio enim debet includere votum omnia præcepta divina adimplendi, quorum unum est peccatorum confessio; quod si hæc non præstiterit, peccator vere pœnitens et contritus dici non potest; quippe qui secundum statutas a Christo leges pœnitentiam non agat.

Inst. 1. Apostoli ministraverunt sacramentum Pœnitentiæ absque confessione peccatorum; ergo non est præcepta jure divino. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Quia id nullibi legitur in Scriptura, ergo, etc.

[1] L. 2 *de Pœnit.*, c. 6. — [2] Conc. 2 *in Ps.* 101. — [3] Sess. 14, can. 6.

Resp. *Transeat ant., nego conseq.* Neque enim omnia facta et dicta Apostolorum in Libris sacris scripta sunt.

Dixi: *transeat;* quia legitur Act. 19: *Multi credentium veniebant* (ad Paulum) *confitentes et annuntiantes actus suos;* id est peccata sua, ut patet ex contextu.

Inst. 2 cum Dallæo. Nostra sententia hoc nititur fundamento, nempe Sacerdotes veros esse judices in tribunali Pœnitentiæ; atqui falsum est Sacerdotes esse veros judices: ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Sacerdotes, ex Apostolo, sunt *ministri et dispensatores mysteriorum Dei;* ergo non sunt judices.

Resp. *Nego conseq.* Non sunt judices independentes, *conc.;* dependentes, *nego conseq.* Itaque Sacerdotes non sunt judices hoc sensu, quod suprema et independenti auctoritate ad arbitrium peccata dimittere vel retinere possint, cum habeant leges sibi a Christo præscriptas, quas ad amussim tenentur servare.

Inst. 3. Sacerdotes sunt æque judices erga peccata venialia, ac erga mortalia; atqui non est præcepta confessio venialium. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sunt æque judices et eodem modo, *nego;* et diverso modo, *conc. maj.;* et, concessa min., *dist. conseq.*

Itaque Sacerdotes circa mortalia sunt judices necessarii, unde remitti non possunt absque illorum sententia in re vel saltem in voto habita; at circa venialia sunt judices liberi, cum illa possint remitti absque Sacerdotum judicio.

Inst. 4. Hæc verba: *Quorum remiseritis peccata*, etc., intelliguntur de venialibus perinde ac de mortalibus; ergo Sacerdotes sunt æque judices erga venialia ac erga mortalia.

Resp. *Dist. ant.* Intelliguntur de venialibus perinde et æque primario ac de mortalibus, *nego;* et non æque primario, *conc. ant.* Hæc enim verba primario et per se intelliguntur de mortalibus, cum sacramentum Pœnitentiæ

primario et per se institutum sit ad fideles lapsos reconciliandos, unde vocatur *Sacramentum mortuorum;* sed secundario tantum et per quamdam extensionem intelliguntur de venialibus in quantum continent gratiam remissionis.

Objicies 2. Nectarius, Patriarcha Constantinop., abrogavit confessionem, testibus Socrate et Sozomeno [1], propter scandalum ortum ex nobilis mulieris confessione, quæ ex pœnitentiarii publici consilio sese publice accusaverat stupri a se in Ecclesia cum quodam Diacono patrati; ergo confessio non est juris divini, alias a nemine abrogari potuisset.

Resp. *Dist. ant.* Nectarius abrogavit confessionem secretam, *nego;* publicam, *subdist.;* pro peccatis occultis, *conc.;* pro peccatis publicis, *nego ant.* Itaque Nectarius, occasione scandali ex imprudentis pœnitentiarii consilio orti, deposuit pœnitentiarium ejusque munus abrogavit, cessavitque peccata pœnitentiario publico confitendi obligatio; at permansit obligatio peccata secreto confitendi alicui ex aliis presbyteris ab Episcopo huic muneri præfectis, ut patet ex libris pœnitentialibus Orientalium; item permansit pœnitentia publica pro peccatis publicis, ut testatur D. Chrysost., Nectarii successor [2], et probat Goarius, p. 890.

Inst. Ex Socrate, Nectarius, post abrogatum pœnitentiarium, *unicuique permisit, pro arbitrio et pro animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem accedere;* ergo abrogavit omnem confessionem.

Resp. *Nego conseq.* His enim verbis excluditur quidem necessitas adeundi Presbyterum illum pœnitentiarium ad obtinendum ab eo authenticum testimonium quo comprobaretur peccatorem stadium pœnitentiæ decurrisse, sine quo testimonio nullus antea peccator publicus ad participationem Eucharistiæ admittebatur; at non excluditur necessitas secretæ confessionis.

[1] Socr., l. 5 *Hist.*, c. 19; Sozom., l. 7, c. 14. — [2] Hom. 8 *in epist. ad Ephes.*

Objicies 3. D. Chrysos., Nectarii successor, multis locis affirmat confessionem soli Deo factam sufficere; ergo non opus est peccata sua Sacerdoti declarare. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. D. Chrysost. ait [1] : *Non cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus enumerare, sed sibi soli rationem reddere jubet et sibi confiteri;* ergo affirmat confessionem soli Deo factam sufficere.

Resp. *Dist. conseq.* Affirmat confessionem baptizandorum soli Deo debere fieri, *conc.;* baptizatorum, *nego cons.* Ex ipsius homiliæ titulo manifestum est Chrysostomum loqui de Catechumenis baptizandis, qui lege confessionis Sacerdoti faciendæ non tenentur, sed soli qui post Baptismum mortaliter peccaverunt.

Inst. 1. Atqui D. Chrysost. affirmat confessionem baptizatorum soli Deo factam sufficere; ergo, etc.

Prob. subsumpt. D. Chrysost. ait [2] : *Si confundaris alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conservo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curat ea.* Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ibi enim non agit de confessione sacramentali, sed de quotidiano conscientiæ examine, quo quis peccata sua quotidiana, seu venialia coram Deo explorans, contritionem elicit ad eorum remissionem sufficientem.

Inst. 2. Hom. 57 *de Pœnit.*, ait: *Deo soli dic peccatum tuum, et dimittitur tibi peccatum;* ergo soli Deo facienda est confessio.

Resp. *Nego conseq.* Facienda est confessio soli Deo, per exclusionem confessionis publicæ, *conc.;* per exclusionem confessionis secretæ, quæ fit Sacerdoti ut ministro Dei, *nego conseq.* Itaque secreta confessio soli Deo fieri dicitur a Chrysostomo, tum quia qui confitetur Sacerdoti, confitetur soli Deo cujus vices gerit; tum quia quoad secretum atti-

[1] Hom. 21 *ad Popul. Antioch.* nunc Catechesi 2 *ad illuminandos.*

[2] Hom. 2 *in Psal.* 50.

net, perinde est ac si soli Deo intra conscientiæ arcana fieret. Hanc esse mentem D. Chrysost. patet ex hom. 4 *de Lazaro*, ubi cum dixisset: *Non conservo confiteris ut in publicum proferat? imo vero ei qui dominus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera*, addit: *Non ergo te cogo in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum privatim.*

Nota: Quos et quandonam obliget divinum confessionis præceptum? diximus cap. 3, art. 1, *de Contritione universim sumpta.*

* Quæres: *Utrum recta et utilis sit peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea?*

Nota. Tanta et tam nefanda est Jansenistarum astutia, ut toto conatu, sed obliquo tramite, ad omnem confessionem abolendam insurrexerint. Cum enim intelligerint Protestantes uno ore a Christi fidelibus damnatos fuisse, et ab Ecclesiæ sinu depulsos, ipsi, sub velamine pietatis et sanctæ, ut dicunt, severitatis, ita difficilem confessionem reddebant, ut paulatim nemo futurus fuisset qui ad sacrum tribunal accessisset. Contendebant igitur Confessionem peccatorum venialium non esse frequentandam. Ex quo sequeretur quod Confessio, quæ juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palam interiorem pœnitentis statum, animam emortuam, infamis et lethiferis criminibus oppressam; sic Confessionis onus efficeretur intolerabile, ac quilibet ab hoc sacramanto averteretur. Jansenistis, ut par erat, subscripsit Synodus Pistoriensis in prop. 39ª Contra quos Novatores,

Resp. Rectam et utilem esse frequentem Confessionem, et piorum usui consentaneam.

Prob. 1° *Ex Concil. Trid.*, quod [1] ait: *Nam venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamvis recte et utiliter, citraque omnem presumptionem in Confessione dicantur, quod piorum usus*

[1] Sess. 14, cap. 5.

demonstrat taceri tamen citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt.

2° *Ex SS. Patribus*, quorum tres tantum citabimus: S. Cyprianus [1] : *Apud sacerdotes Dei, dolentes et simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt Christiani, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.* — S. Aug. [2] : *Semper confitere*, inquit, *semper habes quod confitearis. Difficile est in hac vita ut sic mutetur homo, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur.* — S. Basilius [3] hanc praxim apud sanctimoniales obtinuisse testatur.

S. Franciscus Salesius [4] : *Confessez-vous humblement et dévotement*, inquit, *tous les huit jours, et toujours, s'il se peut, quand vous communiez, encore que vous n'ayez sur la conscience aucun péché mortel; car vous ne recevez pas seulement l'absolution des péchés véniels que vous confessez, mais vous recevez encore une grande force pour les éviter à l'avenir, une grande lumière pour réparer le dommage qu'il vous ont causé.*

3° *Ex unanimi consensu omnium Ecclesiarum*, tum Orientalium, tum Occidentalium, quæ sæpe repetitas venialium confessiones commendant [5].

Hinc a Pio VI, in Const. *Auctorem fidei*, Synodi Pistoriensis propositio 39ª, quæ dicebat: *Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones*, declaratur et proscribitur ut *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. Concil. Trid. probatæ contraria.*

[1] Lib. *de Lapsis*. — [2] *In psalm.* 99. — [3] *Regulæ brevius tractatæ*. — [4] *Philoth.*, p. 2, c. 9. — [5] Conf. Morinum, lib. 5 *de Pœnit*, c. 3; Renaudotium, *Perpétuité de la foi*, tom. V, lib. III, c. 6; Martenium, *de Antiq. Eccl. rit.*, lib. 1, c, 5, p. 2.

ARTICULUS II.

DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO CONFESSIONIS.

Nota. Celebre confessionis semel in anno faciendæ decretum emisit Conc. Later. IV^um^, sub Innoc. III[1], cujus hæc sunt verba : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pænitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, et moriens, christiana careat sepultura ... si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare.*

Circa canonem Lateranensem proponuntur et solvuntur nonnullæ quæstiones.

QUÆRES 1. *Quid intelligatur nomine proprii Sacerdotis?*

RESP. Intelligitur parochus, sed sine exclusione Summi Pontificis, Episcoporum et Sacerdotum ab eis delegatorum; nam *proprius Sacerdos,* in canone Lateranensi, intelligi debet per oppositionem ad *alienum Sacerdotem;* atqui Episcopi non sunt alieni Sacerdotes, cum habeant ordinariam et immediatam auctoritatem in Parochianos, imo et in ipsos Parochos; ergo per ly *Sacerdos proprius* intelligitur Parochus, sed sine exclusione Episcoporum, qui hanc suam potestatem exercere possunt per se, vel per alios ad hoc delegatos; unde canoni Lateranensi satisfaciunt qui vel summo Pontifici, vel Episcopo suo, vel ejus Pœnitentiario, aut cuilibet Sacerdoti sine restrictione approbato, confitetur; quod ulterius

[1] Can. 21.

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE.

Nota 1. Satisfactio secundum vim nominis est omnis actio qua quis facit quantum debet, sive solvendo debitum, sive respondendo expectationi de se conceptæ, sive etiam se defendendo et excusando in quantum potest. Hic vero pro solutione debiti contracti ex offensa Dei sumitur, et duplex est: una, quæ sponte a pœnitente suscipitur, estque actus virtutis pœnitentiæ; altera, quæ a Confessario injungitur, estque pars integralis Sacramenti, et hæc

Definitur: *Voluntaria pœnæ a Confessario injunctæ toleratio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, expungendamque pœnam temporalem.*

Dicitur 1° *Voluntaria*, per acceptationem; coacta enim non posset Deo placere.

Dicitur 2° *Pœnæ toleratio;* quia materia satisfactionis sunt opera pœnalia sive interna, sive externa, sive etiam aliunde præcepta, quæ opera ex Concil. Trid. [1] revocantur ad jejunium, eleemosynam et orationem: ubi

Nota. Per *jejunium*, intelligitur omnis corporis afflictio.

Per *eleemosynam*, intelliguntur omnia opera misericordiæ, sive corporalis, sive spiritualis.

Per *orationem*, omnes actus religionis.

Dicitur 3° *Pœnæ injunctæ a Confessario;* quia hæc sola est sacramentalis.

Dicitur 4° *Ad reparandam*, etc., ut ostendatur effectus satisfactionis proximus, quem effectum producit ex opere operato, cum satisfactio sit instituta a Christo; eoque majorem illum vel minorem producit, quo major vel minor est pœnitentis dispositio. His positis:

Nota 2. Totum hoc caput duobus absolvemus articulis,

[1] Sess. 14, c. 6.

in quibus resolvemus : 1° utrum satisfactio sit necessaria ; 2° utrum Confessarius debeat satisfactionem imponere et pœnitens eam acceptare.

ARTICULUS I.

UTRUM SATISFACTIO SACRAMENTALIS SIT NECESSARIA ?

Negant Novatores, Lutherani et Calvinistæ asserentes : 1° dimissa culpa totam pœnam dimitti ; 2° homines non posse Deo satisfacere per pœnas susceptas, vel a Confessario injunctas, sed eas esse tantum utiles ad vitæ novæ custodiam et aliorum exemplum, contra quos

CONCLUSIO.

Remisso peccato quoad culpam, non semper remittitur tota pœna temporalis.

PROB. 1. *Exemplis* eorum qui post condonatam sibi a Deo culpam et pœnam æternam, pœnis temporalibus fuere castigati.

1° Exemplo Israelitarum, qui in vindictam peccati obmurmurationis, jam remissi ad precem Moysis, in deserto perierunt, et terra promissa exclusi sunt, dicente Domino Moysi : *Dimisi juxta verbum tuum ... attamen ... non videbunt terram pro qua juravi Patribus eorum* [1].

2 Exemplo Davidis, qui, post veniam impetratam sui adulterii et homicidii, fuit punitus morte filii : *Dominus,* ait Propheta, *transtulit peccatum tuum : verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* [2].

PROB. 2. *Ex perpetua et constanti Patrum traditione* dicentium cum Greg. Magno [3] : *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit; aut*

[1] Num. 14, v. 20, 22, 23. — [2] 2 Reg., c. 12. — [3] L. 9 *Mor.*, c. 34, alias 17.

enim ipse homo hoc in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Sic David, etc.

Ad hanc traditionem attendens, Conc. Trid.[1] definivit: *Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ezechiel 18 dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis ... vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Ergo Deus non punit ea peccata pœna temporali.

Resp. *Nego conseq*. Intelligitur enim ille textus de remissione, seu non recordatione peccati quoad culpam et pœnam æternam, ut constat ex his verbis: *vita vivet*, nempe vita supernaturali gratiæ, *et non morietur*, morte æterna; nam pœnitentia non præservat a morte temporali: hoc autem non impedit quin Deus recordetur peccati ad sumendum de eo aliquas pœnas temporales in satisfactionem, ut probavimus ex Scriptura, quæ Scripturæ non potest esse contraria.

Inst. 1. Sacramentum Pœnitentiæ tollit pœnam æternam; ergo etiam tollit pœnam temporalem, quæ est minor.

Resp. *Nego conseq*. Pœna æterna tollitur, deleto peccato quoad culpam, quia illa pœna est incompatibilis cum amicitia Dei, qua donatur homo pœnitens; pœna vero temporalis est compatibilis cum amicitia Dei, et ideo non necesse est ut remisso peccato tollatur.

Inst. 2. Pœna peccati mortalis est æterna; ergo ea remissa, nulla remanet pœna temporalis.

Resp. *Nego conseq*. Quia pœna æterna mutatur in tem-

[1] Sess. 6, can. 30.

poralem, hoc sensu quod peccator ante susceptionem Sacramenti erat dignus pœna æterna; suscepto vero Sacramento, vel elicito actu contritionis perfectæ, dignus est tantum pœna temporali, cum sit amicus Dei.

Inst. 3. Apostolus ait[1] : *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu ;* at si superesset ipsis aliqua pœna luenda, aliquid damnationis ipsis foret. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam per *damnationem* intelligit mortem æternam; at in homine justificato nihil remanet damnatione seu morte æterna dignum. Præterea ille textus litteraliter intelligitur de Baptismo, qui, cum sit Sacramentum *regenerationis*, culpam pariter et omne debitum pœnæ expungit : e contra, Pœnitentia est sacramentum sanationis, ad quam *sine magnis* fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ait Conc. Trid.[2].

Objicies 2. Christus abunde pro nobis satisfecit, ergo superfluæ sunt nostræ satisfactiones.

Resp. *Nego conseq.* Utrumque enim verum est, et Christum pro nobis superabunde satisfecisse, et necessarias esse nostras satisfactiones, non quidem ut suppleatur aliqua insufficientia satisfactionum Christi, sed ut pretium illarum nobis applicetur; unde sunt conditio sine qua Christus non nobis applicaret meritum suæ passionis.

Inst. 1. Ergo remissio peccati non est gratuita; pugnat enim gratuita remissio cum obligatione luendæ pœnæ temporalis; atqui falsum consequens, dicit enim Apostolus[3]: *Justificati gratis, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Ergo, etc.

Resp. *Nego illatum.* Plena enim et gratuita censetur peccati remissio, cum præcipuum debitum, reatus scilicet culpæ et pœnæ æternæ, gratuito relaxatur, et insuper datur gratia pœnitentiæ, sine qua satifactiones nostræ nullius essent ad vitam æternam valoris.

[1] Rom. 8, v. 1. — [2] Session. 14, c. 2. — [3] Rom. 3, v. 24.

OBJICIES 3. Sublata causa, tollitur effectus; atqui culpa est causa omnis pœnæ: ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Quæ in multis deficit, v. gr., sublata est causa auxiliorum gratiæ, nempe mors Christi; ergo et auxilia gratiæ. Sublata est causa vulneris, ergo et vulnus; quæ conclusiones sunt evidenter falsæ.

OBJICIES 4. D. Ambr.[1] ait: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego;* ergo dimissa culpa, non remanet pœna temporalis.

RESP. *Nego conseq.* D. enim Ambrosius per *satisfactionem* intelligit excusationem, addit enim: *quod defendi non potest.* Unde sensus est: Petrus agnovit crimen, non excusavit, non defendit.

CONCLUSIO II.

Pœnalis satisfactio non est tantum ad vitæ novæ custodiam, et aliorum exemplum, ut Novatoribus placet, *sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et satisfactionem pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita.*

PROB. 1. *Ex Scriptura.* Daniel 4 dicitur: *Peccata tua eleemosynis redime;* et Lucæ 3: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ergo Scriptura, præter novitatem vitæ, exigit opera laboriosa, quibus inest vis redimendi peccata, et quidem de *condigno* si fiant ab homine justo.

PROB. 2. *Ex D. Aug.* (ut alios Patres prætermeam[2]), qui dicit[3]: *Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pænitentiæ dolorem, cooperantibus eleemosynis.* Et, serm. 57 *de Tempore,* addit: *Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit.* Ergo ex ipso, pœnitentiæ laboribus, tanquam pretio oblato, nostra peccata redimuntur.

Hinc Conc. Trid.[4] definit: *Si quis dixerit, pro peccatis*

[1] L. 10 *in Luc.*, n. 88. — [2] Tertull., lib. *de Pœnit.*, cap. 6; Origen. hom. 15 *in Levit.*; S. Amb., lib. 7 *in Luc.*; S. Hieron., *in Joel.* — [3] *Serm.* 50, inter 50. — [4] Sess. 14, can. 13.

quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis aut aliis pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.

DICES 1. Pœnitentia sacramentalis est tantum ad novæ vitæ custodiam, et exemplum aliorum; ergo ei non inest vis redimendi peccata.

Prob. ant. Ex D. Chrysost., hom. *de Pœnitent.*, dicente : *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens;* ergo est tantum ad vitæ novæ custodiam.

RESP. *Nego conseq.* Vult duntaxat D. Chrysost. Deum nobis non imponere pœnas tantum ad vindictam, sed etiam ad nostram emendationem, ut patet ex verbis quæ antecedunt : *Ne peccantes,* ait, *et inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit supplicium; propter hoc imponit pœnam,* etc.

DICES 2. Homo non potest satisfacere Deo; ergo, etc.

Prob. ant. Offensa Dei est objective infinita, satisfactio vero hominis plane finita; ergo homo non potest satisfacere Deo.

RESP. *Dist. conseq.* Non potest satisfacere Deo quoad pœnam temporalem, *nego;* quoad culpam et pœnam æternam, *subdist.;* ad strictos justitiæ apices, *conc.;* ex condigno, licet non quoad strictos justitiæ apices, *nego conseq.* Itaque si homo justus potest mereri de condigno vitam æternam, quidni poterit satisfacere de condigno pro pœna temporali peccatis debita?

ARTICULUS II.

UTRUM CONFESSARIUS POSSIT ET TENEATUR IMPONERE PŒNITENTIAM PŒNITENTI, ET PŒNITENS TENEATUR IPSAM ACCEPTARE?

CONCLUSIO I.

Confessarius potest et tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti.

Conclusio est articuli præcedentis consectarium, et de fide quoad primam partem.

Prob. Ex Conc. Trid. dicente [1]: *Debent Sacerdotes, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, lævissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

* Quam doctrinam deinceps [2] idem Concilium sanxit his verbis: *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, anathema sit.*

Hinc patet: 1° Patres Concilii ratum habuisse in Ecclesia Christi semper custoditum fuisse claves Ecclesiæ a Christo fuisse concessas, non tantum ad solvendum, verum etiam ad ligandum per salutares et convenientes satisfactiones; 2° Confessarium teneri ut judicem et medicum imponere pœnitentibus satisfactionem per se loquendo peccatis condignam, ut judici quidem incumbit illi pœnas infligere delictis commensuratas, et ut medico præscribere pharmaca

[1] Sess. 14, cap. 8. — [2] Can. 15.

idonea tam morbis contractis curandis quam in posterum vitandis. *

Hinc notanda sunt hæc verba : *Pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate ;* id est conditione, statu, ætate, sexu, valetudine, paupertate, imo et dispositione pœnitentis; unde S. Anton. [1] ait: *Debet Confessor dare talem pœnitentiam, quam credat verosimiliter illum implere, ne ipsam violando deterius ei contingat.*

Ratio theologica resolutionis est, quia satisfactio est pars integralis Sacramenti; at minister, quantum potest, tenetur procurare integritatem Sacramenti. Ergo, etc.

Objicies. Pœnitens potest sponte pœnitentiam assumere; ergo non necesse est ut imponatur a Sacerdote.

Resp. *Nego conseq.* Quia voluit Christus ut imponatur, hoc ipso quod instituit sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii punitivi. Deinde satisfactio a Sacerdote injuncta operatur *ex opere operato;* suscepta vero *ex opere operantis* tantum. Quare D. Th. [2] de satisfactione a Sacerdote injuncta, ait : *In ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

Inst. Satisfactio non est pars materialis integralis Sacramenti; ergo non agit *ex opere operato.*

Prob. ant. Materia Sacramenti debet præmitti formæ; atqui satisfactio non præmittitur formæ: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Materia essentialis, *conc.;* integralis, *nego maj.;* satisfactio actualis est tantum pars integralis Sacramenti, sed acceptio satisfactionis et voluntas satisfaciendi est essentialis; unde præmittitur formæ, ut omnia præscribunt Ritualia.

[1] 3 p., tit. 16, cap. 21. — [2] *Quodl.* 3, p. 12, art. 1.

Substratio erat statio eorum qui, intra templi ambitum, nempe a portis usque ad ambonem, substrati et genuflexi, varias manuum impositiones suscipiebant, multisque pœnis ac laboribus onerabantur et castigabantur; postea cum catechumenis ab Ecclesia pellebantur.

Consistentia erat statio eorum qui, cum populo fideli, ad finem usque Sacrificii persistebant, sed Eucharistiæ perceptione erant privati.

QUÆRES 3. *Utrum pœnitentibus imponi possit pœnitentia canonica?*

RESP. *negative.* Quia jamdiu ab Ecclesia sublata est.

QUÆRES 4. *Quotuplex sit pœnitentia publica?*

RESP. Duplex, nempe: *publica cum solemnitate,* v. g., stando ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso; et *publica sine solemnitate,* peracta scilicet coram iis qui scandalum passi sunt, v. g., ut quis retractet calumnias, sermones contra fidem, religionem, bonos mores, etc..

QUÆRES 5: *An imponi possit et debeat pœnitentia publica?*

RESP. 1. Pro peccatis occultis nulla debet imponi pœnitentia publica, quia est contra praxim Ecclesiæ et infamativa pœnitentis.

RESP. 2. Possunt et debent interdum publici et scandalosi peccatores a solo Episcopo, vel de solius Episcopi consilio et auctoritate obligari ad aliquam pœnitentiam cum solemnitate publica; ita Conc. Trident.[1] dicit: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet .... Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Soli ergo Episcopo reservata est illa commutatio, nec ab

1 Sess. 14, cap. 8.

inferioris ordinis Sacerdotibus fieri potest absque licentia Episcopi. Hæc Conc. Trid. disciplina recepta est in Conciliis provincialibus Gallicanis post Tridentinum celebratis: Burdigalensi, an. 1583 [1]; Bituricensi, an. 1584 [2]; etc.

Resp. 3. Pœnitentia publica sine solemnitate potest et debet imponi pœnitentibus : nam scandalum necessario tolli debet, et injuria illata reparari.

* Notandum est: 1° Non esse permiscendam, ut passim permiscent Jansenistæ, pœnitentiam *sacramentalem*, sive secreta sit, sive publica, ut supra a Christo præcepta, omnibusque necessaria, et pœnitentiam *canonicam*, seu *cæremonialem*, quæ utpote disciplinaris, nec perpetua, nec constans, sed diversa fuit pro diversitate temporum, locorum, circumstantiarum, ac denique penitus antiquata.

2° Non esse pariter confundendam, prout idem Novatores et Pistorienses confundunt, pœnitentiam *canonicam* cum *publica*, quæ a simplici Sacerdote imponi potest, et semper viguit in Ecclesia Dei, ut patet ex præfato Concil. Trid.

3° Pœnitentiam vero *canonicam*, nonnisi sæculo tertio labente, ex occasione hæresis Novatianorum institutam fuisse, et adversus tria tantum crimina, nimirum idololatriam, mœchiam et homicidium, nec omnibus indiscriminatim, sed certis tantum individuis in jus adductis et juridice convictis imponebatur.

4° Accurate secernendam esse praxim Ecclesiæ universalis circa pœnitentiam *canonicam* a praxi et disciplina Ecclesiarum particularium. Nunquam enim universalis Ecclesia *suos* fecit canones qui vulgo *pœnitentiales* nuncupantur; nam, excepto Concilio Nicæno I, quod tres canones edidit contra solos apostatas a religione christiana, et lapsos in idololatriam, nullum aliud œcumenicum Concilium invenies quod canones pœnitentiales fecerit.

5° Pœnitentiam, qualis nunc viget, ut notat Petavius, magis esse consonam temporibus apostolicis, quam illa quæ

[1] Cap. 12 *de Pœnit.* — [2] Can. 11.

postea invaluit a sanctis quidem Episcopis instituta cum majori vel minori severitate, pro temporum necessitate et idole populorum pro quibus fuerat constituta. Hæc dicta sint pro minus cautis, qui fraudibus Ecclesiæ perturbatorum decepti, specie zeli antiquam disciplinam ad cœlos extollunt, præsentis vero Ecclesiæ deplorant tenebras et labefactatam fidem, quasi Ecclesia Dei senesceret, et vera non esset sponsa Christi, qui semper renovat juventutem suam. *

CAPUT VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Nota. * Circa ministrum sacramenti Pœnitentiæ errarunt Protestantes, qui quemlibet fidelem clavium potestatem a Christo accepisse contendunt; Waldenses, Wicleffitæ, et Flagellantes, qui potestatem absolvendi tribuebant laicis probis, denegabant vero sacerdotibus malis; nonnulli sub finem sæculi elapsi perturbatores Ecclesiæ, qui dicebant tum approbationem episcopalem ad valide excipiendas confessiones non consistere in jurisdictione, sed in solo *capacitatis* et *idoneitatis* testimonio, tum omnes confessarios vi Ordinis absolvere posse, si non licite, saltem valide, ab omni peccato reservato, quorum Synodus Pistoriensis errores secuta est. * Igitur quatuor hic nobis sunt resolvenda: 1° quis sit minister sacramenti Pœnitentiæ; 2° an præter potestatem Ordinis requiratur jurisdictio in ministro Pœnitentiæ; 3° an requiratur approbatio Ordinarii; 4° an Ordinarii possint sibi casus reservare; duobus articulis.

ARTICULUS I.

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI PŒNITENTIÆ?

CONCLUSIO.

Solus Sacerdos est minister sacramenti Pænitentiæ. Est de fide contra Wicleffitas, Waldenses et Lutheranos.

Prob. Illi soli sunt ministri Pœnitentiæ, quibus Christus dixit[1] : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. ; atqui solis Sacerdotibus Christus dixit : *Quorum remiseritis*, etc., ut constat ex perpetua traditione Ecclesiæ [2], ad quam attendens Conc. Trid. sic definit[3] : *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum :* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt; *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ... anathema sit.*

Dices 1. Cap. Jacob. 4 dicitur : *Confitemini alterutrum peccata vestra ;* ergo omnes, etiam laici, confessionem excipere possunt.

Resp. *Dist. conseq.* Laici excipere possunt confessionem vel humilitatis, vel reconciliationis mutuæ causa factam, cum nempe alter in alterum peccavit, quomodo plures Pa-

[1] Joan. 20.

[2] * Hinc S. Ambrosius : *Jus hoc solis permissum sacerdotibus est* (*de Pœnit.*, lib. 1, cap. 2, n. 6).—S. Basilius : *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio* (Interrog. 288). — S. Leo : *Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia* Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri (*Epist.* 108, cap. 1). Ita S. Chrysostomus, Origenes, Tertull., Cyprianus, quibus consonant Ritualia omnia latina et Euchologia græca, quæ in reconciliatione peccatorum solos episcopos vel sacerdotes appellant.

Ad valorem autem absolutionis a ministro pravo datæ constat ex dictis in Tract, *de Sacram. in genere*, cap. 4, § 2, punct. 1. *

[3] Sess. 14, can. 10,

tres interpretantur hunc textum Jàcobi, *conc.;* confessionem sacramentalem, *nego conseq.* Laicus enim non habet potestatem clavium, confessio autem sacramentalis fit propter absolutionem.

Itaque qui textum D. Jacobi de confessione sacramentali interpretantur, sic ipsum reddunt cum Cornelio a Lapide : *Confitemini alterutrum ;* id est confitemini homines hominibus vobis similibus, non tamen omnibus, sed iis quibus a Christo demandata est absolvendi potestas, id est Sacerdotibus, juxta illud Petri 4 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei ;* quod intelligitur de solis Sacerdotibus; ex quo patet verba Div. Jacobi exponenda esse apposite ad subjectam materiam et officium cujusque.

Inst. Laicus et mulieres Baptismum conferre possunt in necessitate; ergo et Pœnitentiam conferre possunt.

Resp. *Nego conseq.* Argumentum enim a pari non valet in his quæ pendent a sola Christi voluntate, quæ fuit ut quilibet in necessitate possit baptizare, non absolvere, ut habemus ex solemni Ecclesiæ traditione.

Prob. conseq. Pœnitentia peccatori adulto non minus est necessaria quam Baptismus infantibus; ergo.

Resp. *Nego ant.* Ratio est, quia infantes nonnisi per Baptismum salutem obtinere possunt; at Pœnitentia suppleri potest per contritionem perfectam cum voto Sacramenti.

Dices 2. In antiquis Conciliis, Patribus et historiis ecclesiasticis legitur pœnitentes, necessitate urgente, apud Diaconos exomologesin, id est confessionem fecisse; ergo.

Resp. *Dist. ant.* Pœnitentes, necessitate urgente, apud Diaconos confessionem cæremonialem, qua pœnitentes dimittebantur a stadio pœnitentiæ canonicæ, et Ecclesiæ reconciliabantur, faciebant, *conc.;* sacramentalem in ordine ad absolutionem, *nego ant.;* nullum enim reperies qui Diaconis concedat jus absolvendi sacramentaliter a peccatis.

INST. Cap. *Fures*, tit. *de Furtis*, dicitur : *Fures et latrones, si in furando et deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum*, quia nempe in peccato mortali mortui sunt ; *sed si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Ergo confessio potest fieri Diacono.

RESP. *Dist. conseq.* Confessio non sacramentalis, *conc.;* sacramentalis, nempe in ordine ad absolutionem, *nego conseq.;* ibi enim confessio sumitur pro signo manifestativo contritionis perfectæ, qua quis redditur capax recipiendæ Eucharistiæ, ubi deficit Sacerdos qui absolutionem largiatur.

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS, PRÆTER POTESTATEM ORDINIS, AD VALIDE ABSOLVENDUM IN MINISTRO PŒNITENTIÆ.

Nota. Duo requiruntur : jurisdictio, quæ limitari potest per reservationem, et approbatio. Hinc tres paragraphi.

§ I.

De Jurisdictione.

Nota. Duplex est potestas : una ordinis, altera jurisdictionis.

Potestas ordinis est potestas remittendi peccata, Sacerdoti in sua ordinatione collata. Hæc est incompleta, nec potest exire in actum, nisi compleatur per potestatem jurisdictionis ab Ecclesia collatam.

Potestas jurisdictionis est auctoritas qua Sacerdos tanquam judex potest in actu secundo ferre sententiam absolutionis in subditum ; et duplex est, scilicet ordinaria et delegata.

Potestas ordinaria est ea quæ alicui competit ratione officii curam animarum habentis.

Potestas delegata est ea quæ habetur tantum ex commisssione ordinariam habentis. His positis,

Episcopi testimonium, quo Sacerdos ad confessiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur.

Ratio hujus discriminis est, quod ante Conc. Trid. celebrationem, approbatio erat distincta et separata a jurisdictione; Episcopi quos judicabant idoneos excipiendis confessionibus approbabant, relicta cura Parochis cui voluerint inter approbatos jurisdictionem conferendi, quam Summus Pontifex conferebat regularibus in omnes fideles; sed hæc disciplina a Conc. Trid. mutata fuit, ita ut jurisdictio ab Episcopi approbatione amplius non distinguatur, sed eo ipso quo Episcopus approbat, jurisdictionem confert; alias non posset intelligi quomodo approbatio posset limitari, revocari, etc. Itaque

CONCLUSIO.

Præter potestatem ordinis et jurisdictionis requiritur in Sacerdote tum regulari, tum sæculari non habente beneficium parochiale, approbatio Ordinarii, ut valide absolvere possit.

PROB. *Ex Conc. Trid.* [1], quod hoc novum jus instituit, his verbis : *Decernit sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis datur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Quibus postremis verbis Concilium revocat omnia privilegia, quibus SS. Pontifices concedunt regularibus facultatem audiendi fidelium confessiones, non obtenta prius Episcoporum licentia et approbatione.

DICES 1. Defectus approbationis reddit absolutionem solum illicitam; ergo non invalidam.

[1] Sess. 23, cap. 15. *de Ref.*

RESP. *Nego ant.* Cujus falsitas manifesta est, ex his Concilii verbis: *nullum posse confessiones audire ;* et *posse* sumitur pro defectu auctoritatis.

INST. Potestas ordinis et jurisdictionis est potestas completa remittendi peccata; ergo non requiritur necessario approbatio.

RESP. *Nego conseq.* Enimvero requiritur approbatio, non qua compleatur potestas jurisdictionis, sed tanquam conditio sine qua non confertur jurisdictio, quæ cum pendeat ab Ecclesia, potest ipsam conferre sub conditione approbationis ab Ordinario obtinendæ.

DICES 2. Regulares a Summo Pontifice habent potestatem absolvendi a peccatis sine necessitate approbationis; ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Privilegia enim regularium sunt revocata quoad hoc a Conc. Trid., ut constat ex Pio IV [1], dicente : *Omnia illa et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates.... in quibus illa statutis et decretis Conc. Trid. contrariantur, ipso jure revocata, cessata et annulata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint et esse censeantur.*

INST. In Gallia, Conc. Trid. non est receptum; ergo in Gallia regulares non indigent approbatione qua ante non indigebant.

RESP. *Nego ant.* Nam statutum illud Conc. Trid. est receptum, ut constat ex pluribus Conciliis provincialibus [2], et ex Comitiis generalibus anni 1625; unde Alex. VII hanc propositionem : *Conc. Trid. non obligat regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut confessiones sæcularium audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit præterquam in decisionibus fidei ,* damnavit ut *falsam , temerariam , scandalo-*

[1] Bulla *in Principis Apost.*, data ann. 1563.

[2] Conc. Rothomag., Burdigalense, Tolosanum, Narbonense.

sam, in hæresim et schisma inducentem, sacro Conc. Trid. et sedi Apostolicæ injuriosam.

QUÆRES : *Quænam sint circa approbationem observanda?*

RESP. Sequentia :

1° Approbatio debet esse formalis et expressa, Concilium enim requirit ut obtineatur ; unde non sufficit approbatio petita et injuste denegata, ut definivit Alex. VII propositione decima tertia.

2° Approbatio debet obtineri ab Episcopo loci in quo confessiones audiuntur.

Hinc 1° Approbatus in una Diœcesi non potest in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi diœcesani; ita Clem. X [1].

Hinc 2° Regularis approbatus in una Diœcesi potest in ea subditos alterius Diœcesis, in qua non est approbatus, absolvere, etiam a casibus reservatis in Diœcesi pœnitentis, modo non sint reservati in Diœcesi Confessarii : ita declaravit Clem. X Const. *Superna*, in qua excipit : *Nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda, migrasse.*

Hinc 3° Licet Parochus possit etiam licite absolvere suum diœcesanum in alia Diœcesi in qua non est approbatus, modo id fieri possit absque scandalo, quia habet in ipsum ordinariam jurisdictionem ab approbatione non pendentem, tamen regularis non potest, ex Constitutione *Superna*. Ratio est, quia jurisdictio delegata pendet ad approbatione Episcopi diœcesani.

3° Approbatio potest valide ad quædam loca, personas et tempora restringi ad libitum approbantis, ut constat ex damnatione oppositæ propositionis ab Alexandro VII.

4° Approbatio semel data valide revocari potest, etiam sine justa causa; nullo enim jure talis revocatio est irrita.

5° Generaliter approbatus ad sæcularium confessiones

[1] Const. *Superna.*

audiendas, non censetur approbatus ad audiendas confessiones Monialium eidem Episcopo subditarum; sed eget quoad hoc speciali Episcopi approbatione; nec approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius monasterii, censetur approbatus respectu Monialium alterius monasterii, ut statuit Clem. X Const. *Superna.*

6° Parochus, vi officii sui, non potest extra Parochiam suam valide absolvere subditos alterius Parochiæ sine licentia Episcopi, saltem tacita, qualis censetur adesse, cum Episcopus non contradicit consuetudini contrariæ, quam scit vigere.

§ III.

De Reservatione.

Nota. Casuum reservatio est *restrictio potestatis absolvendi a certis peccatis, facta potestate absolvendi ab aliis.*

CONCLUSIO.

Quilibet Superior, qui jurisdictionem suam conferre valet, habet jus sibi reservandi casus, a quibus inferiores Sacerdotes non possint absolvere.

Prob. Est definita contra Novatores a Trid. [1], his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

Ratio est, quia Superiores ecclesiastici possunt, pro libitu, jurisdictionem denegare; ergo et ipsam restringere.

Hinc propositiones 44ª et 45ª Synodi Pistoriensis, doctrinam reservationum temerantes, fuerunt profligatæ in Const. *Auctorem fidei,* ut falsæ, temerariæ, etc.

Hinc sequitur Summum Pontificem posse sibi reservare casus in universa Ecclesia, et Episcopos in sua quisque

[1] Sess. 54, cap. 7, et can. 11.

Diœcesi, cum hac differentia, quod omnes casus Papæ reservati habeant annexam excommunicationem; inter eos vero quos sibi reservant Episcopi, alii habeant annexam excommunicationem, alii hanc non habeant annexam.

CAPUT VII.

DE EFFECTIBUS POENITENTIÆ.

Nota. Constat, ex dictis, effectus hujus Sacramenti esse : 1° gratiæ habitualis et sacramentalis infusionem; 2° omnis culpæ remissionem; 3° condonationem pœnæ æternæ pro eis debitæ, et non tamen semper totius pœnæ temporalis. Duo solummodo hic examinanda supersunt.

1° Utrum merita per peccatum subsequens mortificata, per subsequentem pœnitentiam reviviscant.

2° An peccata per pœnitentiam remissa, per subsequentia peccata redeant. Itaque

CONCLUSIO 1.

Viva justorum opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam subsequentem reparantur ac reviviscunt. Ad cujus intelligentiam,

Nota. Quintuplex vulgo a Theologis distingui operum genus, nempe: *vivificantia, viva, mortifera, mortua* et *mortificata.*

Opera *vivificantia* sunt ea quæ vitam animæ afferunt, talis est contritio.

Opera *viva* sunt ea quæ facta sunt ex charitate, et quæ vitam æternam merentur.

Opera *mortifera* sunt ea quæ mortem animæ spiritualem inferunt, ut peccata mortalia.

Opera *mortua* sunt opera ex se bona, facta ab homine existente in statu peccati mortalis.

Opera *mortificata* sunt opera viva, quæ superveniens pec-

catum mortale, impediuntur a consecutione præmii ipsis alias debiti. His notatis,

PROB. PROP. 1° *Ex Scriptura.* Joel 2, Deus, peccatores ad pœnitentiam invitans, promittit se ipsis redditurum *annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca ;* id est, juxta interpretationem Patrum, omnia merita quæ per peccatum amiserunt.

Ad Galat. 3, Apostolus Galatas, multa primum pro Christo passos, deinde ad Judaismum prolapsos objurgat, dicens : *Tanta passi estis sine causa?* id est, frustra : *si tamen sine causa,* id est, ut interpretatur D. Hieronym., *sine utilitate vestra, supposito quod in hoc errore perseveretis ; non sine causa, si resipiscatis.* Ita etiam loquuntur alii Patres ac Theologi.

PROB. 2° *Ratione.* Quia circa bona hominis opera non magis potest culpa quam gratia ; ergo, si per culpam mortificantur, necesse est ut per gratiam denuo reviviscant.

OBJICIES. Ezech. 18, de justo mortaliter peccante dicitur : *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur ;* ergo non reviviscunt per subsequentem pœnitentiam.

RESP. *Nego conseq.* Propheta enim loquitur de eo qui in peccato suo moritur ; addit enim : *In prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

INST. 1. Opera mortifera per pœnitentiam deleta non reviviscunt per subsequens peccatum ; ergo nec opera mortificata per subsequentem pœnitentiam.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod opera mortifera sunt penitus deleta, hinc non mirum est si reviviscere non possint : at merita mortificata non sunt deleta absolute, sed manent in acceptatione Dei, quoad jus quod conferunt ad gloriam sublato impedimento, nempe peccato.

INST. 2. Si bona opera, per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscerent, hoc proveniret vel ex misericordia Dei, vel ex justitia ; atqui neutrum dici potest.

Neque adjicias peccatum supra peccatum; et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, etc.

Inst. 2. Christus [1], adducta parabola in qua Dominus a servo, in conservum suum crudeli, debitum repetit, quod remiserat, addit : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquique fratri suo de cordibus vestris.* Ergo peccatorum debita, licet remissa, redeunt odio fraterno.

Resp. *Nego conseq.* Christus enim hanc parabolam non usurpat, nisi ut ostendat nos teneri condonare injuriam omnem quam a proximo nostro recepimus, ita ut nullam a Deo veniam accepturus sit, quisquis erga inimicum suum implacatum animum gerit. En scopum hujus parabolæ. Cum igitur Dominus ab immiti servo debitum, quod remiserat, repetiit, circumstantia hæc ad ornatum parabolæ posita est. Vide Cornelium a Lapide in hunc locum.

Nota. Patres, qui nobis videntur contrarii, intelligendi sunt, non de formali, sed virtuali peccatorum reviviscentia.

Prob. secunda pars prop. *Ex D. Th.* [2] dicente : *Dicendum quod peccata dimissa per pœnitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continentur in peccato sequenti.* Ergo peccata per pœnitentiam remissa, per sequens peccatum reviviscunt secundum quid.

[1] Matth. 18, v. 32. — [2] Q. 88, a. 2, ad 4.

APPENDIX.

DE SATISFACTIONE PER SUFFRAGIA ET INDULGENTIAS.

* *Nota.* Jam vidimus [1] dicenda de Suffragiis, simul et de Purgatorio, cujus sequentia supponunt existentiam. Agenus igitur hic unico capite de Indulgentiis, tum pro vivis, tum pro defunctis. *

CAPUT UNICUM.

DE INDULGENTIIS.

Nota 1. Indulgentia est *relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam remissis debitæ, a legitimo Ministro facta per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

Dicitur 1° *Relaxatio,* sive per actum jurisdictionis pro vivis, sive per modum suffragii et solutionis pro defunctis.

Dicitur 2° *Pœnæ temporalis ;* nam pœna æterna non remittitur per Indulgentias, sed una cum culpa per sacramentum Pœnitentiæ, in re, vel in voto susceptum remittitur.

Dicitur 3° *Pro peccatis quoad culpam remissis ;* quia per Indulgentiam nulla culpa, sed tantummodo pœna remittitur; est enim solutio debiti.

Dicitur 4° *Debitæ ;* idest luendæ, vel in hoc mundo per Ecclesiæ Canones, vel præceptum Confessarii, aut post mortem in Purgatorio.

[1] *De Deo Creatore,* diss. 3, cap. 6, art.

Dicitur 5° *A legitimo Ministro*, nempe a Summo Pontifice et Episcopis, qui habent potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ : per quod Indulgentiæ distinguuntur a suffragiis, quæ a privatis applicari possunt.

Dicitur 6° *Per applicationem thesauri Ecclesiæ ;* ut distinguatur ab ea remissione pœnæ quæ fit per Sacramentum, aut Sacrificium.

Nota 2. Indulgentia est multiplex, namque :

1. Dividitur in *totalem* seu *plenariam*, et *partialem*.

Plenaria *est remissio totius pœnæ temporalis peccatis bebitæ*, modo infra explicando.

Partialis *est remissio partis pœnæ temporalis peccatis debitæ*. Talis est Indulgentia centum annorum, quadraginta dierum, etc.

Porro, per indulgentiam centum annorum, quadraginta dierum, etc., non significatur tot annos, vel dies Purgatorii remitti ; sed significatur tantum remitti de pœnis debitis, quantum remissum fuisset per pœnitentiam centum annis, vel quadraginta diebus factam secundum rigorem antiquorum Canonum, secundum quos aliquando pro gravibus peccatis imponebantur septem anni pœnitentiæ, assignato a Confessario certo numero jejuniorum per quaslibet illorum hebdomadas ; et hæc pœnitentia vocabatur *Septenna*. Aliquando imponebatur jejunium commune per quadraginta dies, et vocabatur *Quadragena*. Aliquando imponebatur jejunium in pane et aqua, cum separatione a consortio hominum, et vocabatur *Carena*.

2. Dividitur in *personalem*, *localem*, et *realem*.

Personalis est quæ alicui personæ conceditur, eamque comitatur ; v. g. profitenti Religionem.

Localis est quæ in favorem loci conceditur, v. g. orantibus in certo templo.

Realis est ea quæ annexa est alicui rei, v. g. Rosario, Numismati, imagini, quæ semper debet esse ex metallo. Itaque agemus hic : 1° de thesauro Ecclesiæ, qui est fun-

damentum Indulgentiarum; 2° de potestate Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis; 3° de iis a quibus concedi possunt Indulgentiæ; 4° de iis quibus dispensari possunt Indulgentiæ; 5° de Jubilæo.

ARTICULUS I.

DE THESAURO ECCLESIÆ.

CONCLUSIO.

Extat in Ecclesia thesaurus præcipue et primario coalescens ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis; et secundario ex satisfactionibus Deiparæ et Sanctorum.

PROB. PRIMA PARS. *Ex Clem. VI,* [1] his verbis : *Unigenitus Dei Filius... thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit... quem quidem thesaurum... per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores suos in terris vicarios commisit, fidelibus salubriter dispensandum.*

Ratio est, quia Christus infinitas suas satisfactiones in solam hominum salutem impendit; ergo infinitum thesaurum dispensationis Ecclesiæ commisit.

PROB. SECUNDA PARS. 1. *Ex eodem Clem. VI,* ibi dicente: *Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur.*

2. *Ex hac prop. Lutheri* damnata a Leone X : *Thesauri Ecclesiæ, unde papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.*

Confirmatur: Ex articulo fidei de *communione Sanctorum,* per quam membra Ecclesiæ ita sunt colligata, ut merita et satisfactiones unius ad alios quodammodo pertineant.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Thesaurus ex Christi et Sanctorum satisfactionibus conflatus, est Christo injuriosus; ergo rejiciendus.

[1] Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit. et remissione.

Resp. *Nego ant.* Satisfactiones enim Sanctorum satisfactionibus infinitis Christi in thesauro Ecclesiæ non ideo adjungimus, quod satisfactiones Christi se solis non sufficiant, aut quod augeantur satisfactionibus Sanctorum, absit; sed ideo adjungimus, ut illæ non sint otiosæ, ut Sancti hoc honore gaudeant, et ut efficacitas meritorum Christi magis elucescat, quæ non solum per se possunt expiare peccata et reatus peccatorum, sed etiam efficere ut merita Sanctorum vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis, peccatis quoad culpam remissis debitæ.

Inst. 1. Si Christi et Sanctorum satisfactiones in eodem thesauro reponantur, eodem loco habebuntur; injuriosum Deo consequens: ergo.

Resp. *Nego sequel. maj.* An Apostoli se pares Spiritui Sancto constituebant cum dicebant [1]: *Visum est Spiritui Sancto et nobis?* Itaque profitemur satisfactiones Christi esse infinitas; satisfactiones vero Sanctorum esse finitas, et totam suam virtutem a Christo tanquam a fonte recipere.

Inst. 2. Si peccata remittantur per Sanctorum satisfactiones, Sancti dici poterunt redemptores nostri; absurdum conseq.

Resp. *Nego sequel. maj.* Nam is solus est proprius et primarius redemptor, qui nos a captivitate dæmonis et morte æterna liberavit, et talis est solus Christus; hoc tamen non obstat quin Sancti sint nostri redemptores secundarii, quatenus aliquod debitum solvunt pro nobis, quo sensu Pius V hanc Baii propositionem proscripsit: *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta*, etc.

Objicies. 2. Omnes Sancti plenam laborum suorum mercedem receperunt; ergo nihil superest aliis impendendum.

Resp. *Dist. ant.* Plenam mercedem receperunt operum suorum quatenus fuerunt meritoria, *conc.*; quatenus satisfactoria, *nego ant.* Itaque omne opus bonum est simul me-

[1] Act., v, 18.

ritorium, quia fit ex charitate, et satisfactorium, quia pœnale. Sancti quidem plenam mercedem receperunt operum suorum quatenus sunt meritoria; at non semper acceperunt omnem remissionem pœnarum temporalium satisfactionibus suis correspondentem, cum tanta pro se non eguerint; hæcque est superabundantia quæ nobis per indulgentias applicatur ad remissionem pœnæ temporalis.

INST. 1. Ex Apost. [1]: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis ;* ergo Sanctis nihil residuum superest quod aliis conferre possint.

RESP. *Nego ant.* Non sunt condignæ passiones, si spectentur quatenus sunt humanæ, naturales et temporaneæ, *conc,;* si spectentur quatenus per gratiam Christi suscipiuntur et tolerantur, *nego ant.* Sic enim sunt actus gratiæ et charitatis ; gratia autem est semen gloriæ ; ergo passiones nostræ ex charitate et gratia Dei manantes, licet in se exiguæ, vim tamen habent et efficaciam producendi gloriam cœlestem. Deinde textus intelligitur de passionibus quoad vim merendi, non vero quoad vim satisfaciendi.

INST. 2. In parabola virginum, oleum significat satisfactiones, quia hæ pœnas alleviant ; atqui prudentes virgines non potuerunt dare de oleo suo fatuis virginibus: ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Oleum enim potest significare satisfactiones et meritum ex charitate ; atqui in laudata parabola significat charitatis meritum.

OBJICIES 3. Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum evertit fundamenta contritionis ; ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Imo solis contritis datur Indulgentia.

Prob. ant. Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum promittit impunitatem pro peccatis ; ergo evertit, etc.

RESP. *Nego ant.* Alias articulus fidei de *communione Sanctorum* promitteret impunitatem ; dico itaque Indul-

[1] Rom. 8, v. 18.

gentiam hoc unum præstare, ut satisfactio illius cui conceditur, satisfactionibus Sanctorum juvetur ex misericordia Dei : hinc calumniatur Lutherus, dicens hominem per Indulgentiam retrahi ab operibus bonis, cum e contra imperentur opera illa ad Indulgentiam consequendam.

ARTICULUS II.

DE POTESTATE ECCLESIÆ IN CONCEDENDIS INDULGENTIIS.

CONCLUSIO.

Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias a Christo accepit. Est de fide contra Waldenses, Wicleffitas, Lutherum et Calvinum.

Prob. 1. *Ex Scriptura*[1]*: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Inde sic argumentor:

Christus per hæc verba : *Quæcumque alligaveritis,* dedit Ecclesiæ potestatem imponendi opera laboriosa pro peccatis ; ergo per ista verba : *Quæcumque solveritis,* etc., eidem dedit potestatem illa opera, aliqua saltem ex parte, cum expedit, relaxandi ; ad eamdem enim potestatem utrumque pertinet, ut apprime probat D. Cypr.[2]: *Cum promiserit ipse qui legem dedit,* inquit, *ut ligata in terris, etiam in cælis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur,* etc.

Hac potestate usus est Apostolus[3] erga Corinthium incestuosum, cui *in persona Christi* reliquum pœnæ condonavit, dum rescivit ipsum de peccato doluisse, ac pœnitentiam inchoasse.

Prob. 2. *Ex perpetua traditione,* qua certum est potestate concedendi Indulgentiam Ecclesiam semper usam fuisse.

Sic, in primæva Ecclesia, pœnitentes obtinebant ab Episcopis pœnarum relaxationem per intercessionem mar-

[1] Matth. 18.—[2] L. 4 *ad S. Cornelium Papam,* c. 1.—[3] 1 Cor. 2, v, 10.

tyrum in carcere detentorum, a quibus libellos Indulgentiarum acceperant.

Sic Conc. Nicænum I et Carthag. IV concedunt Episcopis facultatem remittendi aliquid de satisfactionibus, pro majori pœnitentium fervore in adimplenda, quæ imposita fuerat, satisfactione.

Sic Gregorius Magnus Romæ stationes ad Sanctorum basilicas, pro Indulgentiarum consuetudine instituit.

* *Confirmatur*. Qui claves domus ab alio recipit, ut hospitem introducat et recipiat, hoc ipso recipit facultatem illum citius vel serius introducendi, obstacula quæ illum remorare possunt auferendo; atqui Petrus a Christo recepit claves regni cœlorum eo fine, ut in illud fideles Christi introducat et admittat, serius citiusve, ad ejus arbitrium, ex promissione Christi[1]; *subsumo;* atqui inter cætera impedimenta quæ moram fidelibus causant, est etiam pœnæ temporalis reatus; ergo et hunc reatum tollendi per claves Chritus Petro concessit facultatem. *

Hinc Conc. Trid.[2]: *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus... eos anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Juxta Deuter. 25: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus;* ergo pœnæ peccatis debitæ non possunt relaxari.

RESP. *Nego conseq.* Non possunt relaxari auctoritate propria, *conc.*; auctoritate Christi, *nego conseq.* Sic Apostolus relaxavit pœnas temporales incestuoso Corinthio *in persona,* id est gerens personam *Christi.*

INST. 1. Incestuosus Corinthius jam per annum integrum

[1] Matth., loco cit. — [2] Sess. 25, in decreto de Indulg.

ritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; atqui solos Episcopos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: ergo, etc.

Hinc Martinus V de hæresi Wicleffi suspectos in Conc. Constantiensi interrogari jubet : *Utrum credant quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis, ex causa pia et justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum ; et quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem Sacrorum Canonum possint etiam illas concedere.* Ex hac Constitutione constat :

1° Summum Pontificem habere potestatem conferendi Indulgentias plenarias omnibus fidelibus ; cum enim sit supremus Pastor, ad ipsum quasi jure innato pertinet publica Ecclesiæ bona per solemnes indulgentias dispensare : ipsi enim specialiter dictum est : *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis,* etc.

2° Episcopos in sua Diœcesi et Archiepiscopos in sua Provincia hanc potestatem habere *secundum limitationem Canonum,* quæ est ut non possint concedere nisi Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, et quadraginta dierum in aliis temporibus; ita statutum est in Conc. Later. IV, can. 62° et in variis canonibus juris [1].

Porro, Episcopi electi et confirmati habent hanc potestatem, licet nondum sint consecrati, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Ratio est, quia ad hoc sufficit potestas jurisdictionis quam habent ante consecrationem.

Dices : Indulgentia, ex dictis, est vera absolutio, sed ad absolvendum requiritur potestas ordinis ; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Est absolutio extrasacramentalis, *conc.*; sacramentalis, *nego ant.* Porro, ad absolvendum a pœna temporali extra Sacramentum non requiritur clavis ordinis, sed sufficit clavis jurisdictionis.

3° Nec Abbates, nec Generales Ordinum, nec Parochos

[1] Can. *Cum ex eo,* et can. *Indulg. de pœn. et remissione.*

posse concedere Indulgentias *absque speciali commissione*, eo enim jure privantur a Canonibus [1]. Ratio est, quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Ecclesiæ principibus, quales sunt soli Episcopi.

Dixi : *absque speciali commissione*, quia Summus Pontifex et Episcopi potestatem largiendi Indulgentias delegare possunt alteri, qui sit clericus, quia habent potestatem ordinariam ; qui autem habet potestatem ordinariam, eam potest alteri delegare, etc.

DICES : Martyres olim concedebant lapsis Indulgentias ; ergo.

RESP. *Nego ant.* Si stricte loqui velimus, martyres cum libellis Indulgentiarum non proprie concedebant Indulgentias, sed tantum rogabant Episcopos ut intuitu martyrii ab ipsis subeundi, relaxarent fidelibus lapsis pœnas canonicas.

4° Ad valorem Indulgentiæ requiri ut concedatur *ex causa pia et justa*, seu, ut ait Clem. VI [2], *ex propriis et rationalibus causis*. Ratio est, quia Papa et Episcopi dispensatores sunt tantummodo, non domini Ecclesiæ thesauri, ut ait Apost. [3] ; atqui dispensator de rebus domini sui, citra justam causam, nec valide nec licite disponere potest : ergo ad valorem Indulgentiæ requiritur justa causa, circa quam

QUÆRES 1. *Quid requiratur ad justam concedendæ Indulgentiæ causam?*

RESP. Duo requiruntur :

1° Aliquis finis pius et Deo gratus, cujus assecutio magis Deo placeat quam pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur : talis est, v. gr., honor Dei, charitas proximi, utilitas Ecclesiæ, bonum commune aut privatum, cui conceditur Indulgentia, ut est incrementum pietatis.

2° Opus aliquod bonum, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit, v. gr. cum Papa concedit Indul-

[1] Cap. *Accedentibus*, de Excessibus Prælatorum.

[2] Extrav. *Unigenitus*. — [3] 1 Cor. 4, v. 1.

gentiam plenariam recitanti certas quasdam preces, aut facienti aliquod opus pium ad pacem Reipublicæ christianæ obtinendam; vel certam pecuniæ summam conferenti ad Basilicarum vel Xenodochiorum constructionem, redemptionem captivorum, pauperum sustentationem, etc.

QUÆRES 2. *An, ad valorem Indulgentiæ, requiratur ut causa sit proportionata Indulgentiæ quæ conceditur, ita ut major causa requiratur pro majori Indulgentia?*

RESP. 1. Ad valorem Indulgentiæ non requiritur ut opus injunctum sit tam satisfactorium ut capax sit compensare pœnam debitam, alias nulla fieret remissio per Indulgentias; sed tantum commutatio, et sic Indulgentiæ forent prorsus inutiles; ita omnes.

RESP. 2. Ad valorem Indulgentiæ requiritur ut causa habeat proportionem quamdam cum Indulgentia quæ conceditur: est Bellarmini, *eam communiorem et veriorem* asserentis.

Prob. ex dictis : Ad valorem Indulgentiæ requiritur justa et rationabilis causa; atqui causa Indulgentiæ improportionata non est justa et rationabilis, cum non magis placeat Deo, quam pœnitentialis satisfactio: ergo.

Hinc, juxta Bellarminum, cum datur Indulgentia alicui particulari, oportet ut opus injunctum sit proportionatum fini cujus gratia datur Indulgentia : cum vero datur multis in communi, non necesse est ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul fini sit proportionatum; sic, v. gr., causa Indulgentiæ plenariæ concessæ multis conferentibus certam pecuniæ summam ad ædificandum Xenodochium, non est summa a singulis, sed ab omnibus collata, quæ causa est justa, quia illis sumptibus poterit ædificari Xenodochium, quod opus Deo gratius est quam satisfactio pœnitentialis.

DICES : Aliquibus religiosis et sodalibus in articulo mortis constitutis conceditur Indulgentia unius vel plurium annorum, vel etiam plenaria pronuntiato nomine *Jesu* et *Mariæ*,

nullo alio opere injuncto; atqui hæc causa non est proportionata tali indulgentiæ: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam sicut princeps potest bona communia ex rationabili causa dignis applicare, ita etiam Papa et Episcopi, qui sunt principes Ecclesiæ, possunt bona Ecclesiæ communia religiosis, sodalibus et aliis qui de Ecclesia bene meriti sunt, applicare, ut alios ad bene de Ecclesia merendum, vel ad religiosam vitam, vel ad sodalitates in quibus plurima opera bona exercentur, hoc beneficio trahant; unde, licet opus de se sit leve ac facile, tamen est medium ad finem Deo gratissimum assequendum, quod sufficit, ut docet Bonac. [1].

INST. 1. Ex communi axiomate: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant;* ergo non requiritur proportio causæ, sed sufficit intentio concedentis exterius manifestata.

RESP. *Dist. axioma:* Tantum valent, quantum sonant, *clave non errante,* conc.; *clave errante,* nego axioma: ut autem clavis non erret, debent quatuor conditiones concurrere, nempe ex parte dantis auctoritas et justa causa; et ex parte accipientis gratia sanctificans, et executio eorum quæ in litteris Idulgentiarum præcipiuntur.

INST. 2. Nonnullæ indulgentiæ conceduntur iis qui certa die certam Ecclesiam animo pietatis et religionis visitaverint; atqui hæc causa non est proportionata: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Licet enim opus non sit valde laboriosum, attamen, spectatis circumstantiis, proportionatum est fini Indulgentiarum, nempe ad cultum alicujus Sancti, ad incrementum pietatis, etc., promovendum.

INST. 3. Si, ad valorem Indulgentiæ, requiratur causa ipsi proportionata, semper erit in fidelibus dubitandi locus, utrum propter justam causam Indulgentia fuerit concessa; et sic Indulgentiæ vilipendentur.

RESP. *Nego ant.* Quia in facto principis semper præ-

[1] Disp. 6, puncto 4, n. 6 *de Indulgentiis.*

sumitur causa, nisi error in contrarium sit manifestus; ita censet Toletus [1].

ARTICULUS IV.

DE IIS QUIBUS DISPENSARI POSSUNT INDULGENTIÆ.

Nota. Hic agendum nobis incumbit de vivis et defunctis.

§ I.

De Indulgentia pro vivis [2].

Constat apud omnes omnem fidelem non excommunicatum Indulgentiarum esse subjectum; ideo hic unice controvertitur de dispositionibus ad lucrandas Indulgentias necessariis, circa quas

QUÆRES 1. *Quænam dispositiones sint necessariæ ad lucrandas Indulgentias ?*

RESP. Tres sequentes; namque :

1° *Requiritur ut qui lucraturus est Indulgentiam, præstet complete ea quæ præscripta sunt a superiore Indulgentiam concedente;* ratio est, quia superior concedit Indulgentiam sub conditione talis operis; concessio autem conditionata non subsistit, non adimpleta conditione.

Hinc qui partem notabilem operis injuncti, vel etiam circumstantiam operis principaliter intentam, non impleret, sive ex ignorantia, sive ex oblivione, sive ex justo quodam impedimento, Indulgentiam minime consequeretur. Nam *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

Injuncta autem confessio, intelligitur confessio mortalium; confessio enim venialium non est necessaria nisi Summus Pontifex aliter declaret. Ratio est, quia confessio simpliciter dicta ex communi Ecclesiæ sensu censetur confessio mortalium; ideo sicut Ecclesia non solet præcipere

[1] Lib. 6, c. 28, n. 6. — [2] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 536 et seqq.

confessionem venialium, ita neque consuevit confessionem requirere ad consequendam Indulgentiam.

2° *Requiritur ut sit in statu gratiæ;* quia non potest remitti pœna temporalis, nisi prius remittatur culpa, obligatio enim ad pœnam æternam remanet quandiu culpa mortalis manet.

3° *Requiritur propositum efficax Deo satisfaciendi;* nam Indulgentiæ conceduntur solis *vere pœnitentibus;* atqui vera pœnitentia essentialiter includit propositum pro viribus Deo satisfaciendi: ergo requiritur in eo qui lucraturus est indulgentiam, propositum efficax Deo satisfaciendi.

Hinc Greg. VII, episcopo Lincolniensi Indulgentiam concedens, ait: *Si tamen bonis operibus inhærendo, commissus excessus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum, Deo mundum templum exhibueris.* Quæ verba postquam retulit Baronius [1], addit: *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non negligunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.*

Dices: Si ad indulgentiam requiratur propositum efficax Deo satisfaciendi, inutilis erit Indulgentia; qui enim totum solvit quod debet, non indiget relaxatione; falsum ex dictis consequens: ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Qualecumque enim sit propositum satisfaciendi in homine infirmo, incapax est id omne solvere quod Deo debet; unde necesse est ut ad beneficium Indulgentiarum recurrat, quæ suis suppleant satisfactionibus.

Inst. Saltem Indulgentia plenaria omnem pœnam ex se remittit, ideo enim vocatur *plenaria;* ergo tunc non requiritur efficax propositum Deum satisfaciendi.

Resp. *Nego maj.* Non enim idcirco Indulgentia dicitur *plenaria,* quod omnem absolute et semper tollat pœnam temporalem; sed quod de satisfactione debita imminuat

1 Ad ann. 1073.

pro majori vel minori pœnitentis fervore ac pietate. *Unusquisque tamen,* inquit Bonif. VIII [1], *plus merebitur, et Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit.*

Hinc Card. Cajetanus [2], Lutherum impugnans, ait : *Non prosunt Indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt Indulgentia ... parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardet opus nisi impedita.*

Itaque Ecclesia, quantum est ex se, plenariam offert Indulgentiam, sed non quilibet plenariam semper assequitur, sed proportione servata uniuscujusque dispositionis, quæ interdum tanta esse potest, ut omnis pœna remittatur; at istud tam rarum est, ut in exemplum trahi non possit. Nam, ut ait Joann. Hesselius I, unus e Conc. Trid. Theologis [3] : *Si plenariam Indulgentiam acciperet omnis qui utcumque contritus est et confessus, qui est in statu gratiæ, male diceret Bonif. VIII, Extravag.* Antiquorum, *quod unusquisque plus mereretur et efficacius consequeretur indulgentias, qui Basilicas ipsas amplius et devotius frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quod quicumque Indulgentiarum particeps fuerit si statim moreretur, absque ulla pœna continuo ad cœli gaudia transiturus sit. Multum oportet pro peccato pœniteat, et valde pie perfecteque participet Indulgentias, cui hoc contingit. Et revera si ad hoc plenarias Indulgentias homines acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ, plurimum evacuaretur studium pœnitentiæ et satisfactionis.*

QUÆRES 2. *Utrum Indulgentiam lucraturus debeat esse in statu gratiæ toto tempore quo omnia injuncta adimpleantur?*

[1] Extrav. *Antiquorum.* — [2] Tr. 20 *de Suscipientibus Indulgentias*, quæst. I.
[3] Part. 2 *Catech.*, cap. 40.

Resp. Debet esse in statu gratiæ quando ultimum adimplet opus injunctum, quia eo instanti Indulgentia suum sortitur effectum; non vero necesse est ut sit in statu gratiæ toto tempore quo alia opera injuncta exequitur, modo fiant animo religioso, *vere pœnitenti ac ab omni affectu lethalis peccati libero;* quia bona opera, etiam in statu peccati facta animo pœnitenti, disponunt hominem ad justitiam et ad conciliandam Dei amicitiam.

Dixi: *Ab omni affectu lethalis peccati libro,* quia nemo cum affectu peccati mortalis mereri potest, ac Deo satisfacere.

Dices: Opera facta in statu peccati mortalis, non sunt apta ad applicanda merita Christi; ergo necesse est ut omnia opera præscripta ad consequendam Indulgentiam, præstentur in statu gratiæ.

Resp. *Dist. ant.* Opera facta in statu peccati non sunt apta, etc., ex se, *conc.;* quatenus conjunguntur cum ultimo opere præstito in statu gratiæ, *nego ant. et consequentiam.*

Quæres 3. *An percepturus Indulgentiam debeat habere intentionem illam consequendi?*

Resp. *affirm.* Quia nullum opus efficaciam habere potest absque intentione agentis; sufficit autem intentio habitualis aut interpretativa, quam censetur habere qui omnes, quas potest, Indulgentias consequi vellet.

§ II.

De Indulgentia pro defunctis.

Nota. Dupliciter conferri potest indulgentia, nimirum *per modum absolutionis juridicæ,* et *per modum suffragii.*

Indulgentia confertur *per modum absolutionis juridicæ,* quando est sententia judicis immediate remittentis subdito pœnam peccatis debitam.

Indulgentia confertur *per modum suffragii satisfactorii*, quando Indulgentiam concedens non exercet potestatem in subditum, sed offert Deo pretium ex thesauro Ecclesiæ, ut ipse remittat pœnam suæ justitiæ debitam.

CONCLUSIO.

Indulgentiæ concedi possunt defunctis, non quidem per modum absolutionis juridicæ, sed per modum suffragii tantum.

PROB. PRIMA PARS : Nempe Indulgentiam prodesse defunctis in Purgatorio detentis, ex Leone X hanc Lutheri propositionem damnante [1] : *Sex hominum generibus Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles : mortuis*, etc.

PROB. 2. Certum est de fide animas fidelium defunctorum suffragiis vivorum et incruento Missæ sacrificio juvari posse, prout definivit Concil. Trid. [2]. Ergo possunt etiam juvari Indulgentiis pro ipsis ab Ecclesia concessis, cum sint quoddam suffragium satisfactorium; istaque semper fuit constans traditio et totius Ecclesiæ Catholicæ sensus, ut constat ex Indulgentiis concessis a Gregor. I [3], Paschali I [4], etc.

PROB. SECUNDA PARS : Quia Indulgentia per modum absolutionis non potest concedi nisi subditis ; atqui defuncti non sunt amplius subditi Ecclesiæ, cum sint extra ipsius forum. Ergo, etc.

Restat igitur ut Indulgentiæ prosint defunctis per modum suffragii satisfactorii, modo supra explicato.

DICES 1. Potestas concedendi Indulgentias est potestas

[1] Bulla *Surge, Domine*, quæ reperitur apud Cajetanum, 3 p., q. 48, a. 5.

[2] Sess. 25 *de Purg.*; sess. 6 *de Justif.*; sess. 22 *de Sacr. Missæ*, cap. 2.

[3] Cujus momenta in templo S. Praxedis et alibi passim Romæ extant.

[4] Cujus momenta sunt a Bellarm. relata, etc.

clavium; atqui potestas clavium non se extendit ad defunctos: ergo nec potestas concedendi Indulgentias.

Resp. *Dist. min.* Potestas clavium non se extendit ad defunctos, quatenus est potestas ligandi et solvendi, *conc.;* quatenus est potestas dispensativa thesauri Ecclesiæ, cujus membra sunt defuncti, *nego min.* Hæc enim potestas continetur his Christi verbis : *Tibi dabo claves regni Cœlorum, et quodcumque solveris,* etc.

Dices 2. Animæ Purgatorii damnatæ sunt definitive ad subeundas pœnas Purgatorii ; ergo non possunt illæ pœnæ remitti per Indulgentias.

Resp. *Nego ant.* Sunt damnatæ definitive conditionate, *conc.;* absolute, *nego ant.* Hæc enim includitur conditio in earum ad pœnas condemnatione : *nisi aliquis fidelis applicet Ecclesiæ Indulgentias.*

Quæres 1. *Utrum Indulgentiæ defunctis concessæ eis certo et infallibiliter prosint?*

Resp. *affirm.* Quia ut Indulgentiæ infallibili justitiæ lege prosint defunctis, duo solum requiruntur, scilicet : 1° applicatio satisfactionis æquivalentis pœnæ quam defunctus debet; 2° divina promissio; atqui utrumque reperitur in Indulgentiis in favorem defunctorum concessis. Ergo, etc.

Prob. min. 1° Est applicatio satisfactionis non tantum æquivalentis, sed et superabundantis ; sunt enim satisfactiones Christi et Sanctorum, ut docet Clemens VI [1].

2° Est divina promissio in potestate clavium regni Cœlorum concessa Petro et ejus successoribus, qua possint removeri quæcumque aditum regni Cœlorum præpediunt; atqui exercitium potestatis clavium semper est ratum apud Deum, si fiat legitime, ex rationabili causa, seu, ut aiunt, *clave non errante:* ergo æque infallibiliter pro defunctis ac pro vivis valet legitimum illius potestatis exercitium.

Hinc Leo X [2] ait : *Omnes tam vivos quam defunctos, qui*

1 Extr. *Unig.*, de Pœnit. et remission. — 2 In bulla *Surge, Domine,* supra cit.

veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna liberari, quanta concessæ et acquisitæ Indulgentiæ æquivalet. Quibus verbis significat æque certam et infallibilem esse Indulgentiam pro defunctis ac pro vivis.

Dices 1. Si Indulgentiæ defunctis applicatæ prodessent infallibiliter et ex condigno, Papa posset uno die exhaurire Purgatorium; absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Quia dispensatio Indulgentiarum sine justa et rationabili causa est irrita et nulla; atqui nulla subest justa causa, ob quam potestate clavium tam ingens dispensatio fieri possit: ergo, etc.

Dices 2. Si indulgentiæ defunctis infallibiliter prodessent, frustra pro eadem anima sæpius offerrentur; consequens est contra praxim et communem sensum fidelium: ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Tum quia fieri potest ut aliquis defectus intercesserit in concessione Indulgentiæ, ut si concessa sit absque justa causa; tum quia fieri potest ut ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto contigerit defectus, propter quem Indulgentia fuerit irrita; tum quia incertus est gradus fervoris et pietatis, quo viventes pro mortuis satisfaciunt, cum tamen, ut jam diximus, Indulgentiæ de satisfactione debita imminuant pro majori vel minori pœnitentium fervore.

Hinc colliges consultum esse sæpius pro defunctis Indulgentias, Missas et alia suffragia applicare, ut illos repetitis suffragiis a pœnis eruamus.

Quæres 2. *Quænam requiruntur conditiones, ut valeant Indulgentiæ pro defunctis?*

Resp. 1. *Ex parte conferentis* requiritur auctoritas et causa legitima : hæc autem auctoritas residet in solo Summo Pontifice , nam potestas Episcoporum est restricta ad solos viventes [1].

[1] Cap. *Quod autem*, de Pœnit. et remission.

RESP. 2. *Ex parte suscipientis* Indulgentias pro defunctis requiritur : 1° executio operum præscriptorum ; 2° ut opus fiat ex intentione Indulgentiæ defunctis applicandæ ; 3° requiritur status gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti, quia vivens applicat defuncto Indulgentiam quam consecutus est ; atqui, ex dictis supra [1], non potest consequi Indulgentiam nisi sit in statu gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti. Ergo, etc.

DICES CUM CORDUBA [2] : Indulgentia suum habet valorem *ex opere operato ;* ergo non dependet a gratia illius qui pro defuncto Indulgentiam lucratur.

RESP. *Nego conseq.* Nam quod agit ex opere operato, non impedit quin in subjecto requirantur certæ dispositiones, sine quibus non operatur, ut constat ex dictis de Sacramentis ; atqui status gratiæ est conditio a SS. Pontificibus requisita ut fideles possint lucrari Indulgentias defunctis applicandas, cum in suis Bullis semper apponant se concedere fidelibus *vere pœnitentibus et confessis,* Indulgentias quas possint applicare defunctis.

ARTICULUS V.

DE JUBILÆO [3].

Nota. Jubilæus est *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis*, unde solum differt ab Indulgentia plenaria ratione privilegiorum quæ in Jubilæo conceduntur ; v. g. absolvendi ab omnibus casibus et censuris reservatis, commutandi vota, et alia quæ in Bulla exprimuntur, quæ ideo attente perlegi debet.

Circa Jubilæum sequentia sunt observanda :

1. Durante Romæ anno Jubilæi, ordinarie suspenduntur per totum orbem Indulgentiæ plenariæ pro vivis a Summo Pontifice concessæ.

[1] A. 4, § 1 *de Indulg. pro vivis.* — [2] Lib. 5, q. 17, dub. 3.
[3] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 536.

TRACTATUS

DE EXTREMA-UNCTIONE.

Hunc tractatum quinque absolvemus capitibus: *primum* erit de natura et institutione Extremæ-Unctionis; *secundum*, de ejus materia et forma; *tertium*, de ejus ministro; *quartum*, de ejus subjecto et necessitate; *quintum*, de ejus effectibus et cæremoniis.

CAPUT I.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS NATURA ET INSTITUTIONE.

Nota. Omissis variis nominibus quibus hoc Sacramentum designatur, dico illud trito nomine appellari *Extremam-Unctionem;* tum quia cum multæ sint in Ecclesia unctiones, hæc ultima est; tum quia non datur nisi periculose ægrotantibus; unde etiam *Sacramentum exeuntium* vocatur a Conc. Trident [1].

Extrema-Unctio definitur: *Sacramentum a Christo institutum, quo infirmi de vita periclitantes, per unctionem olei et orationom Sacerdotis, obtinent salutem animæ, et sanationem morborum, ubi saluti animarum expedit.* Hæc definitio omnes continet hujus Sacramenti partes necessarias; etenim

Dicitur 1° *Sacramentum*, pro genere.

[1] Sess. 14, c. 3.

Dicitur 2° *A Christo institutum;* prout definivit Conc. Trid. [1]; solius enim Christi est instituere Sacramenta.

Dicitur 3° *Quo infirmi de vita periclitantes;* ut denotetur subjectum hujus Sacramenti.

Dicitur 4° *Obtinent salutem animæ*, per gratiam, scilicet sanctificantem, aliaque auxilia.

Dicitur 5° *Et sanationem morborum,* etc., quia per hoc Sacramentum salus animæ principaliter intenditur.

Dicitur 6° *Per unctionem olei et orationem Sacerdotis;* quæ verba dant ministrum, materiam et formam hujus Sacramenti.

Hic duæ moventur controversiæ : 1° adversus hæreticos Waldenses, Wiclefitas, Lutheranos et Calvinistas, negantes Extremam-Unctionem esse verum Sacramentum ; 2° inter Catholicos disputantes de tempore quo fuit instituta.

CONCLUSIO.

Extrema-Unctio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Est de fide.

Prob. *Ex Scriptura.* S. Jacob. c. 5, dicit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quo textu sic argumentor : Ad verum Sacramentum quatuor requiruntur et sufficiunt, etiam secundum Novatores : 1° ut sit signum externum et sensibile; 2° ut habeat vim gratiam conferendi; 3° ut sit a Christo præceptum; 4° ut sit constans et perpetuum in Ecclesia ; atqui quatuor illas conditiones habet Extrema-Unctio ex laudato textu. Ergo, etc.

1° Est signum externum et sensibile, in *unctione* quæ est materia, et *oratione* quæ est forma.

2° Habet vim producendi gratiam ex his verbis : *et si in*

[1] Sess. 14 *de Sacram. Extr.-Unct.*, can. 1.

peccatis sit, remittentur ei. Atqui per solam gratiam potest remitti peccatum.

3° Est a Christo præcepta, cum ista verba: *inducat presbyteros Ecclesiæ,* sonent præceptum.

4° Est perpetua et constans in Ecclesia ; tum quia omnibus infirmis adhibendam esse jubet S. Jacobus : at semper futuri sunt infirmi inter mortales ; tum quia semper retenta fuit, ut constat ex perpetua praxi Ecclesiæ et constanti traditione Patrum, Origenis, Innocent. I, Augustini [1].

Hinc Conc. Trid. [2] definit : *Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a Beato Jacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Et can. 2 : *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi ol m tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Unctio de qua S. Jacobus, est eadem cum ea quam refert D. Marcus, c. 6, dicens de Apostolis : *Dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant ;* atqui unctio de qua D. Marcus, referebatur solum ad curationem morbi corporalis [3], ut declaratur : *Convocatis duodecim Discipulis suis, dedit est potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem :* ergo et ea de qua Jacobus.

Resp. *Nego maj.* Tum quia Apostoli, tempore quo illos infirmos ungebant, nondum erant Sacerdotes [4] ; tum quia tunc promiscue ungebant quoslibet ægrotos, ut cæcos,

[1] Origen., hom. 2 *in Levit.;* Innoc. I, epist. *ad Decentium*, cap. ult.; Aug., serm. 213 *de Tempore.* — [2] Sess. 14, can. 1. — [3] Matt. 10, v. 1 et 8.

[4] Ex Trid., sess. 22, can. 1.

claudos, etc., tum fideles, tum infideles : at sacramentum Unctionis non datur nisi iis infirmis qui de vita periclitantur, iisque baptizatis.

Hinc Conc. Trid. utrumque illud testimonium distinguit, dicens [1] hoc Sacramentum fuisse *apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem... commendatum ac promulgatum*.

Inst. 1. S. Jacobus assignat sanitatem corporis tanquam effectum præcipuum unctionis; atqui Sacramentorum præcipuus effectus est gratiæ collatio: ergo unctio de qua D. Jacobus, non est Sacramentum.

Resp. *Nego maj*. Præcipuus enim effectus Extremæ-Unctionis est remissio peccatorum, quam directe et primario respicit et operatur; sanitatem vero corporis non operatur nisi secundario, si nempe saluti animæ expediat.

Inst. 2. Ille effectus non est præcipuus, qui tantum promittitur conditionate : atqui talis est remissio peccatorum, *et si in peccatis sit, remittentur ei*. Ergo, etc.

Resp. *Nego min*. Cum enim moraliter impossibile sit hominem esse sine peccatis, vel saltem reliquiis peccatorum, ly *si*, in textu Jacobi, non denotat conditionem rei dubiæ, sed concessionem rei certæ; sicut enim cum D. Jacobus [2] dicit : *Si quis vestrum indiget sapientia*, sensus est : *Cum unusquisque vestrum indigeat sapientia ;* ita cum dicit : *Et si in peccatis sit*, sensus est : *Et cum in peccatis seu peccatorum reliquiis sit*, etc.

Objicies 2 cum Dallæo calvinista : Inter scriptores trium priorum Ecclesiæ sæculorum, nullus est qui unctionis infirmorum mentionem faciat, licet eorum plurimi accurate exposuerint quæcumque pertinent ad nostra Sacramenta; ergo unctio, de qua S. Jacobus, non est Sacramentum.

Resp. *Nego conseq*. 1° Quia illa argumenta negativa nullius sunt ponderis, ubi suppetunt alia positiva, quæ rem demonstrant. 2° Quia scriptores ecclesiastici, ea quæ sunt

[1] Sess. 14, c. 1. — [2] Eadem Epist., c. 1.

notissima et usu quotidiano vulgata, non solent scribere, nisi aliqua, circa illa, orta fuerit controversia; hoc ergo unice concludi potest ex silentio veterum, nullam ortam fuisse controversiam circa Extremam-Unctionem ante tempora Origenis, qui primus reperitur scripsisse de ea, sæculo III.

INST. DALLÆUS : Est discordia inter nostros Theologos tum circa auctorem, tum circa materiam et formam Extremæ-Unctionis ; atqui hæc discordia persuadere videtur illos eam non habuisse pro vero ac proprie dicto Sacramento: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Istæ enim Theologorum nostrorum discordiæ non attingunt Sacramenti substantiam et existentiam, quam omnes confitentur; sed attingunt tantum liberas scholæ opiniones, in quibus quilibet potest quod magis placuerit sentire.

QUÆRES : *Quo tempore Christus instituerit Extremam-Unctionem?*

Nota. Circa hanc quæstionem mirandam esse inter auctores discordiam.

Sunt qui, cum Magistro et D. Bonav., docent hoc Sacramentum post ascensionem, ab Apostolis ex speciali revelatione Spiritus Sancti, fuisse institutum; ex qua sententia sequitur Christum illud instituisse tantum mediate per Apostolos.

Sunt qui volunt illud fuisse institutum cum Apostoli[1] acceperunt a Christo potestatem ungendi et sanandi infirmos[2]. Hæc sententia fuit refutata in solutione prima objectionis præcedentis propositionis.

Alii denique putant illud institutum fuisse post resurrectionem, cum nempe Christus Apostolis ligandi atque solvendi auctoritatem concessit. Itaque

RESP. Plane incertum est quo tempore Christus institue-

1 Marci 6. — 2 Victor. Antioch., Vener. Beda, Theophylactus, et Œcumenius in c. 6 *Marci.*

rit Extremam-Unctionem; probabilius est tamen ipsam instituisse post suam resurrectionem.

PROB. PRIMA PARS. Illud in iis quæ ex mera Dei voluntate pendent, incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis, neque ex traditione certo colligi potest; atqui tale est tempus quo instituta est Extrema-Unctio, ut constat ex discordia Doctorum. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Extrema-Unctio est, ex Trid.[1], *Pœnitentiæ consummativum Sacramentum;* ergo probabilius est ipsam fuisse institutam eo ipso tempore, quo sacramentum ipsum Pœnitentiæ, nimirum inter Resurrectionem et Ascensionem : *Hi enim dies qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt*, inquit S. Leo[2], *non otioso transierunt decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Nota. Majoris claritatis causa, præsens caput in duos distribuemus articulos, quorum *primus* erit de materia remota et proxima; *secundus* de forma Extremæ-Unctionis.

ARTICULUS I.

DE MATERIA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

CONCLUSIO I.

Materia remota Extremæ-Unctionis est oleum olivarum, quod debet essentialiter esse benedictum ab Episcopo, vel a Sacerdote ex ejus commissione.

PROB. PRIMA PARS : Quæ est de fide, scilicet, quod sit oleum olivarum, ex Jac. 5 : *Ungentes eum oleo ;* atqui per

[1] Sess. 14, can. 3. — [2] — Serm. *de Ascens.*

oleum sine addito intelligitur olivarum, ut constat ex perpetua praxi Ecclesiæ et traditione : ergo, etc.

Hinc. Conc. Florent. ait : *Quintum Sacramentum est Extrema-Unctio, cujus materia est oleum olivæ, per Episcopum benedictum*. Et Trid. [1] : *Intellexit Ecclesia materiam* Extremæ-Unctionis *esse oleum ab Episcopo benedictum*. Ratio a priori est voluntas Christi.

Dices : Conc. Trid. omisit vocem *olivarum ;* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Cum enim oleum simpliciter et sine addito, sit oleum olivarum, sufficienter intelligitur mens Tridentini, quæ alias explicari debet per praxim continuam Ecclesiæ.

Prob. secunda pars : Nempe oleum illud essentialiter debere esse ab Episcopo benedictum ; ex iisdem Conc. Flor. et Trid., quæ in assignanda hujus Sacramenti materia, semper addunt : *oleum ab Episcopo benedictum ;* et ex veteribus Sacramentalibus, in quibus oleum infirmorum vocatur *oleum sanctum, oleum sanctificatum* [2]. Ergo signum est talem benedictionem esse necessariam essentialiter, id est necessitate Sacramenti.

Dices : Conc. Flor. et Trid. non dicunt benedictionem olei esse essentialem ; ergo non est necessaria necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti Ecclesiæ.

Resp. *Dist. ant.* Non dicunt formaliter, et ideo non est de fide, *conc. ;* non dicunt virtualiter et arguitive, *nego ant.* Nam, licet aqua baptismi debeat esse benedicta ex præcepto Ecclesiæ, tamen illa Concilia non assignant pro materia Baptismi aquam benedictam, sed aquam simpliciter, seu aquam naturalem; ergo cum assignant pro materia Extremæ-Unctionis oleum benedictum, signum est talem benedictionem necessariam esse necessitate Sacramenti; unde, licet non sit de fide, videtur tamen certum.

Prob. tertia pars : Nempe oleum posse benedici a Pres-

[1] Sess. 14, can. 1. — [2] *Sacram.* Greg. Magn. *vetera Sacr. Ecclesiar. Venetæ, Mediolanensis, Remensis*, a S. Remigio.

bytero ex commissione Episcop ex praxi Ecclesiæ Græcæ, in qua simplices Presbyteri ex antiqua concessione saltem tacita Summorum Pontificum, oleum istud benedicunt, ut asserit Goarius [1]; quam praxim approbavit Clem. VIII, in *Instructione de ritibus Græcorum*, anno 1505 edita.

Dices : Ex dictis, est de essentia olei infirmorum ut sit ab Episcopo benedictum; ergo non potest benedici a simplici Sacerdote, ex delegatione Episcopi.

Prob. conseq. Ideo simplex Sacerdos non potest benedicere chrisma pro materia Confirmationis, quia consecratio ab Episcopo est de essentia materiæ Confirmationis; ergo a pari, etc.

Resp. *Nego maj.* Vera enim ratio cur simplex Sacerdos non potest consecrare chrisma, non est quia consecratio est de essentia chrismatis, sed quia in utraque Ecclesia, Latina et Græca, chrisma nunquam nisi ab Episcopis consecratum fuit; e contra vero oleum infirmorum a simplicibus Presbyteris, potestate sibi a Summis Pontificibus expresse vel tacite delegata, fuit benedictum et etiamnum benedicitur in Ecclesia Græca; institutio autem Christi, ex praxi Ecclesiæ, quæ semper regitur a Spiritu Sancto, nobis innotescit.

Quæres : *Quid sit faciendum, cum oleum ab Episcopo feria quinta benedictum, deficit propter frequentem administrationem hujus Sacramenti?*

Resp. Posse Sacerdotem oleum non consecratum miscere cum consecrato; ex illa enim unione, quod non fuit consecratum, consecrationem quamdam contrahit; ita Rituale Tullense : *Si forte*, inquit, *oleum ita minueretur, ut ad annum non possit sufficere, neque aliud benedictum haberi queat, oleum olivæ non benedictum in illud infundi poterit, sed in minori quantitate, ita ut certus esse possit Sacerdos, in omnibus unctionibus postea faciendis, inesse aliquid olei consecrati* [2].

[1] In notis *ad Eucholog. Græc.*, pag. 426, n. 27.
[2] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 708 et seqq.

CONCLUSIO II.

Materia proxima Extremæ-Unctionis est unctio facta a Sacerdote [1].

PROB. *Ex Jac.* 5 : *Ungentes eum oleo.* Ratio est, quia materia proxima Sacramentorum, quæ consistunt in usu, est applicatio materiæ remotæ ad subjectum; talis est unctio; ergo, etc.

QUÆRES 1. *Quænam corporis partes inungi debeant?*

RESP. Eugen. IV, in decreto, præcipit infirmum inungendum in septem partibus, nempe *in oculis, propter visum; in auribus, propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore, propter gustum vel locutionem; in manibus, propter tactum; in pedibus, propter gressum; in renibus, propter delectationem ibidem vigentem.* Ita etiam habent Ritualia Romanum, Parisiense et Tullense, quæ loco unctionis renum substituunt unctionem pectoris, quæ insuper commendant ut in *feminarum unctione, tangat tantum Sacerdos partem pectoris superiorem,* honestatis et pudoris causa.

DICES : Aliqui infirmi carent pedibus, vel manibus, aliqui alii sunt surdi et cæci a nativitate; ergo illis non sunt necessariæ unctiones illis partibus correspondentes.

RESP. *Nego consq.* Ex praxi Ecclesiæ quæ inungit partes viciniores in his quibus deest organum, et organa oculorum et aurium surdis et cæcis a nativitate, quia, licet tales non peccaverint peccato externo visus et auditus, potuerunt tamen peccare peccato interno desiderii.

QUÆRES 2. *An, ad Sacramenti validitatem, plures unctiones sint necessariæ, vel an unica sufficiat?*

Nota: Circa hanc quæstionem duæ sunt Theologorum sententiæ.

Prima est eorum qui arbitrantur quinque sensuum unc-

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 710.

tiones omnino esse necessarias ad substantiam Sacramenti. Ita Paulus a Lugd.

Secunda est eorum qui putant unicam unctionem essse de necessitate Sacramenti, licet fateantur quinque sensuum unctiones pertinere ad integram et majorem expressionem effectus hujus Sacramenti.

Resp. Ad substantiam Sacramenti perinde est, sive plures, sive unica fiat unctio.

Prob. Tum quia S. Jacobus unctionis simpliciter mentionem facit, non plurium; tum quia tempore quo trina immersio præcepta erat in Baptismo, validus tamen erat collatus per unicam immersionem; ergo et Extrema-Unctio est valida per unam unctionem, ob paritatem rationis; tum demum quia nostra sententia magis videtur esse ad praxim Ecclesiæ, quæ in casu necessitatis permittit unicam unctionem fieri. Ita Ritualia Parisiense et Tullense.

Quæres 3. *Quænam pars corporis sit inungenda, cum unica in necessitate fit unctio?*

Respondet Rit. Tullense unctionem in capite, in quo omnes sensus tanquam in sua sede vigent, debere fieri sub hac forma communi : *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti.*

Respondet Rit. Parisiense debere fieri in oculo, vel alio sensuum organo, sub ista forma : *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.*

Ex his consequens est quemlibet Sacerdotem teneri religiose observare quæ sunt in usu Ecclesiæ cui addictus est, cum illa tacite saltem approbet Ecclesia universa.

deprecativam non potest exprimi certus effectus Sacramenti.

Resp. *Dist. ant.* Oratio quæ non est forma Sacramenti, non est semper efficax, *conc.*; oratio quæ est forma Sacramenti, *nego ant.* Christus enim in sua institutione contulit orationi sacramentali vim et efficaciam certam, quam recipit subjectum, nisi sit ex ejus parte obex.

CAPUT III.

DE MINISTRO EXTREMÆ-UNCTIONIS [1].

Nota: Lutherani et Calvinistæ per ly *Presbyteros*, in textu Jacobi docent intelligi non Sacerdotes, sed seniores e populo.

CONCLUSIO.

Minister Extremæ-Unctionis est solus Sacerdos. Est de fide.

Prob. *Jac.* 5: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, etc.; atqui Presbyterorum nomine intelliguntur soli qui sua ordinatione ad episcopalem vel sacerdotalem gradum provecti sunt, ut constat ex traditione, cujus testis est perpetua praxis Ecclesiæ, et definivit Concil. Trid. his verbis: *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Dices: Innoc. I docet [2] *Non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti oleo sancto licere, in sua aut suorum necessitate ad ungendum*; ergo per ly *Presbyteros*, D. Jac. intellexit seniores populi.

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 722 et seq. — [2] Epist. 1 *ad Decentium*, cap. 8.

RESP. *Dist. conseq.* Innoc. I enim omnibus Christianis permittit uti oleo per Episcopum consecrato, non ut conficiant Sacramentum, sed ut ex devotione inungant membrum morbo affectum absque forma sacramentali; fideles quippe olim oleo benedicto utebantur, per quod medelam sperabant, eo fere modo quo nunc aqua benedicta utuntur. Hujus praxis multa exempla refert Tournely, q. 2, a. 4 *de Extrema-Unctione.*

QUÆRES 1. *An omnis Sacerdos sit Minister idoneus hujus Sacramenti?*

RESP. 1 Omnis Sacerdos valide administrare potest Extremam-Unctionem, quia ad validam hujus Sacramenti administrationem non requiritur potestas jurisdictionis, sed sufficit potestas ordinis.

RESP. 2. Extra casum necessitatis, illi soli Sacerdotes sunt Ministri legitimi Extremæ-Unctionis, qui habent ordinariam vel delegatam jurisdictionem.

Ratio est, quia administratio Sacramenti est officium Pastoris, quod usurpare in materia gravi, gravis est culpa. Hinc, *Clement.* 1, *de Privilegiis,* excommunicatione Papæ reservata innuruntur Regulares, qui illud Sacramentum sine licentia Parochi sæcularibus *ministrare præsumpserint,* vi suorum privilegiorum.

Dixi: *Extra casum necessitatis;* quia non comprehenditur hic casus in Clementina, ut constat ex verbo *præsumpserint;* non enim præsumit qui in casu necessitatis administrat Sacramentum.

QUÆRES 2. *Quot requirantur Sacerdotes ad administrandam Extremam-Unctionem?*

RESP. Unum sufficere, ut definivit Alex. III, dicens [1] : *Quod Sacerdos, uno præsente Clerico, et etiam solus, potest infirmum ungere.*

DICES: D. Jac. in numero plurali dicit: *Inducat Presbyteros;* ergo unus Sacerdos non sufficit.

[1] Cap. *Quæsivi,* de Verb. signif.

RESP. *Nego conseq.* D. enim Jacobus loquitur per enallagen numeri, *Inducat Presbyteros*, id est aliquem ex Presbyteris, quomodo Christus dixit : *Ostendite vos Sacerdotibus;* id est alicui ex Sacerdotibus ; nam satis erat, si leprosus uni Sacerdoti se ostenderet, ut constat Lev. 14: *adducetur* (leprosus) *ad Sacerdotem.*

CAPUT IV.

DE SUBJECTO ET NECESSITATE EXTREMÆ-UNCTIONIS.

QUÆRES 1. *Quodnam sit Extremæ-Unctionis subjectum*[1] *?*

RESP. Est infirmus de cujus morte timetur, usu rationis aliquando præditus.

PROB. PRIMA PARS : Ex Jacobi verbis : *Infirmatur quis in vobis?* quod verbum, juxta vocem græcam, qua usus est D. Jacobus, significat infirmum in extremis positum ; idque probat universa Ecclesiæ praxis et traditio firmata a Conc. Flor. in decreto ,ubi ait : *Subjectum hujus Sacramenti esse infirmum de cujus morte timetur.* Et a Trident. dicente[2] : *Declaratur esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur ; unde Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

Resolves : Nec licite, nec valide administratur Extrema-Unctio criminosis ad mortem damnatis, nec militibus ad prælium euntibus ; quia tunc non sunt infirmi.

PROB. SECUNDA PARS : Nempe quod sit infirmus, *usu rationis aliquando præditus ;* quia Extrema-Unctio est instituta ad remittenda peccata, *et si in peccatis sit, remittentur ei.* Atqui qui nunquam fuit præditus ratione, ut sunt infantes, perpetuo amentes, actualiter non potuerunt peccare ; ergo.

QUÆRES 2. *Quænam dispositiones requirantur in subjecto Extremæ-Unctionis*[3] *?*

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 712 et seqq. — [2] Sess. 14, cap. 3. — [3] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 716.

RESP. Duæ requiruntur.

1° Ut suscipiens sit in statu gratiæ, quia est Sacramentum vivorum. Hinc si quis peccati alicujus mortalis sibi conscius est, debet illud confiteri; quod si non possit, debet de illo contritionem vel saltem attritionem elicere cum voto illud, ubi facultas fuerit, confitendi.

2° Ut habeat hujus Sacramenti suscipiendi intentionem, saltem habitualem.

Tertiam addit D. Th.[1], scilicet devotionem actualem; attamen sufficere devotionem virtualem, quæ præcesserit, nec sit revocata, existimamus.

Ex his inferes non esse expectandam ultimam vitæ periodum, ut infirmus inungatur, sed præoccupandum esse illud tempus quo adhuc infirmus integris est sensibus; Pastoresque teneri graviter ex justitia et charitate, nedum Sacramentum illud ovibus suis administrare quando illud postulant, sed etiam curam gerere ut illud, cum sint adhuc integris sensibus, recipiant; cum Pastoris sit bono gregis sui studiose invigilare.

QUÆRES 3. *An hoc Sacramentum sit necessarium?*

RESP. 1. *Non est necessarium necessitate medii;* quia sine eo homo potest salvari per pœnitentiam, cujus consummatio est Extrema-Unctio.

RESP. 2. *Extrema-Unctio infirmis de vita periclitantibus est necessaria necessitate præcepti divini et ecclesiastici.*

PROB. PRIMA PARS. Jacobi 5 : *Inducat Presbyteros Ecclesiæ :* quæ verba imperantis sunt ac præcipientis, non consulentis tantum et adhortantis. *Quare nulla ratione audiendi sunt,* ait Conc. Trid.[2], *qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem.*,

[1] Q. 32, a. 4 *in Suppl.* — [2] Sess. 14, cap. 3 *de Extr.-Unct.*

Et can. 3[1] anathemate ferit eum qui dixerit hoc Sacramentum *a Christianis absque peccao contemni.*

Porro, hoc Sacramentum contemnit, non solum qui recusat, sed et ille qui non curat percipere : *qui contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti injuria esse non posset,* inquit Trid. ibidem.

SECUNDA PARS manifeste probata manet in omnibus omnium Ecclesiarum Ritualibus, in quibus ritus hoc Sacramentum administrandi præscribitur.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS ET CÆREMONIIS EXTREMÆ-UNCTIONIS.

QUÆRES 1. *Quot sint effectus Extremæ-Unctionis?*

RESP. Sublato obice, quinque referuntur a Conc. Trid[2].

Primus effectus, a quo, juxta Trid., defluunt cæteri, est gratia sanctificans, secunda quidem ex primaria intentione institutionis, et etiam prima ex secundaria intentione suæ institutionis, ut videbitur infra.

Secundus effectus, est remissio peccatorum, *si quæ sint adhuc expianda,* ait Trid.

Tertius effectus, est abstersio reliquiarum peccati, hoc est propensionis ad malum; difficultatis ad faciendum bonum, debilitatis mentis a peccato provenientis, qua fit ut homo non sit ita expeditus ad intuenda et meditanda cœlestia; plus autem vel minus abstergit pro majori, vel minori dispositione recipientis.

Quartus effectus, est alleviatio animæ infirmi, per magnam divinæ misericordiæ fiduciam quæ in eo excitatur, *qua firmus sublevatur, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit.*

In hoc effectu consistit gratia sacramentalis, est enim gratia *alleviativa* ægroti.

[1] Ejusdem sess. — [2] Sess. 14, cap. 2.

Quintus effectus, est interdum sanitatis corporeæ restitutio, *ubi animæ expedierit.*

Nota : De his effectibus sic generatim in Trid. expressis conveniunt omnes Theologi ; verum in exponendo secundo effectu, qui est *remissio peccatorum*, et quinto, qui est *sanitatis corporeæ restitutio*, in aliquibus discrepant.

Circa remissionem peccatorum.

Aliqui volunt sacramentum Extremæ-Unctionis remittere tantum *per accidens* peccata quoad culpam, sive sint mortalia, sive sint venialia, eo modo quo per alia Sacramenta vivorum remittuntur ; et per hæc Apostoli verba : *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, intelligunt solum reliquias peccatorum [1].

Sunt qui volunt hoc Sacramentum remittere peccata venialia quoad culpam *directe ac per se*, mortalia vero tantum *per accidens* [2].

Alii e contra peccata etiam mortalia *directe ac per se* sacramento Extremæ-Unctionis dimitti existimant [3].

Verum quoad praxim parum refert ad salutem hominis, quod disputent Theologi, an Sacramentum *primo et per se*, an tantum *per accidens*, effectum illum producat, modo illum vere producat ; attamen

CONCLUSIO.

Verisimilius et communius est Sacramentum Extremæ-Unctionis, sublato obice, peccata sive mortalia, sive venialia, si quæ remaneant, primo et per se remittere.

PROB. Quia D. Jac. et Conc. Trid. absolute dicunt remitti peccata, nec distinguunt inter peccata mortalia et venialia, sed generatim et indefinite pronuntiant : *Si in peccatis sit, remittentur ei. Delicta si adhuc sint expianda,*

1 Ita Dominic. Soto in 4, dist. 23, q. 1, art. 2, et quidam alii Thomistæ.

2 Ita Estius in 4, dist. 22, § 4 ; Paul. a Lugdun., cap. 4 *de Extr.-Unct.*

3 Bellarm., Maldonat., Tournely, S. Lig., Suarez, hic.

abstergit. Unde S. Carolus [1] sic loquitur: *Potest fieri ut, ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut dici possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus.*

Dices: Sunt tantum duo Sacramenta quæ *per se primario* remittunt peccata mortalia, scilicet Baptismus et Pœnitentia, quæ ideo dicuntur Sacramenta mortuorum; ergo Extrema-Unctio *per se* non remittit peccata mortalia.

Resp. *Dist. ant.* Sunt tantum duo Sacramenta quæ per se dimittunt peccata mortalia *ex primaria intentione suæ institutionis*, conc.; *ex secundaria intentione suæ institutionis*, nego antec. Ergo Extrema-Unctio non dimittit peccatum mortale per se, *ex primaria intentione suæ institutionis*, conc.; *ex secundaria intentione suæ institutionis*, quatenus nempe ea instituta tanquam supplementum et perfectio pœnitentiæ, *nego*; et ideo non vocatur Sacramentum mortuorum.

Circa sanitatis corporeæ restitutionem quærunt, an hic effectus producatur ex opere operato, vel ex opere operantis.

Resp. Cum veriori sententia, hunc effectum produci *ex opere operato*; quia ad hunc effectum secundarium est instituta Extrema-Unctio.

Dices: Ergo semper sanitatem recuperare debet, qui rite dispositus hoc Sacramentum recipit; atqui hoc est contra experientiam.

Resp. *Nego maj.* Quia hic effectus est tantum secundarius et conditionatus; ergo non est necesse ut semper sequatur ex Sacramento, sed sufficit quod quotiescumque ponitur, *ex opere operato* ponatur.

Urgebis: Ergo post Extremam-Unctionem remedia naturalia sunt inutilia.

Resp. *Nego illatum.* Quia remedia naturalia conducunt

[1] In instruct. *de Extr.-Unct.*

ad restitutionem sanitatis *absolute ;* Sacramentum vero *conditionate,* si nempe saluti animæ sit necessaria ; et ubi est necessaria, Sacramentum virtute sibi propria remedia naturalia ad felicem perducit exitum.

QUÆRES 2. *An Sacramentum Extremæ-Unctionis sit iterabile*[1] ?

RESP. *affirm.* Quia non imprimit characterem ; circa hanc iterationem observandum est quod Conc. Trid. [2] tradit : *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Ex quo sequitur non posse iterari durante eodem morbo, nisi infirmus convaluerit, et postea in novum periculum mortis relabatur.

Superesset ut hic exponeremus cæremonias in administratione hujus Sacramenti observandas; verum ad morales Theologos remittimus [3].

[1] Vid. etiam S. Lig., loc. cit., n. 715. — [2] Sess. 14, cap. 3.
[3] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 724 et seqq.

TRACTATUS DE ORDINE.

Nota. Hunc tractatum sex absolvemus capitibus : *primum* est de essentia et existentia Ordinis; *secundum*, de variis speciebus ordinationum; *tertium*, de materia et forma singulorum Ordinum; *quartum*, de Ministro Ordinis; *quintum*, de subjecto Ordinis; *sextum*, de effectibus Ordinis.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA ORDINIS.

Nota 1. Ordo sumitur quadrupliciter.

1° *Latissime*, pro statu religioso; sic dicitur *Ordo Cisterciensis*.

2° *Late*, pro aliquo gradu ecclesiastico conferente solum aliquam jurisdictionem in foro exteriori; sic Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, dici possunt Ordines.

3° *Stricte*, pro hierarchia ecclesiastica, et definitur : *Certus hominum status, in quo varii sunt distincti ac subordinati Ordinationum gradus, alii aliis superiores, destinati ad celebrandum sacramentum Eucharistiæ, aut ad inserviendum ex officio ipsius celebrationi.* Sic sumptus est aliquis status permanens.

4° *Strictissime*, pro actione sacra, qua homines in illo statu constituuntur; sic sumptus est aliqua actio transiens,

meliusque vocatur Ordinatio quam Ordo, et definitur : *Sacramentum a Christo institutum, quo gratia, spiritualisque potestas traditur Clerico ad Eucharistiam consecrandam, ad consecranti inserviendum, cæteraque munia ecclesiastica rite obeunda.*

Dicitur 1° *Sacramentum ;* pro genere.

Dicitur 2° *A Christo institutum ;* prout definivit Conc. Trident[1] : *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum... anathema sit.*

Dicitur 3° *Clerico,* quia Ordo præsupponit Clericatum.

Dicitur 4° *Confertur gratia spiritualisque potestas ;* ut designetur differentia hujus Sacramenti ab aliis.

Dicitur 5° *Ad Eucharistiam consecrandam ;* quibus verbis officium et finis Presbyteratus exprimitur.

Dicitur 6° *Ad inserviandum consecranti ;* quibus verbis officium et finis inferiorum Ordinum traditur.

Dicitur 7° *Cæteraque munia rite obeunda ;* quibus verbis alia Ordinum munia, quæ directe ad Eucharistiam non ordinantur, designantur ; v. gr., peccatorum absolutio, aliorumque Sacramentorum administratio.

Nota 2. Hæretici, Lutherani et Calvinistæ non negant extare in Ecclesia aliquam Ordinationem, qua nonnulli ad ministeria ecclesiastica deputantur ; sed negant hanc verum esse Sacramentum sed nudum ministerium, contenduntque omnem potestatem ecclesiasticam societate fidelium, seu omni populo in communi, a Deo fuisse concessam, quam Pastores nonnisi ex consensu populi, et tanquam ejus delegati, exercere possunt, non permanenter, sed movibiliter : *Les Evêques prirent d'Edouard VI (successeur de Henri VIII) des nouvelles commissions révòcables à la volonté du Roi... d'où elle leur était communiquée,* ait illustrissimus Bossuetus[2].

Ex his patet idem esse probare Ordinem esse Sacramen-

[1] Sess. 23, can. 3. — [2] *Hist. variat.*, lib. 7, pag. 367, et lib. 8.

tum, et Ordinem existere, sive sumatur pro Hierarchia ecclesiastica, sive pro sacra Ordinatione. Itaque

CONCLUSIO.

Ordo seu Ordinatio est verum Sacerdotium non omnibus commune, nec nudum ministerium, sed verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Est de fide.

Probatur per partes.

* PROB. PRIMA PARS : Christus in Ecclesia sua verum ac proprie dictum instituit Sacrificium, ergo et Sacerdotium [1].

Patet antecedens ex iis omnibus quæ suo loco diximus ad probandum Eucharistiam verum ac proprie dictum esse Sacrificium.

Prob. conseq. Tam intima ac necessaria est connexio ac relatio inter Sacerdotium et Sacrificium, ut alterutrum sine altero nunquam extiterit. Unde S. Paulus ait [2] : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro omnibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Hinc in veteri Testamento fuerunt sacerdotes, quia fuerunt Sacrificia et altare ; sic erant in lege naturæ sacerdotes, familiarum nempe principes et natu majores, qui Sacrificia facerent ; sic nec desunt sacerdotes apud Gentiles specialiter deputati qui diis suis sacrificent, tanta naturæ vox est ?

PROB. SECUNDA PARS : 1° Hi soli sunt sacerdotes ad quos ea Christi verba pertinent : *Hoc facite in meam commemorationem ;* atqui hæc ad solos præsentes, nempe Apostolos, pertinent quos Christus Eucharisticæ mensæ voluit esse participes [3] ; ergo ipsi soli et eorum successores sunt sacerdotes. 2° Illi soli sacerdotes sunt ordinati, ad quos Christus dixit : *Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis*

[1] Vid. Concil. Trid., sess. 23, cap. 1 et can. 1 ejusdem sess.

[2] Hebr. 5, 1. — [3] Matth. 26, Marc. 14, Luc. 22.

peccata, etc.; atqui Christus ad solos Apostolos hæc verba dixit. Ergo, etc. *

PROB. TERTIA PARS : Hoc unico syllogismo: ad verum novæ Legis Sacramentum quatuor requiruntur et sufficiunt, etiam secundum Novatores, nempe : 1° ut sit signum externum et sensibile; 2° ut habeat vim producendi gratiam; 3° ut sit a Christo præceptum; 4° ut sit constans ac perpetuum in Ecclesia; atqui quatuor illas conditiones habet Ordo. Ergo.

1° Est signum externum et sensibile; ut constat ex c. 13 *Actuum*, ubi de Ordinatione Pauli et Barnabæ dicitur : *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*. Adest impositio manuum et oratio ipsi correspondens.

2° Habet vim producendi gratiam, juxta Apost. [1]: *Admoneo te ut ressuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.*

3° Ordo est a Deo præceptus, seu institutus ; jussit enim Spiritus Sanctus [2] *segrerari Paulum et Barnabam ad opus ad quod assumpserat eos, tunc jejunantes*, etc. Et c. 20, idem Spiritus Sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

4° Est perpetuus et constans in Ecclesia, est enim perenniter institutus ad confectionem Eucharistiæ et oblationem sacrificii usque ad consummationem sæculi perseveraturi, juxta illud Christi : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Conc. Trid. [3] confirmat hanc veritatem *ex Apost. tradit. ac Patrum unanimi consensu*, dicentium cum D. Aug. [4] *Ipsi explicent* (Donatistæ) *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti? ... si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et istud amittitur? neutro Sacramento*

[1] 2 *ad Tim.*, c. 1, v. 6. — [2] Act. 7, v. 2.

[3] Sess. 23, can. 3. — [4] Lib. 2 *contra Parmen.*, c. 13.

injuria facienda est. Ergo ex D. Aug. , nemo unquam dubitavit Ordinem esse eodem modo Sacramentum, quo ipse Baptismus, quem admittunt Novatores.

Hinc idem Trid. definit [1] : *Si quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.... anathema sit.*

OBJICIES 1. Christus ordinavit Apostolos absque manuum impositione; ergo Ordinatio non est signum sensibile.

RESP. *Transeat ant*. Neque enim omnia quæ fecit Christus, scripta sunt. *Nego conseq*. Ex eo enim quod Christus sine impositione manuum contulisset Ordines, non inde concludere licet, materiam et formam ab Ecclesia adhiberi non debere; Christi enim potestas excellentiæ non erat signis externis alligata, quemadmodum alligata est potestas Ecclesiæ,

OBJICIES 2. Tertullian. ait [2] : *Differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas*. Ergo non institutio divina.

RESP. *Dist. textum*. Differentiam constituit auctoritas per electionem, *conc.;* per collationem potestatis, *nego ant.* Itaque sic loquitur Tertull., quia illi qui erant in Ministros consecrandi, eligebantur a Clero et populo, verum per solam consecrationem, recipiebant potestatem Ordinis; sese explicat Tertull., addens immediate : *Et honor per ordinis concessum sanctificatus a Deo.*

QUÆRES : *Quo tempore Christus instituerit Sacramentum ordinis?*

RESP. *In die Cœnæ,* cum Apostolis suo corpore et sanguine refectis dedit præceptum consecrandi his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ita docet Trid [3].

[1] Sess. 23, can. 3. — [2] L. *de Exhort. Virg.*, c. 7. — [3] Sess. 22, c. 1.

CAPUT II.

DE VARIIS SPECIEBUS ORDINATIONUM.

Nota. Ordines dividuntur in sacros seu majores, et non sacros seu minores.

Ordo sacer est *ille qui versatur propinque circa Eucharistiam, habetque annexam legem continentiæ et horarum.*

Ordo non sacer est *ille qui versatur remote circa Eucharistiam, nec habet annexam legem continentiæ et horarum.*

QUÆRES : *Quot sint in Ecclesia Ordines?*

* RESP. 1. Præter Sacerdotium in Ecclesia catholica alios esse Ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur; est de fide, a Trid. definitum [1]. *

RESP. 2. Sunt septem, scilicet: *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus* et *Ostiariatus;* quorum tres primi dicuntur *majores* et *sacri,* quatuor posteriores dicuntur *minores* et *non sacri.* Ita declarat Conc. Trid.[2]. Utrum autem sint duntaxat numero septem, an plures vel pauciores, non definit; sicut nec definit omnes Ordinationes esse proprie dicta Sacramenta, unde exortæ sunt inter Doctores controversiæ sequentes. 1° Utrum prima Tonsura sit Ordo. 2° Utrum Episcopatus sit Ordo et Sacramentum distinctum a Presbyteratu. 3° Utrum omnes Ordinationes sint Sacramenta, quas brevi manu variis conclusionibus dirimemus. Ideo sit

*1 Trid., sess. 23, can. 2: Non excedat a memoria canonem esse dogmaticum, etiamsi ejusdem directum objectum sit de re ab Ecclesia instituta, quia agitur de facto cum jure conjunctum, ac proinde de potestate a Christo Ecclesiæ collata. *

2 Sess. 23, cap. 2.

CONCLUSIO I.

Prima Tonsura non est Ordo.

Prob. Ordo annexum habet aliquod officium circa ministerium altaris, estque a Christo institutum ; atqui prima Tonsura nullum habet officium annexum circa ministerium altaris, nec est a Christo instituta : ergo, etc.

Unde prima Tonsura nihil aliud est quam ritus ab Ecclesia institutus, quo quis a statu Laicorum distinguitur, ut ad Ordines suscipiendos melius disponatur.

Dices : Prima Tonsura ab Innocentio III [1] vocatur *Ordo Clericalis*. Ergo Tonsura est Ordo.

Resp. *Dist. ant.* Vocatur Ordo, late sumptus pro statu scilicet clericali, quatenus quis per Tonsuram distinguitur a laico et gaudet privilegio Canonis et Fori, *conc.;* Ordo stricte sumptus pro gradu ecclesiastico conferente potestatem ad aliquod officium spirituale, *nego*. Est ergo mera ad cultum divinum deputatio.

CONCLUSIO II.

Episcopatus est Ordo distinctus a Presbyteratu.

Prob. Ritus qui imprimit characterem distinctum a charactere Presbyteratus, est Ordo distinctus a Presbyteratu; atqui, etc.

Prob. ant. Ritus qui confert veram et specialem potestatem ad aliquas functiones hierarchicas exercendas, quæ a simplici Sacerdote exerceri non possunt, imprimit characterem distinctum a charactere Presbyteratus ; atqui Episcopatus veram et specialem potestatem indelebilem confert ad ordinandos Ministros Ecclesiæ, et conferendum sacramentum Confirmationis, quæ non possunt conferri a simplici Sacerdote. Ergo, etc.

[1] Cap. *Cum contingat*, de ætate præficiendorum.

CONCLUSIO III.

Episcopatus est proprie dictum Sacramentum, et a Presbyteratu realiter distinctum (est nunc communis et omnino tenenda contra multos maxime veteres scholasticos).

PROB. 1. In Ordinatione episcopali nihil deest eorum quæ requiruntur ad verum et proprie dictum Sacramentum; ergo, etc. Nam in Ordinatione episcopali reperitur :

1° Cæremonia exterior gratiæ collativa, ut constat ex 2 ad Tim 1 : *Admoneo te ut ressuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum;* quem Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus et passim alii Patres, interpretantur de manuum impositione quam Paulus, cum Timotheum ordinavit Episcopum, adhibuit.

2° Est a Deo instituta, juxta illud Actor. 20 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

3° Est permanens in Ecclesia; Episcopi enim succedunt Apostolis, qui semper habuerunt in suis sedibus successores; ergo.

PROB. 2. De fide est Episcopum esse jure et institutione divina superiorem Presbytero, potestate tum Ordinis, tum jurisdictionis. Atqui si eadem esset Ordinatio Episcopi et Presbyteri, idemque Sacramentum, non videretur Episcopum, vi suæ Ordinationis, ac proinde jure ac intentione divina, esse Presbyteris superiorem; ergo distincta est Ordinatio distinctumque Sacramentum.

PROB. 3. Ex S. Leone, qui Epistola 12 *ad Anastasium Thessalonic.* c. 12, de continentiæ lege Subdiaconis imposita loquens ait: *Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo vel tertio servandum est, ne aut levitico, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus*

æstimetur, qui se a voluntate uxoria necdum frænasse dignoscitur. Ergo Episcopatus est Ordo distinctus.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Episcopatus est tantum extensio characteris Presbyteratus ad altiora munia; ergo non est Ordo a Presbyteratu distinctus.

RESP. *Nego ant.* Nam, ad extendendum characterem, par requiritur efficacia quæ requiritur ad imprimendum novum; ergo nulla est ratio cur Ordinatio Episcopalis extendat solummodo characterem Presbyteratus, et non potius novum imprimat.

INST. 1. Conc. Trid. et vulgo Theologi septem tantum Ordines enumerant; at si Episcopatus esset Ordo a Presbyteratu distinctus, essent plures quam septem Ordines: ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Essent plures in specie infima, *conc.*; in specie subalterna, *nego*. Itaque Ordo generatim sumptus, immediate dividitur in septem species, quarum prima, nempe Sacerdotium, subdividitur in Presbyteratum et Episcopatum, qui in Sacerdotio continetur tanquam species notabilior in suo genere. Nam *quemadmodum* (Patres Tridentini), *enumerando septem tantum Sacramenta novæ Legis,* inquit Isambertus [1], *ita enumerunt Ordinem pro uno Sacramento, quatenus sumunt illud generice, ut tamen rationem Sacramenti non denegent membris sub isto genere contentis : pari etiam jure, quando in enumeratione Ordinum recensent tantum Sacerdotium, recensent illud quatenus generice sumitur, et prout dividitur in duas species, quarum una est simplex Presbyteratus, et altera Episcopatus.*

INST. 2. Si Episcopatus esset Sacramentum, imprimeret characterem; sed falsum conseq. Ergo, etc.

Prob. min. Si imprimeret characterem, ille character præstantior charactere sacerdotali esse deberet; atqui nul-

[1] *De Sacr. Ordinis*, disp. 1, a. 1.

lus est character præstantior eo qui potestatem confert conficiendi Corpus Christi. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Esset character sacerdotali præstantior extensive, *conc.*; entitative et intensive, *nego*. Ratio est, quia ad plura objecta se extendit, ad quæ nihil omnino potest character sacerdotalis.

Objicies 2. Ordinum distinctio et varietas repetitur ex habitudine quam habent ad consecrationem Eucharistiæ; sed Episcopatus hac in parte nihil addit supra Presbyteratum.

Resp. *Dist. min.* Episcopatus nihil addit supra Presbyteratum directe et immediate quantum ad potestatem consecrandi Eucharistiam, *conc.*; indirecte et mediate, *nego min.*; dat enim potestatem ordinandi Sacerdotes qui eam consecrent; et ideo verus est ordo, verumque sacramentum distinctum.

Inst. 1. Si Episcopatus est ordo et sacramentum distinctum a Presbyteratu, posset, qui non esset Presbyter, valide ordinari Episcopus; falsum consequens, ergo et antecedens.

Resp. *Nego maj.* Ratio est, quia character Episcopalis ex institutione divina præsupponit essentialiter ordinationem Presbyteri; hinc nemo potest valide consecrari Episcopus quin sit ordinatus Presbyter.

Inst. 2. Potest qui non est Diaconus, valide in Presbyterum ordinari; ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia functiones sacerdotales non pendent a charactere Diaconatus, cum illum eminenter contineat Presbyteratus; e contra functiones Episcopales pendent a charactere sacerdotali tanquam a præsupposito necessario essentiali.

CONCLUSIO IV.

Episcopi sunt Presbyteris superiores jure divino.

Prima propositionis pars est de fide; posterior vero certa

ac rata est apud Catholicos contra Lutheranos, ex iisdemque fontibus probatur.

PROB. 1. *Ex Trad.*, cujus testem affero S. Epiphanium, qui, lib. *de Hæresibus*[1] in *Aerio* sic loquitur: *Est illius dogma supra hominis captum furiosum et immane: quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Ordo, par et idem honor et dignitas.* Ergo parem Episcopo Presbyterum asserere, est hæreticum.

PROB. 2. Episcopi jure divino soli sunt ministri tum Ordinis, tum Confirmationis; soli habent Sacerdotii plenitudinem; ergo, etc. Deinde Episcopi, jure divino, pollent auctoritate jurisdictionis in Presbyteros; ergo sunt Presbyteris superiores.

Hinc Conc. Trid.[2] definit: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem ordinandi et confirmandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ... anathema sit.*

OBJECTIONES.

OBJICIES celebrem ac difficilem D. Hieronym. textum in c. 1 *Epist. ad Tit.*, in quo textu D. Doctor docet:

1° *Apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos et Episcopos.*

2° Ad tollendum schisma, *factum esse ut unus de Presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret.*

3° Episcopos *nosse debere se magis consuetudine* (Ecclesiæ) *quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, et in commune debere regere Ecclesiam, imitantes Moysem, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Ergo Episcopi, jure divino, non sunt Presbyteris superiores.

1 Hæresi 57. — 2 Sess. 23, can. 7.

Resp. *Nego conseq.* Nam ibidem comparat D. Hieronym. Episcopos Moysi, Presbyteros vero septuaginta senioribus ab ipso Moyse electis; ergo quemadmodum ordinatione divina Moyses erat superior illis senioribus quos vocavit in partem sollicitudinis, ita necesse es D. Hieronym. existimasse Episcopos ordinatione divina superiores esse Presbyteris, cum quibus res Ecclesiæ regebant, divisa cum ipsis extrema jurisdictione quoad usum et exercitium, donec exortis dissensionibus et schismatibus, ad tollenda eorum semina, Episcopi ad se solos revocaverunt usum jurisdictionis, cujus antea participes fecerant Presbyteros; inde facilis est responsio ad singula.

Ad primum, *dist. ant.* Idem est presbyter qui et Episcopus, ratione usus et exercitii externæ jurisdictionis, *conc.;* ratione characteris, ordinis, et jurisdictionis radicalis, *nego ant.* Patet ex dictis: idque satis erat D. Hieronym. ad temeritatem eorum refellendam, qui Diaconos Presbyteris anteferebant.

Ad secundum, *dist. ant.* Ad tollendum schisma, factum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, quoad regiminis formam, *conc.;* quoad ordinem et jurisdictionem radicalem, *nego*. Initio enim Ecclesiæ, exercitium jurisdictionis communicabatur Presbyteris ad regimen Ecclesiæ, sed occasione schismatum hæc regiminis forma fuit revocata, et omnis auctoritatis exercitium ad Episcopum fuit restrictum.

Ad tertium. Episcopi, magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris sunt superiores, quoad usum jurisdictionis externæ, *conc.;* quoad ipsam radicalem jurisdictionem, *nego*. Nam hoc habent Episcopi ex institutione divina.

Itaque Christus libertati Episcoporum, tanquam rem disciplinæ, permisit ut vocarent Presbyteros in partem sollicitudinis pastoralis, ipsisque permitterent usum et exercitium jurisdictionis, cujus ipsi soli habebant potestatem,

et ab Ecclesiæ consuetudine magis quam a divina dispositione, factum est, ut Episcopi omne exercitium potestatis et jurisdictionis ad se revocarent, sibique solis reservarent[1].

CONCLUSIO V.

De Fide est Presbyteratum esse proprie dictum Sacramentum.

Prob. De fide est a Trid.[2] definitum, sacram Ordinationem esse proprie dictum Sacramentum; ergo consequens est ex eadem fide Presbyteratum, qui inter Ordines est præcipuus et finis ad quem Ordines inferiores referuntur, esse Sacramentum; enim vero nihil ipsi deest ad rationem Sacramenti necessarium.

CONCLUSIO VI.

Certum est Diaconatum esse Sacramentum proprie dictum.

Prob. Quælibet cæremonia sacra a Christo instituta, qua confertur gratia sanctificans, est proprie dictum Sacramentum; atqui Diaconatus: 1° est cæremonia sacra[3]: *Orantes imposuerunt eis manus;* 2° est a Christo institutus, ut constat tum ex facto Apostolorum, qui Diaconos non ordinassent nisi a Christo edocti et jussi fuissent; tum ex

[1] Apostolus *ad Titum.* 1, 3; *ad Philip.* 1, 1; *ad Tim.*, in 1, cap. 3; item, *Act.* 20, 17, legitur mentionem fecisse de solis Episcopis et Diaconis, silens vero de Presbyteris, sive cum agitur de salutationibus, sive de qualitatibus et virtutibus quas habere debent, tum ut probe vita eorum componetur; quam ob causam, inquiunt, nisi quia Episcopi et Presbyteri in nulla re differebant? ergo.— Hæc magna difficultas intricatior evasit ob diversas et oppositas interpretationes, ut videre est apud commentatores. Doctissimus Petavius existimat tunc temporis, expostulante magna conversionum segete, omnes aut fere omnes in una civitate sacerdotes fuisse ordinatos, ut Episcopi pariter ac Presbyteri gradum obtinerent, Apostolis tanquam majoris gradus pontificibus obsequentes (Vid. etiam R. P. Perronne, *de Ord.*, cap. 3).

[2] Sess. 23, can. 5. — [3] Act. 6.

Trid.[1]: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit.* Per Ministros haud dubie intelligit saltem Diaconos. 3° Per Diaconatum confertur gratia sanctificans, ex Trid. definiente[2]: *Per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, nec frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum*; atqui in ordinatione Diaconi dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum*. Ergo, etc.

DICES: Diaconatus fuit institutus ab Apostolis[3]; ergo non a Christo.

RESP. *Nego ant.* Equidem supposita fidei institutione, Apostoli primos Diaconos ordinaverunt; aliud est ordinare, aliud instituere.

INST. Ille ordo non est sacramentum, cujus ministerium est mere profanum; atqui ministerium Diaconorum est mere profanum, nempe *ministrare mensis.*

RESP. *Dist. min.* Ministerium *secundarium* Diaconorum est mere profanum, *conc.*; ministerium primarium, *nego.*

Itaque duplex fuit ministerium Diaconorum: *Primarium,* quod erat prædicare, baptizare, mensis sacris ministrare, Eucharistiam præbendo fidelibus; unde Ignatius martyr ait[4]: *Diaconos mysteriorum Jesu Christi ministros omni modo omnibus placere oportet; non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri.*

Secundarium fuit mere profanum, scilicet ministrare mensis communibus, quod secundarium ministerium ipsis exprobrat D. Hieronym.[5], ut aliquorum superbiam frangat Diaconorum, qui se supra Presbyteros extollebant.

[1] Sess. 23, can. 6. — [2] Sess. 22, can. 4. — [3] Act. 6. — [4] Epist. 2 *ad Trallianos* n. 2. — [5] Epist. *ad Evang.*

CONCLUSIO VII.

Probabilius est tantum Sacerdotium et Diaconatum esse Sacramentum, non vero alios Ordines.

Nota. Prima pars constat ex duabus præcedentibus conclusionibus.

Circa secundam partem tres sunt sententiæ. *Prima sententia* probabilis docet singulos septem Ordines esse Sacramenta. Hanc tenet de Charmes, et plures alii, post S. Th.[1]. *Secunda sententia,* pariter probabilis, dicit esse Sacramenta tantum tres Ordines majores. *Tertia* vero probabilior, quæ nostra est, sic probatur : Illi Ordines non sunt Sacramenta: 1° quibus deest materia et forma sacramenti Ordinis; 2° quibus deest divina institutio; atqui sic res se habet de aliis Ordinibus præterquam de Sacerdotio et Diaconatu.

Probatur per partes.

Prob. prima pars : Nempe pro illis Ordinibus deest materia et forma sacramenti Ordinis. Deest quidem materia, scilicet impositio manuum, quæ est sola materia hujus Sacramenti, juxta probabiliorem sententiam, ut probabimus capite sequenti; deest etiam forma Sacramenti; etenim forma Sacramenti sunt verba aut alia signa æquivalentia quæ exprimunt collationem gratiæ; atqui in horum Ordinum collationem nulla adest forma quæ exprimat productionem gratiæ, sed tantum fit mentio potestatis quæ traditur. Ergo, etc.

Prob. secunda pars : Quod scilicet his Ordinibus divina desit institutio.

Etenim constat ex monumentis[2]: 1° crescente fidelium multitudine, Ecclesiam pro opportunitate præfatos Ordines instituisse; 2° illos pro arbitrio plures aut pauciores nu-

[1] 3 p., q. 37, art. 2, ad 1 et art. 3.

[2] Apud Morinum, *Commentar. de Sacris Ordin.*, exercit., 11, c. 1, § 4 et seqq.

mero fuisse in Ecclesia, licet in Ecclesia Romana constans ac perpetuus fuerit septenarius Ordinum numerus; 3° in illorum collatione respectivam et hierarchicam subordinationem unius ad alterum non fuisse servatam, ita ut, v. g., Lectores creati fuerint quin prius fuerint Ostiarii; Acolythi, quin unquam fuerint Ostiarii, Lectores, Exorcistæ; Diaconi, quin prius fuerint Subdiaconi; præfatis Ordinibus divina non inest institutio, præterea ipsis deest materia et forma Sacramenti: ergo non sunt Sacramenta. Ita Perronne, S. Lig., etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In singulis ex septem Ordinibus imprimitur character ex eo quod nullus iterari possit; atqui solius est Sacramenti imprimere characterem per collationem spiritualis potestatis indelebilis. Ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Nam nec consecrationes Ecclesiæ iterantur, non ideo tamen characterem imprimunt, nec sunt Sacramenta.

OBJICIES 2. Illa opinio quæ conformior est menti et doctrinæ Conciliorum, est haud dubie probabilior; atqui opinio quæ docet Subdiaconatum et quatuor Minores esse Sacramenta, est conformior menti et doctrinæ Conciliorum, ergo, etc.

RESP. *Nego min.*

Prob. min. Ex Conc. Flor., in decreto dicente : *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo . . . . Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem ; et similiter de aliis* (Ordinibus) *per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem;* ergo, cum assignando materiam illius Sacramenti, assignet materiam Subdiaconatus et Minorum, consequens est illos ordines esse sacramenta.

RESP. *Nego conseq.* Etenim Eugenius IV, in præfato decreto, solum intendit hujus sacramenti materiam et formam integralem ritusque omnes Ordinum tradere Armenis, q

optabant aggregari Ecclesiæ Latinæ, non vero quæstionem attingere utrum omnes Ordines sint Sacramenta necne.

Objicies 3. Ex Trid., sess. 23, in cujus cap. 2, cum omnes Ordines enumeravit, can. 3, definit *Ordinem, seu Ordinationem esse Sacramentum* vere ac proprie a Christo Domino institutum. Atqui propositio indefinita in materia doctrinali æquipollet propositioni universali, et quidquid convenit generi, convenit etiam omnibus suis speciebus; ergo videtur esse doctrina Tridentini, omnes et singulos Ordines, etiam Minores, esse Sacramenta, et non tantum sacramentalia.

Resp. *Dist. min.* In materia doctrinali, propositio indefinita æquipollet propositioni universali, si non determinetur per propositionem contrariam, quæ anathemate profligatur, vel *trans.*, vel *conc.;* secus, *nego;* nam intendit tunc Ecclesia totum solum errorem profligare; atqui canon præcitatus configit hæreticos qui dicebant sacram Ordinationem (in concreto) non esse Sacramentum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum : ergo latius non patet propositio dogmatica Trid. Ergo.

CAPUT III.

DE MATERIA ET FORMA SINGULORUM ORDINUM[1].

Nota. Cum in Ordinationibus variæ sint cæremoniæ externæ, variæque prolationes verborum illis respondentes, multum desudant Scholastici nostri in assignandis illis signis exterioribus, et verbis quæ rationem materiæ et formæ habeant; qui nodus ut enucleatius dissolvatur, hoc caput in quatuor paragraphos distribuemus: in tribus primis

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 739 et seqq.

agemus de materia et forma Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus; in quarto agemus de materia et forma Subdiaconatus et Minorum.

§ I.

De materia et forma Episcopatus.

Nota. Ex Pontificali Romano, in Ordinatione Episcopi quatuor cæremoniæ et ritus occurrunt.

1° Episcopus consecrator et alii duo assistentes Episcopi (quibus deficientibus, duo Presbyteri, ex S. Sedis licentia, sufficere possunt), ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes : *Accipe Spiritum Sanctum.* Quo facto consecrator, deposita mitra, orat pro consecrando, dicens : *Propitiare, Domine,* etc.

2° Consecrator caput consecrati ungit et manus sancto Chrismate, dicens : *Ungatur et consecretur caput tuum,* etc.; *Ungantur manus istæ,* etc.

3° Consecrator baculum pastoralem et annulum benedictos tradit consecrato, dicens, ad baculi traditionem : *Accipe baculum pastoralis officii,* etc.; ad annuli traditionem : *Accipe annulum,* etc.

4° Consecrator imponit librum Evangeliorum super cervicem consecrati, cui exinde ut eum tangat, tradit dicens : *Accipe Evangelium et vade, prædica populo tibi commisso,* etc.

QUÆRES : *Quid in eo ritu habeat rationem materiæ, et quid rationem formæ?*

RESP. Essentialis materia Episcopatus est sola manuum impositio a tribus Episcopis facta; forma vero sunt hæc verba impositioni manuum correspondentia : *Accipe Spiritum Sanctum.* Cætera autem ad solam integritatem Ordinationis pertinere videntur.

PROB. PRIMA PARS : *Nempe materiam et formam essentiales Episcopatus esse manuum impositionem et verba ipsi correspondentia ;* quia ea est materia et forma essentialis Epis-

copatus, quam Apostoli illum conferendo usurparunt, quamque utraque Ecclesia semper adhibuit; atqui Apostoli, conferendo Episcopatum, adhibuerunt manuum impositionem, juxta illud 1 ad Tim. 4: *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii;* et utraque Ecclesia semper adhibuit, ut constat ex Pontificalibus Latinorum, et Euchologiis Græcorum: unde Concilium Antiochenum, anno 341 celebratum, can. 17, ait: *Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, et præesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit ... hunc oportet communione privari.*

Prob. secunda pars: Quia, ut observat Morinus de sacris Ordinationibus[1], Scholastici pene omnes qui de materia et forma Episcopatus disputant, illius formam in his verbis constituunt: *Accipe Spiritum Sanctum. Neque,* inquit, *aliud sentire potuerunt, cum apud eos ratum sit ac fixum Ordinum formas* necessario esse imperativas. Ergo materia Episcopatus est ritus qui correspondet illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum;* atqui talis ritus est manuum impositio facta ab Episcopo consecratore et assistentibus Episcopis: ergo, etc. Ex quo sequitur cæteros omnes ritus pertinere duntaxat ad integritatem hujus ordinationis, nempe ad majorem expressionem effectus Ordinationis Episcopalis.

Dices: Impositio manuum est signum valde confusum potestatis traditæ in Ordinatione Episcopali, nec ad eam significandam sufficienter determinatur per hæc verba: *Accipe Spiritum Sanctum;* ergo non sunt sufficiens et adæquata materia et forma Ordinationis Episcopalis.

Resp. *Nego ant.* Nam impositio manuum et verba sufficienter determinantur ex circumstantiis in quibus proferuntur ad significandam gratiam et characterem Episcopalem quem conferunt.

[1] Exerc. 2, cap. 2, n. 1.

§. II.

De materia et forma Presbyteratus.

Nota 1. In Ecclesia Latina, quinque præcipuæ observantur cæremoniæ in Ordinatione Sacerdotis.

1° Episcopus, nihil dicens, ambas manus super caput uniuscujusque ordinandi successive imponit; idemque faciunt Sacerdotes qui adsunt Ordinationi, quo facto tam Episcopus quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos, Episcopo dicente : *Oremus, fratres charissimi*, etc. Unde jam est duplex impositio manus.

2° Ambas manus inungit oleo catechumenorum dicens : *Consecrare et sanctificare digneris, Domine*, etc.

3° Calicem cum vino et patenam superpositam cum hostia porrigit cuilibet ordinando, singulis dicens : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini*. Amen.

4° Celebratur Missa ab Episcopo, in qua ordinatus simul cum Episcopo formam consecrationis pronuntiat.

5° Post Communionem iterum Episcopus solus ambas manus super capita singulorum imponit, dicens : *Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Nota 2. In Ecclesia Græca tres observantur præcipui ritus.

1° Episcopus caput ordinandi ter signat signo Crucis.

2° Dexteram manum tenens impositam supra caput ordinandi, dicit : *Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet N., venerabilem Diaconum, in Presbyterum ; oremus pro eo, ut veniat super ipsum gratia Sanctissimi Spiritus.*

3° Iterum ter signans ordinatum Pontifex, manu imposita super caput ejus, varias super eum preces recitat.

Nota 3. Circa hanc controversiam sunt tres opiniones.

Prima sententia dicit materiam esse solam traditionem instrumentorum et formam quæ ab Episcopo tunc proferuntur, dicendo : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, etc.

Secunda sententia [1] docet in Ordinatione Presbyteratus duplicem esse materiam essentialem, traditionem scilicet instrumentorum, qua traditur potestas super Corpus Christi reale, nempe sacrificandi cum forma : *Accipe potestatem*, etc., ut supra ; et ultimam impositionem manuum, qua traditur potestas super Corpus Christi mysticum, id est, absolvendi peccata, cum forma : *Accipe Spiritum Sanctum : quorum*, etc.

Tertia sententia dicit tradi utramque potestatem Sacerdoti sacrificandi et absolvendi per solam secundam manuum impositionem, cum qua sit

CONCLUSIO.

Probabilius est secundam manuum impositionem cum forma verborum ipsi correspondentium, constituere totam essentiam Ordinationis Presbyteratus.

Nota. Dicitur secunda, non prima, ut certum est apud omnes, nec per tertiam ; nam tertia jam supponit Sacerdotes consecratos.

Prob. 1. *Ex Trid.* [2], quod dicit : *Ministri Extremæ-Unctionis sunt, aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii,* hoc est quæ fit ab Episcopo cum Presbyteris assistentibus ; ergo, si Sacerdotes rite ordinantur per hanc manuum impositionem, in illa certe traditur utraque potestas Sacerdoti sacrificandi et absolvendi. Ergo.

[1] Quam amplexus est R. P. de Charmes. — [2] Sess. 14, cap. 3.

2° Idem Trid. [1] dicit quod sacræ Litteræ gravissimis verbis docent ea quæ *maxime* in Diaconorum et Sacerdotum *ordinatione attendenda sunt;* atqui constat sacras Scripturas tantum de impositione manuum verba facere; ergo, præter manuum impositionem in Ordinatione, nihil aliud est essentialiter necessarium.

3° Ea materia non est essentialis, cujus neque Scriptura meminit, nec usus in Ecclesia Latina deprehenditur per decem priora sæcula, et qua etiamnunc caret Ecclesia Græca; atqui, etc.

Prob. min. Patet *prima* pars ex modo dictis. *Secunda* pars est *factum* ex quo sic concludit S. Liguorius : Ergo si valida est ordinatio Græcorum per solam manuum impositionem, ita etiam valida habenda est ordinatio Latinorum, cum totus valor Sacramentorum pendeat ab ipsorum materia et forma institutis a Christo Domino, qui, ut patet ex Scriptura, pro materia Ordinationis impositionem manuum instituit. — *Tertia* pars constat ex monumentis historicis; advertit enim Benedict. XIV [2], ex doctissimo *Martène*, instrumentorum traditionem non prius inventam fuisse quam a sæculo VII° vel IX°; unde si prius Sacerdotes per solam manuum impositionem valide ordinabantur, cur non hodie? Numquid Ecclesia mutare potest institutionem Christi? Ergo, etc.

OBJICIES.

OBJICIES 1. Christus instituit materias et formas Sacramentorum in genere, reliquit vero Ecclesiæ potestatem eas determinandi in specie, ac justis de causis mutandi; ergo, licet Ecclesia Græca non habeat instrumentorum traditionem, aut illa in Ecclesia Latina per multa sæcula non viguerit, aut Sacræ Litteræ nullum de illa verbum faciant, non sequitur quod Ecclesia mutaverit institutionem Christi,

[1] Sess. 23, cap. 2. — [2] *De Synodo*, lib. 8, cap. 10, n. 5.

cum instrumentorum traditionem pro materia hujus Sacramenti designavit.

Resp. *Nego ant.* Probavimus in tractatu *de Sacramentis in genere*[1] sententiam adversariorum minus esse probabilem, et Christum in specie determinasse materias et formas (quoad substantiam) omnium Sacramentorum. *Non enim habetur*, inquit Benedictus XIV[2], *unde sufficienter probetur quod Christus hanc potestatem ab adversariis suppositam tradiderit Ecclesiæ.*

Objicies 2. Eugenius IV, in decreto pro Armenis, assignavit pro materia Presbyteratus porrectionem instrumentorum cum forma : *Accipe potestatem*, etc.; ergo, etc.

Resp. cum eodem Papa, Bened. XIV tantum ibi locutum fuisse de materia et forma integrali quam intendit tradere Armenis, qui optabant aggregari Ecclesiæ Latinæ, et ideo nec manuum impositionis meminit, eo quod Armeni circa illam nulla instructione indigebant, cum eam jam usurparent. Unde Eugenius non mutavit materiam et formam hujus Sacramenti, sed docet Armenos debere porrectionem instrumentorum addere, tanquam partem integralem.

Cæterum, inquit S. Liguorius, *quamvis nostra sententia ex intrinsecis fundamentis et speculative loquendo sit probabilior, cum tamen secunda sententia sit etiam probabilis, hæc in praxi omnino sequenda est.* Quare, pro casuum resolutione, vide S. Lig.[3].

§ III.

De materia et forma Diaconatus.

Nota 1. In Ecclesia Græca iisdem cæremoniis ordinatur Diaconus ac Presbyter, dempto quod in forma loco istorum verborum : *Promovet N. Diaconum in Presbyterum*, dicitur : *Promovet N. Subdiaconum in Diaconum.*

[1] Cap. 3, art. 1, concl. 1. — [2] Loco cit., n. 10. — [3] Lib. 6, n. 750 et seqq.

Nota 2. In Ecclesia Latina duæ sunt præcipue cæremoniæ in ordinatione Diaconi.

Prima est impositio dexteræ ab Episcopo facta super caput ordinandi cum hac forma : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus in nomine Domini.*

Secunda est traditio libri Evangeliorum cum hac forma : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis et defunctis,* etc.

CONCLUSIO.

Materia Diaconatus est tum impositio manus, tum traditio libri Evangeliorum ; forma vero sunt verba ipsi correspondentia.

PROB. PRIMA PARS : *Ex praxi* nunquam interrupta *utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ,* quæ semper impositionem manus adhibuit, sicut et Apostoli dum septem primos Diaconos ordinaverunt, *orantes* enim *imposuerunt eis manus* [1].

PROB. SECUNDA PARS : *Ex Concil. Flor.* dicente : *Diaconatus* (traditur) *per libri Evangeliorum dationem.*

§ IV.

De materia et forma Subdiaconatus et Minorum.

Nota. Cum non sit inter Doctores controversia circa materias et formas Subdiaconatus et Minorum, omnesque unanimiter pro materia assignent traditionem instrumentorum, et pro forma verba traditioni instrumentorum correspondentia, hic nobis sufficit ipsas per varias quæstiunculas recensere.

QUÆRES 1. *Quænam sit materia et forma Subdiaconatus?*

RESP. Duæ sunt in Ecclesia Latina partiales materiæ et formæ Subdiaconatus.

[1] *Act.* 6, v. 6.

1° Est traditio calicis vacui cum patena vacua, sub hac forma : *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

2° Est traditio libri Epistolarum, cum hac forma : *Recipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis.*

Onera autem Subdiaconi sunt recitatio divini officii, et votum castitatis Ordini suscepto annexum.

QUÆRES 2. *Quænam sit materia et forma Acolytatus?*

RESP. Duplex est materia et forma partialis Acolytatus.

1° Est traditio candelabri cum cereo extincto, sub hac forma : *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.*

2° Est traditio urceolorum vacuorum, cum hac forma : *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis, in nomine Domini.*

QUÆRES 3. *Quænam sit materia et forma Exorcistatus?*

RESP. Est liber exorcismorum, cum hac forma : *Accipe et commenda memoriæ, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Ergo officium Exorcistæ est adjurare dæmones : verum, et propter frequentes abusus qui in exorcismis aliquando irrepsere, nequidem Presbyteri, ex hodierna Ecclesiæ disciplina, adjurare debent dæmones, nisi prius obtenta Episcopi licentia.

QUÆRES 4. *Quænam sit materia et forma Lectoratus?*

Resp. Est liber lectionum, cum hac forma : *Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei ministrarunt ab initio.*

QUÆRES 5. *Quænam sit materia et forma Ostiariatus?*

Resp. Est traditio clavium Ecclesiæ, cum hac forma : *Sic age quasi Deo redditurus rationem pro his rebus quæ his clavibus recluduntur.*

QUÆRES 6. *Quænam sint diversorum Ordinum germanæ definitiones?*

RESP. 1. Episcopatus est *Ordinatio qua, per manuum impositionem a tribus Episcopis factam, sub præscripta verborum forma, traditur Presbytero potestas regendi Ecclesiam Dei.*

2. Presbyteratus est *Ordinatio qua, per traditionem calicis cum vino, et patenæ cum hostia et impositione manuum, sub præscripta verborum forma, traditur potestas Eucharistiam conficiendi et a peccatis absolvendi.*

3. Diaconatus est *Ordinatio quam, per traditionem libri Evangeliorum et impositionem manuum, sub præscripta verborum forma, confertur potestas Evangelium legendi et Sacerdoti immediate assistendi.*

4. Subdiaconatus est *Ordinatio qua, per traditionem calicis vacui cum patena vacua et traditionem libri Epistolarum, sub præscripta verborum forma, confertur potestas proxime inserviendi Diacono solemniter ministranti, et legendi Epistolas in Ecclesia.* Et sic de cæteris Ordinibus.

CAPUT IV.

DE MINISTRO ORDINIS.

Nota. Certum est de fide solum Episcopum esse ordinarium Ministrum sacramenti Ordinis; hoc enim aperte definierunt Conc. Flor., in decreto dicens : *Minister ordinarius hujus Sacramenti* (Ordinis) *est Episcopus.* Et Trid. [1], dicens : *Si quis dixerit Episcopos... non habere potestatem confirmandi et ordinandi : vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.*

Suadet ratio, nam ad solum principem Ecclesiæ pertinet ministeria Ecclesiæ conferre; sed solus Episcopus est prin-

[1] Sess. 23, can. 7.

ceps Ecclesiæ; ergo ad solum Episcopum pertinet Ordines conferre.

Verum duplex difficultas et controversia est inter Theologos : 1° utrum simplex Sacerdos, ex delegatione Summi Pontificis, possit esse minister extraordinarius hujus Sacramenti; 2° utrum ad consecrationem Episcopi requirantur plures Episcopi de necessitate Sacramenti ; quæ ut solvantur, sit

CONCLUSIO I.

Simplex Sacerdos potest, ex commissione Summi Pontificis, conferre Tonsuram et Minores Ordines, non vero Majores.

PROB. PRIMA PARS. 1. Ex cap. *Requisivit*[1], in quo dicitur : *Minores Ordines a non Episcopis quandoque conferuntur.*

PROB. 2. *Ex Trid.*[2], in quo prohibetur Abbatibus et aliis quibuscumque ne conferant *Tonsuram vel Minores Ordines*, nisi regularibus sibi subditis ; ergo supponit simplices Sacerdotes posse conferre Minores, exceptio enim firmat regulam.

PROB. SECUNDA PARS : Quia Scriptura et universa traditio non alium assignat illorum Ordinum ministrum, quam solum Episcopum, et nulli alii legitur unquam concessa talis facultas, quantacumque fuerit aliunde necessitas.

DICES 1. Dicitur cap. *Requisivit*, supra citato, a non Episcopis quandoque conferri Ordines a prima Tonsura ad Subdiaconatum; ergo simplex Sacerdos potest conferre Subdiaconatum.

RESP. *Nego ant.* Cum Glossa : usque ad Subdiaconatum *exclusive*, ut probant verba sequentia, conc.; *inclusive*, nego ant. Dicitur enim infra de eo qui susceperit Minores a simplici Sacerdote, quod *poterit, si idoneus fuerit, ad Majores promoveri;* Subdiaconatus autem est Ordo major.

DICES 2. Innoc. VIII concessit Abbati Cisterciensi facul-

[1] Tit. *de Ordinatis ab Episcop. qui renuntiavit.* — [2] Sess. 23, cap. 10, *de Ref.*

tatem conferendi suis monachis Ordinem Diaconatus et Subdiaconatus; ergo, etc.

RESP. Cum gravissimis auctoribus [1] contra alios illud privilegium esse suppositium et fictum : 1° quia illius non meminit Conc. Trid.; 2° quia hæc Bulla non reperitur in Bullario Romæ edito; 3° quia in prima parte illius Bullæ Abbas Cisterciensis supplicat ut sibi renovetur privilegium suis monachis conferendi Tonsuram et Minores, et in secunda parte Summus Pontifex concedit facultatem conferendi Diaconatum et Subdiaconatum; ergo ultra petita concederet, quod repugnat stylo Curiæ Romanæ.

Hinc concludes monumentum illud esse dubiæ et incertæ auctoritatis, ex quo consequenter nonnisi incertum et dubium deduci potest argumentum.

DICES 3. Chorepiscopi solebant olim conferre Diaconatum et Presbyteratum, ut constat ex variis Conciliis [2]; atqui illi erant simplices Sacerdotes, ut docet Damasus Papa [3]. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Chorepiscopi qui erant ordinati Episcopi, *conc.*; qui erant simplices Sacerdotes, *nego maj.*

Itaque duo olim fuerunt genera Chorepiscoporum: aliqui erant veri Episcopi, quales nunc sunt suffraganei, et de his loqui Concilia constat ex his Concilii Antioch. verbis: *Qui in vices Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, et ut Episcopi consecrati sint*, etc.

Alii autem erant simplices Sacerdotes, qui tanquam vicarii Episcopi in majoribus oppidis commorantes exercebant aliquam Episcopi jurisdictionem supra reliquos Presbyteros, qualem nunc habent Archipresbyteri et Decani rurales, et de his loquitur Damasus Papa, si tamen ejus Epistola sit genuina, quam eruditis supposititiam demonstrant cum Morino [4].

[1] Hallerius *de Ministro Ordin.*, sect. 5, a. 2, § 2. — [2] Silvius, Tournely.
[3] Epist. 4. — [4] Cap. 1 *Exercitationis* 4, n. 5.

CONCLUSIO II.

Ad consecrationem Episcopi requiruntur tres saltem Episcopi, non quidem necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiæ.

PROB. PRIMA PARS : Quia hunc Episcoporum numerum exigunt Canones sacri; ergo, etc.

Can. 1 Apostolorum sic jubet : *Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur.*

Canon. 4 Nicænus decernit : *Ordinari Episcopum ab omnibus aliis, si fieri possit, Provinciæ Episcopis, sin minus, a tribus saltem congregatis.* Refertur can. 1, dist. 64.

Innoc. I, Epist. *ad Victricium Rothomagensem*, prohibet quemquam Episcopum consecrari, nisi a tribus Episcopis.

His accedit perpetua praxis Ecclesiæ, quæ, seclusa necessitate, nunquam contulit Episcopatum, nisi per tres Episcopos.

PROB. SECUNDA PARS. 1. Variis exemplis.

Innoc. I [1] mandat eos qui fuerant ab Evagrio, Episcopo Antiocheno, ordinati, recipi cum suis Ordinibus et honoribus ; atqui tamen a solo Paulino, prædecessore suo, fuerat ordinatus Episcopus, ut testatur Theodor. [2]. Ergo illius Ordinatio valida fuit, alias invalidæ fuissent Ordinationes ab eo factæ.

Conc. Regiense cum Armentario, qui ab uno Episcopo fuerat Ebreduni Episcopus ordinatus, dispensavit ut baptizatos confirmaret, et cum Ordinatis ab Armentario Clerici, ut in Ordinum suorum ministerio retinerentur.

PROB. 2. Ex dispensationibus SS. Pontificum.

Gregor. Magnus, interrogatus a B. Augustino, Anglorum Episcopo, quot necessarii sint Episcopi in Episcopi consecratione, sic respondit : *Ut quidem in Angelorum Ecclesia in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Epis-*

[1] Epist. 12 *ad Bonifacium*. — [2] Lib. 5 *Hist.*, cap. 24.

copum non aliter, nisi sine Episcopis potes, id est, solus potes.

Henriquez [1] et alii referunt Gregorium XIII dispensasse cum Patriarcha Æthiopiæ, ut solus, sine assistentibus Episcopis, novos Episcopos consecrare posset, ubicumque operæ pretium esset.

Anno 1640, die 17 junii, D. Saulnier fuit consecratus Episcopus Andrevillensis ab illustrissimo Claudio d'Archey, Archiep. Bisuntino, assistentibus D. de Vatteville, Episcopo Lauzanensi, et Phidulpho, Abbati Favernensi, ex dispositione Urbani VIII.

Anno 1664, die 20 jan., D. Antonius-Petrus de Grammont, Archiepiscopus Bisuntinus, fuit consecratus a divo Saulnier, Episcopo Andrevillensi, cui adstiterunt, indulto Alex. VII, Claudius de Mesmay, Ecclesiæ Bisuntinæ Vicarius generalis, et Joannes d'Orival, Officialis Bisuntinus.

Quod hodiedum renovarunt Summi Pontifices in locis maxime missionum ad Exteros, quoties illarum nascentium Ecclesiarum consulit utilitas.

CAPUT V.

DE SUBJECTO ORDINIS.

QUÆRES 1. *Quinàm sit subjectum Ordinis?*

RESP. Est homo baptizatus et masculus, nam : 1° Baptismus est janua ad omnia alia Sacramenta; ergo solus baptizatus est capax aliorum Sacramentorum. Mulieres, jure divino, arcentur a sacris mysteriis [2] : turpe est mulierem loqui in Ecclesia. Ratio D. Th. hæc est [3], quia sacramentum Ordinis eminentiam gradus significat; atqui in sexu femineo non potest aliqua gradus eminentia significari, dicente Apostolo [4]: *Mulier discat in silentio cum omni subjectione;*

[1] Tom. I suæ *Summæ*, lib. x, c. 24. — [2] 1 Cor. 14. — [3] Q. 34, a. 1. — [4] 1 ad Tim. 2.

docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio; ergo, etc.

Nec obest, quod in primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ et Episcopæ; illæ sic vocabantur, non ab aliquo Ordine, sed a viris suis, qui cum ad Ordines Episcopatus, Presbyteratus, etc., assumebantur, eas, ex mutuo consensu, derelinquebant; aut in sæculo voto castitatis obstrictas, aut in monasteriis solemniter professas, ut constat ex Conc. Altissiodorensi [1]: *Non licet Presbytero, post acceptam benedictionem, in uno lecto cum Presbytera sua dormire.*

Quæres 2. *Quid requiratur ad validam Ordinum receptionem?*

Resp. In adulto requiritur *intentio,* sine qua nulla et invalida foret ordinatio, ut probavimus in dissertatione *de Sacramentis in genere.*

Dixi: *In adulto;* quia controvertitur utrum pueri ante usum rationis possint valide ordinari: negant Durandus et Tournely, affirmat D. Thom. hic [2], quia Sacramenta quæ non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante ullum suscipientis actum; sic conferri potest Confirmatio, non vero Pœnitentia, nec Matrimonium, quia de illorum essentia est actus, nempe contritio et confessio in sacramento Pœnitentiæ, et consensus in Matrimonio; atqui sacramentum Ordinis non in actu, sed in potestate consistit: ergo conferri potest ante ullum suscipientis actum, et consequenter parvulo, amenti, etc., licet sint incapaces consensus.

Parvulus tamen sic ordinatus, nec ad votum castitatis, nec ad officium divinum recitandum teneretur, nisi sponte, post ademptum rationis usum, suam ordinationem ratam habuisset.

Quæres 3. *Quot requirantur ad licitam Ordinum susceptionem?*

[1] Can. 21.— [2] Q. 29, art. 2.

Resp. Requiruntur novem, scilicet :

1° *Vocatio Dei*, ex Apostolo[1] : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

2° *Status gratiæ*, quia est Sacramentum vivorum.

3° *Confirmatio*, et primum Tonsura jam suscepta, prout statuit Conc. Trid.[2].

4° *Congruæ sustentationis titulus*, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex pensione. Ita necessarius est hic titulus, ut qui ficto titulo ordinatus fuisset, ab exercitio Ordinum, *ipso jure*, suspensus foret, quam pœnam decretam cap. *Per tuas*, et cap. *Si quis*, de Simonia, innovavit Conc. Trid.[3].

5° *Ætas legitima*, quæ satis viginti duo pro Subdiaconatu; viginti ter pro Diaconatu; viginti quinque pro Presbyteratu : ita statuit Conc. Trid.[4].

6° *Est tempus a jure statutum pro Ordinationibus.*

7° *Est observatio interstitiorum*, quæ ex Trid.[5] in hoc consistit, *ut nonnisi post annum a susceptione Minorum Ordinum, quisquam ad sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.*

8° *Ut Ordinatio non fiat per saltum*; id est, ut non suscipiatur Ordo superior, omisso inferiori : alias sic ordinatus esset ab exercitio Ordinis sic suscepti suspensus[6].

9. *Immunitas ab omni irregularitate*, de quibus singulatim vide apud moralistas, præsertim S. Lig., loco cit.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

Quæres : *Quot sint effectus Ordinis?*

Resp. Sunt quatuor.

[1] Hebr. 5. — [2] Sess. 23, cap. 4 *de Ref.* — [3] Sess. 21, cap. 2 *de Ref.* — [4] Sess. 23, cap. 12 *de Ref.* — [5] Sess. 23, cap. 11 *de Ref.* — [6] Cap. *Tuæ Litteræ, de Clerico per saltum ordinato.*

Primus est gratia sanctificans in augmento, quia est Sacramentum vivorum.

Secundus est gratia sacramentalis, quæ definitur : *Gratia habitualis sacræ potestatis traditiva, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias ad officia cuilibet ordini propria rite persolvenda.*

Tertius est character; idque constat tum ex dictis in dissert. *de Sacramentis in genere;* tum ex usu et praxi Ecclesiæ, quæ in hæresi et extra Ecclesiam rite ordinatos, redeuntes ad sinum suum, nusquam iterum ordinari permisit.

Hinc, licet propter nonnulla immania crimina, honor, locusque Ordini conveniens, ab Ecclesia quandoque auferatur, non aufertur tamen interna potestas, vi cujus etiam excommunicati et degradati, valide semper, licet illicite, Ordinis a se suscepti functiones exercent.

Quartus est *cælibatus,* secundum quem illi qui in Ecclesia Latina sacris Ordinibus initiantur, nec Matrimonium contrahere, nec Matrimonio prius contracto uti possunt[1]. In Ecclesia vero Græca licet quidem Ordinibus sacris initiatis (excepto Episcopatu) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas et omni jure conjugali uti[2], sed omnino sub pœna depositionis prohibitum est eis post ordinationem ducere uxores[3].

* At quia pseudoreformati, quorum *omnis tragœdia exit in catastrophem comicam,* ut ait Erasmus, insano quodam furore sacrum cælibatum insectati fuerint, contra quos Trid. sanxit[4]: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.* Contra illos detractores probandum est hanc continentiæ legem esse perantiquam, convenientem, neque juri divino, neque juri naturali repugnantem. Sit ergo

[1] Ita statum est in Conc. Eliberit., ann. 305, can. 33; Conc. Cart. II, ann. 307, can. 2. — [2] Ex Conc. Trullano, can. 2. — [3] Ib., can. 6. — [4] Sess. 24, can, 9.

CONCLUSIO I.

Continentiæ lex sacris ministris imposita est in Ecclesia antiquissima.

PROB. Illa lex antiquissima dicenda est quæ fundatur in exemplo Apostolorum, in consuetudine ab ipsis apostolicis temporibus universaliter fere recepta, atque in antiquissimis Conciliorum et Pontificum sanctionibus; atqui talis est lex continentiæ sacris ministris imposita.

Prob. min. per partes.

PROB. PRIMA PARS. Apostolus[1] dicit: *Oportet Episcopum continentem esse .... Diaconos similiter pudicos.* Cujus ipsos Apostolos fuisse in exemplum constat ex Tertulliano dicente : *Petrum solum invenio maritum per socrum ... Cæteros cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes*[2]. Item et fortius S. Hieronymus[3] : *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere principio : Apostoli vero virgines, vel post nuptias continentes.* Exinde, licet lex proprie dicta nondum verbis condita fuisset, invaluit tamen in Ecclesia universalis consuetudo servandi continentiam, cujus testes sunt Origenes, Hieronymus, Eusebius et Epiphanius, unde

PROB. SECUNDA PARS. 1° Quidem jure optimo contendunt eruditi viri B. Petrum Apostolum, omnes Episcopos, Presbyteros, Diaconos in Ecclesia Latina continentiæ legi subjecisse. 2° Tertullianus, de clero africano: *Quanti,* inquit, *in ecclesiasticis Ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt*[4]. Ipsemet in exemplum se dedit qui cum in majorem clerum cooptatus fuisset, se a conjuge separavit[5]; atqui inde factum est, ut hæc lex vel consuetudo Conciliorum et Pontificum decretis brevi suffulta fuerit, unde

[1] *Ad Tit.* 1. — [2] Lib. *de Monogamia*, cap. 8.
[3] In Apolog. *contra Jovinian.*, seu Epist. 48 *ad Epimachium*.
[4] Lib. *de Exhortatione Castit.*, cap. 11. — [5] In lib. *de Veland. Virg.*, cap. 10.

Prob. tertia pars. 1° *Ex Concil. Carthagin. II*, anno 390, can. 2, ubi dicitur: *Placuit et condecet sacrosanctos Antistites et Dei Sacerdotes ... continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt et servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* — In altero Carthag. Concil. V[1] legitur: *Placuit Episcopos et Presbyteros et Diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus contineri.* Idem constat ex multis aliis omnium Ecclesiarum et temporum Conciliis.

2° *Ex Summis Pontificibus.* S. Siricius, an. 385 florens, ejus legis meminit tanquam ab Apostolo institutæ, transgressoresque tanquam reos legis animadvertit. Eamdem legem supponunt Innocentius I, Gregorius Magn., Zacharias, anno 743, et alii perplures qui nunquam innuunt se novam legem condere, sed ab apostolica sanctione profectam urgere, aut restaurare. Hinc Eusebius Cæsariensis[2] dicit, *secundum leges Novi Testamenti, debere sacris initiatos ab uxoribus abstinere.* Ergo lex continentiæ sacris ministris imposita suum habet fundamentum in exemplo Apostolorum, in consuetudine universali Ecclesiæ, in Conciliorum atque Pontificum decretis. Ergo antiquissima censenda est.

* CONCLUSIO II.

Continentiæ lex sacris ministris imposita, est clericali statui convenientissima.

Prob. Illa lex est clericali statui convenientissima, quæ vitæ sanctimoniam præ se fert; quæ sacris muneribus rite obeundis conducit; atqui talis est continentiæ lex sacris ministris imposita.

Prob. prima pars. Lex continentiæ sanctissima est ratione sui objecti, ratione finis et ratione Dei hominumque sensu. 1° Illud certe genus vitæ sanctum est, quod Christus virgo et Virgo Mater ejus in utroque sexu sancti-

1 An. 398, can. 8. — 2 Lib. 1 *de Demonstr. Evang.*, cap. 9.

icarunt; quod Christus et Apostoli verbis et exemplis se-nel et iterum commendarunt; atqui statum continentiæ Christus sanctificavit in seipso, ut supra dictum est, et commendavit, dum Apostolis mirantibus super iis quæ lixerat de matrimonio, et dicentibus: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere,* respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est ... Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat*[1]. Hoc genus vitæ quoque suo exemplo commendavit Apostolus, fuit enim custos et fervidus prædicator continentiæ[2], hancque virtutem servaverunt et æteri Apostoli, qui innumeras virgines etiam Deo dicaverunt, ut patet ex monumentis ecclesiasticis. 2° Sancta est atione finis. Ad hoc enim continentes et pudici desiderantur ministri sacri, ut digne sancteque Deo inserviant t res sacras convenienter tractent, juxta illud: *Sancti estote, quia ego sanctus sum; mundamini qui fertis vasa Domini.* 3° Sancta est ratione Dei hominumque sensus et æstimationis; cælibatus enim conditionem tum allata Christi t Apostolorum exempla et instituta, tum unanimis Patrum t omnium populorum consentio, prout ipsi adversarii non iffitentur, evincunt reliquas conditiones sanctitate et præstantia longe superare coram Deo et hominibus.

PROB. SECUNDA PARS: *Nempe continentiæ lex sacris muneribus obeundis conducit.* Illa lex sacris muneribus obeundis naxime conducit, quæ sacris missis facultatem majorem ubministrat præcipua clericalis militiæ officia peragendi, t arcet impedimenta quæ cum his officiis nequeunt consociari; atqui talis est continentiæ lex sacris ministris mposita, quorum officia sunt sacrificium offerre, orare, præesse, docere, Sacramenta administrare, infirmorum et pauperum curam habere, etc.

PROB. 1° *Ex Apost.*[3], ubi vult conjugatos abstinere ad empus ab usu conjugii, ut vacent orationi: *Qui autem,* in-

[1] Matth. 19, 11. — [2] Cor. 7, et Act. c. 24, 25. — [3] 1 *Cor.* 7.

quit, *cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Sed Sacerdotes Dei non ad tempus, sed orationi instantes esse debent.

2° Idem Apost.[1] vult ipsum ut bonum militem Christi, non implicari negotiis sæcularibus; atqui nihil magis implicat negotiis sæcularibus quam curæ matrimoniales.

3° Sacerdotes antiquæ legis tempore vicis suæ ab uxoribus absistere debebant; atqui Sacerdotes novæ legis quotidiani et longe dignioris ministerii necessitatibus occupantur: ergo, etc.

4° Si sacri ministri non secus ac sæculares uxoribus uterentur: 1° minus honorarentur a populo cum magno animarum dispendio; 2° minus expediti essent ad fidem et gloriam Dei promovendam, ad faciendum eleemosynas, ad viduas, virgines et pupillos sublevandos et protegendos; 3° sed proventus ecclesiastici passim applicarentur in usibus profanis, et beneficia ecclesiastica ad filios quasi jure hæreditario transmitterentur sin minus Ecclesia teneretur eos alere; 4° in potestatem civilem facile redigerentur, ecclesiasticæque libertatis timidi defensores vel etiam desertores evaderent, ut constat experientia Novatorum. Ergo cælibatus lex sacris muneribus obeundis conducit; præterea sancta est ratione sui objecti, finis et Dei hominumque sensus et æstimationis, id est vitæ sanctimoniam præfert. Ergo clericali statui est convenientissima.

* CONCLUSIO III.

Continentiæ lex sacris ministris imposita, nec juri divino, neque naturali repugnat.

PROB. PRIMA PARS, quæ constat ex iis quæ superioribus propositionibus retulimus. Cum etenim continentiam Christus in seipso sanctificaverit, et verbis commendaverit, cum illius Apostoli suis exemplis et adhortationibus satores et

[1] *Timoth.* 2.

prædicatores fuerint, cum Patres illam tantis laudibus effecerint et illorum quamplurimi cœlestem vitam egerint, insanum esset dicere continentiæ legem juri divino repugnare.

Prob. secunda pars. Si continentiæ lex juri naturali adversaretur, ideo esset quia existeret aliqua lex quo omnes et singuli homines cogerentur ad matrimonium; atqui ejusmodi lex non existit: 1° quia secus omnes et singuli, tum masculi, tum feminæ, sive pauperes fuerint, sive divites, sive sani, sive infirmi, sive pares, sive impares onera matrimonialia sustinendi, sive liberi, sive servi, omnes inquam et singuli prorsus hac lege obligarentur ad nuptias, quod et ipsi adversarii non admittunt, utpote nimis absurdum, et sæpe sæpius impossibile; 2° quia si ejusmodi existeret lex, omnes populi agnovissent, legislatores et sapientes illam non ignorassent; atqui nedum talem legem cognoverint, imo cælibatus sacri cultores semper in magno pretio habuerunt et honoribus cumularunt, prout de Ægyptiis, Indiis, Persis, Græcis et Romanis ostendunt eruditi [1]. Ergo lex quæ omnes et singulos ad nuptias cogat non existit. Ergo continentiæ lex juri naturali non repugnat, neque juri divino; præterea illa lex est antiquissima et clericali statui convenientissima. Ergo nonnisi cœnosi ac libertini homines ejusmodi legem impugnare possunt.

OBJECTIONES.

Objicies 1 cum hæreticis : Deus unicuique libertatem reliquit nubendi ; ergo Ecclesia non potest id prohibere.

Resp. *Nego conseq.* Deus enim Ecclesiæ concessit potestatem condendi leges spectantes disciplinam; talis est lex continentiæ imposita sacris ministris, qui cum sponte Ordines suscipiunt, censentur sponte se subjicere legi continentiæ.

[1] Conf. Morinum, *Histoire critique du Célibat;* de Maistre, *du Pape*, liv. 3, c 3.

20.

INST. Ecclesia non potest concedere legem nimis duram, illicitis voluptatibus occasionem subministrantem; atqui talis est lex continentiæ : ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Talis est lex continentiæ per se, *nego;* per accidens, ex prava scilicet dispositione subjecti, quod inconsulta Dei vocatione statum clericalem amplexus est, *conc.;* si enim esset a Deo vocatus, donum continentiæ haud dubie obtineret ab eo qui cum dat esse, dat etiam consequentia ad esse.

OBJICIES 2. Apost. ait[1] : *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus;* ergo nemini debet interdici.

RESP. *Nego conseq.* Sensus enim Apostoli non est hic: *Honorabile est connubium in omnibus*, sed est hic : *Honorabile sit connubium in omnibus;* loquitur ergo de conjugatis, quibus præcipit ut servent honorem conjugii servando fidem conjugalem comparti, et custodiant torum immaculatum a peccatis quæ committi solent a conjugatis. Hunc esse sensum indicant verba sequentia : *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*

INST. 1. Apost.[2] generatim dicit : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat;* ergo omnes possunt nubere.

RESP. *Nego conseq.* Apostolus enim non loquitur de iis qui per statum tenentur ad continentiam, sed loquitur de iis qui adhuc liberi non se possunt continere, et quibus consequenter expedit nubere : *Melius est enim nubere quam uri.*

INST. 2. Apost.[3] præcipit ut Episcopus sit unius uxoris vir... *filios habens subditos cum omni castitate*, etc. Ergo.

RESP. Hoc unice intendit Apostolus, ut Episcopus ordinandus non sit bigamus, id est non habuerit duas uxores, etiam successive.

INST. 3. Apostoli, post resurrectionem Christi, habuerunt uxores, ut patet ex 1 Cor. 9, ubi Apostolus dicit : *Numquid*

[1] Hebr. 13, v. 2. — [2] Hebr. 13, v. 4. — [3] 1 ad Tim. 3, v. 4.

non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, ut cæteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?

Resp. 1. *Nego conseq.* Esto enim nec Apostoli, nec clerici priorum temporum servaverint continentiam, id probat tantum quod lex continentiæ nondum esset tunc clericis imposita; sed non probat quod postea non fuerit juste imposita, neque quod ex illa magnum emolumentum non retulerit Ecclesia, quod unum asseruimus.

Resp. 2. *Nego maj.* Etenim de nullo quam de Petro[1] constat habuisse uxorem; sed, etsi habuerint, constat etiam eos illas reliquisse, ex illo Matth. 19 : *Ecce nos reliquimus omnia,* inter quæ computandas esse uxores patet ex responsione Christi : *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem,* etc. Dicendum est ergo quod Apostolus loquebatur de piis mulieribus quæ quibusdam Apostolis erant comites ut necessaria vitæ ministrarent, juxta Hebræorum morem, prout de Christo ipso legitur[2]; propterea Apostolus dicit illas non *uxores,* sed *sorores,* nec *ducere,* sed *circumducere.*

Objicies 3. Matrimonium est jure naturæ a Deo præceptum[3] : *Crescite et multiplicamini;* ergo Ecclesia non potuit aliquibus prohibere.

Resp. Matrimonium est de jure naturæ *permissive,* conc.; *præceptive,* neg. vel dist.; respectu cujuslibet particularis *neg.;* alicujus particularis in certis circumstantiis, v. g., tempore quo paucitas hominum exstabat, *trans.* vel *conc.*; ut dicemus dum de Matrimonio, cap. I, concl. 3, q. 1.

1 Matth. 8. — 2 Matth. 27, 55; Marc. 15, 41, et Luc. 8, 2. — 3 Gen. 1.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Nota. Quatuor capitibus hunc tractatum absolvemus: *primum* erit de essentia et existentia Matrimonii; *secundum*, de ejus proprietatibus et effectibus; *tertium*, de ejus impedimentis; *quartum*, tandem de connubiis mixtis.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA MATRIMONII.

Quatuor in hoc capite veniunt exponenda: *primum*, quid et quale sit Matrimonium; *secundum*, quæ ejus materia et forma; *tertium*, quis ejus Minister; *quartum*, quinam requiratur consensus.

ARTICULUS I.

QUID ET QUALE SIT MATRIMONIUM?

* *Nota* 1. Matrimonium dicitur a *Matris munere*, ut ait D. Thomas; vel quia matres facit, ut dicit D. Augustinus [1]: *Non ob aliud debet fœmina nubere, quam ut mater sit*. Ipsis enim incumbit præcipue fovere, gestare et educare proles.

* *Nota* 2. Dicitur *nuptiæ, connubium*, a verbo *nubere*, seu *velare*, eo quod puellæ, pudoris gratia et in signum subjectionis, velo quasi nube se obtegebant (*Catech. rom.*, hic cap. 1). Alio nomine vocatur a Græcis, γάμος, scilicet a

[1] Lib. 19, cap. 26 *contra Faustum*.

domo, quod significat domare, ideo quia fœminæ seu potius conjuges domat, et inde usurpantur nomina *monogamus, bigamus, polygamus*, unius, duarum vel plurium uxorum vir.

* *Nota* 3. Matrimonium rursus consideratur vel in ipso actu et instanti quo perficitur, et vulgo dicitur *in fieri* ; vel spectatur ratione nexus et vinculi permanentis ex contractu resultantis, et tunc dicitur *in facto*.

Nota 4. Matrimonium dividitur in *legitimum, ratum* et *consummatum*.

Legitimum est illud quod inter personas a lege non prohibitas contrahitur, quale etiam nunc est inter non baptizatos.

Ratum est illud quod a solis fidelibus contrahitur, estque in ipsis Sacramentum, ratione cujus fit ratum seu indissolubile, ad discrimen Matrimonii ab infidelibus contracti, quod post alterutrius conversionem potest dissolvi.

Consummatum est illud quod, accedente copula carnali, extrinsece completur.

Nota 5. Matrimonium iterum sumitur vel pro contractu, vel pro vinculo ex tali contractu inducto.

Matrimonium sumptum pro contractu definitur : *Contractus quo vir et femina sibi invicem legitime tradunt et accipiunt corporum suorum dominium perpetuum ad usum conjugalem*. Cui definitioni si addideris has voces : *Elevatus a Christo ad gratiam significandam et conferendam*, habebis definitionem Matrimonii quatenus est Sacramentum.

Dicitur 1° *Contractus*, per quod convenit cum aliis contractibus.

Dicitur 2° *Quo vir et femina* ; ut detur subjectum Matrimonii.

Dicitur 3° *Legitime* ; id est ut personæ contrahentes a lege non prohibeantur.

Dicitur 4° *Tradunt et accipiunt* ; ut exprimatur mutuus consensus.

Dicitur 5° *Dominium perpetuum;* quia non potest solvi partium consensu, sicut solvuntur alii contractus.

Dicitur 6° *Ad usum conjugalem ;* id est ad usum juris, ut designetur principium finale Matrimonii.

Additur in lege gratiæ : *Ad gratiam significandam et conferendam elevatus ;* quia est verum Sacramentum, etc.

Matrimonium sumptum pro vinculo ex contractu habitualiter permanente definitur : *Viri ac mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Dicitur 1° *Conjunctio;* id est vinculum quod resultat ex partium consensu.

Dicitur 2° *Maritalis;* ut distinguatur ab aliis conjunctionibus.

Dicitur 3° *Viri ac mulieris ;* ut designetur subjectum.

Dicitur 4° *Inter personas legitimas ;* inde a lege non prohibitas.

Dicitur 5° *Individuam,* etc., id est perpetuam societatem.

Addi debet in lege gratiæ : *Significativa et collativa gratiæ.*

* *Nota.* Ante lapsum Adami, Matrimonium fuit institutum in officium solum naturæ, eo autem secuto, in concupiscentiæ remedium; et tandem in nova lege, Christus elevavit illud ad dignitatem Sacramenti, ut infra dicetur.

QUÆRES hic 1° Utrum Matrimonium sit Sacramentum novæ legis; utrum solius novæ legis; 2° utrum sit licitum et præceptum. Pro quibus solvendis

CONCLUSIO I.

Matrimonium est vere et proprie unum ex septem novæ Legis Sacramentis. Est de fide contra Novatores a Trid. definitum.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex Scriptura.* Ephes 5 : *Propter hoc, relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori*

suæ, et erunt duo in carne una : Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.

Nec valet dicere hunc textum esse intelligendum de signo mere repræsentativo unionis Christi cum Ecclesia, Concilia enim Senonense et Trid. ipsum usurpant ad probandum Matrimonium esse Sacramentum, et quidem jure merito, cum hæc verba: *Sacramentum hoc*, evidenter referantur ad id quod ipsa immediate præcedit, nempe ad inviolatam conjunctionem viri cum muliere, non autem ad unionem Christi cum Ecclesia.

PROB. 2. *Ex traditione Patrum* dicentium cum D. Chrysost[1]. *Sacramentum sunt nuptiæ, et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit;* et D. Augustino[2] : *In nostratum quippe nuptiis, plus valeat sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri...;* ad hanc traditionem attendens Conc. Trid. definit[3] : *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

PROB. 3. *Ratione.* Ad verum novæ Legis Sacramentum quatuor requiruntur et sufficiunt, etiam juxta Novatores : 1° ut sit signum sensibile rei sacræ ; 2° ut sit a Chrito institutum; 3° ut sit efficax et productivum gratiæ sanctificantis; 4° ut sit constans et perpetuum in Ecclesia; atqui hæc quatuor competunt Matrimonio. Ergo, etc.

1° Est signum sensibile, nempe conjunctio maritalis, quæ significat sensibiliter unionem Christi cum Ecclesia.

2° Est a Christo institutum[4], non quidem ut est in officium naturæ, cum id habuerit ab initio creationis, sed ut est causa productiva gratiæ.

3° Est efficax et productivum gratiæ sanctificantis, ut constat ex canone Conc. Tridentini supra citato.

[1] Hom. 56 *in Gen.* — [2] L. *de Bono Conjug.*, c. 18.— [3] Sess. 24, can. 1.
[4] Matth. 13, v. 6.

4° Est constans et perpetuum in Ecclesia, ut constat ex usu utriusque Ecclesiæ nunquam interrupto. Græci enim semper recensuerunt, et etiam nunc post schisma recensent Matrimonium inter septem Ecclesiæ Sacramenta.

*Prob. 4. *Prescriptione.* Matrimonium unum esse e septem Sacramentis novæ Legis, ubique semper et ab omnibus creditum fuit. Talem enim doctrimam tenebat utraque Ecclesia, Latina scilicet et Græca, tempore quo Lutherus et Calvinus suos effutierunt errores: quoad Ecclesiam Latinam, nemo inficiari potest; constat pariter de Ecclesia Græca, tum ex Euchologiis istius Ecclesiæ, tum ex Synodo Constantinopolitano, ann. 1630, in qua damnatus est Cyrillus Lucar, post Calvinum dogmatizans septem non esse sacramenta; tum ex eo quod nulla exorta sit controversia inter Latinos et Græcos. Ergo eamdem doctrinam profitebatur utraque Ecclesia ante schisma Græcorum; si enim inventa fuisset postea ab alterutra, alia Ecclesia reclamasset contra novitatem, nedum illam amplexa fuisset: in omnibus autem retro sæculis fuerunt hæretici et schismatici, qui pariter reclamassent contra Catholicos, Ariani, Nestoriani, Pelagiani, etc., si talis inventa fuisset doctrina; nullibi autem prorsus simile, nihil tale auditum fuit. Ergo. (*Conf.* Goarium, Renaudotium et Assemaqum, qui eamdem doctrinam probant ex praxi et Euchologiis Coptorum, Jacobitarum, Syrorum, Nestorianorum, etc.)

OBJECTIONES CONTRA PRIMAM PARTEM.

Objicies 1. Cælibatus, teste Apost. [1], melior est Matrimonio; ergo istud non est Sacramentum. Resp. *Nego conseq.*

Prob conseq. Illud Sacramentum esse non potest, a quo melius est abstinere; atqui melius est abstinere a Matrimonio.

Resp. *Dist. min.* Melius est a Matrimonio abstinere, si concipiatur sub idea carnalis copulæ, *conc.;* si concipiatur ut

[1] 2 Cor. 7, v. 18.

res sacra, *nego min.*; alioquin B. Virgo, quæ semper quod perfectius est amplexa est, B. Josepho non nupsisset.

Objicies 2. Idem est Matrimonium in infidelibus ac in fidelibus; atqui in infidelibus non est Sacramentum.

Resp. *Dist. maj.* Idem est, etc., sumptum pro contractu civili, *conc.*; sumptum pro Sacramento, *nego maj.*; in infideli Matrimonium est mere contractus civilis, in fideli est insuper Sacramentum.

Inst. 1. Sacramenta novæ legis operantur quod significant; atqui Matrimonium non operatur quod significat, unionem scilicet Christi cum Ecclesia quam significat: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Quod significant practice, *conc.*; quod significant speculative, *nego maj.*; et sic distincta min., *nego conseq.*

Itaque in Matrimonio duplex est significatio: una simpliciter speculativa et objectiva, qua duntaxat repræsentatur unio Christi cum Ecclesia, sive per Incarnationem, sive per charitatem et gratiæ influxum; altera practica, qua producitur gratia Sacramenti uniens conjuges ad effectus seu fines proprios Matrimonii; porro, Matrimonium ita repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, ut simul producat gratiam Sacramento annexam.

Inst. 2. Atqui Matrimonium non confert gratiam; nam usus conjugii non confert gratiam; atqui usus conjugii est pars Matrimonii: ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Usus enim conjugii est quidem officium, sed non est pars aut essentialis, aut integralis Matrimonii; gratia quidem conceditur ad illum usum intra terminos christianæ modestiæ retinendum; at usus ille gratiam non confert tanquam pars Sacramenti.

Objicies 3. Verum Sacramentum non pugnat cum alio Sacramento, cum sint ab eodem auctore; atqui Matrimonium pugnat cum sacramento Ordinis: ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. In uno eodemque homine non possunt esse simul utrumque illud Sacramentum; ergo pugnant inter se.

Resp. *Nego conseq.* Et dico causam hujus incompatibilitatis non oriri ex aliqua pugna quæ sit inter illa Sacramenta, sed ex statu illorum qui sacris Ordinibus sunt initiati, qui cum se voto obstrinxerint ad servandam continentiam, sunt omnino inhabiles facti jure ecclesiastico ad contrahendum matrimonium.

Objicies 4. Nonnulli ex nostris Theologis, quales sunt Magister, Durandus, etc., negant Matrimonio annexam esse gratiam sanctificantem; ergo non est Sacramentum.

Resp. *Retorqueo* argumentum. S. Cyprianus, Firmilianus et alii Africani censuerunt hæreticos esse rebaptizandos; ergo Baptismus hæreticorum non est verus baptismus; an admittent consequentiam adversarii? Hinc Theologi absque præjudicio rei catholicæ deserunt Magistrum et Durandum, ex quorum judicio non debet æstimari veritas catholici dogmatis, sed ex traditione, Conciliis, etc.

Objicies 5. Quod in Sacramentis habet rationem signi, debet esse a Christo primum institutum; atqui Matrimonium non est tale: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Debet esse a Christo primum institutum in ratione signi efficacis et practici, seu in ratione veri Sacramenti, *conc.*; in ratione signi simpliciter, *nego maj.*; quod enim jam erat signum, potuit a Christo assumi ut esset Sacramentum, sicut quod antea signum non erat, assumi potuit ut esset signum.

Objicies 6. In Matrimonio contrahentes de pecunia et dote paciscuntur; atqui non liceret sic pacisci, si Matrimonium esset Sacramentum, alias esset Simonia: ergo.

Resp. *Dist. min.* Non liceret sic pacisci, si Matrimonium esset pure Sacramentum, *conc.*; si insuper sit contractus civilis, *nego min.* Dico itaque pactum illud non spectare Matrimonium quatenus est Sacramentum, sed quatenus

est contractus civilis, atque referri ad onera Matrimonii, non ad gratiam Sacramenti.

CONCLUSIO II.

Matrimonium est solius novæ Legis Sacramentum proprie dictum, fuit tamen late sumptum.

PROB. PRIMA PARS. 1° Sacramentum proprie dictum est signum practicum et effectivum rei sacræ, id est gratiam significans et producens *ex opere operato*, ut dicitur, eamque ex divina institutione annexam habere debet; atqui nullibi legitur veteribus connubiis divinam gratiam fuisse promissam, aut institutum fuisse a Deo signum practicum et effectivum hujus gratiæ: ergo, etc.

2° Concil. Trid. [1] definit omnia Sacramenta fuisse a Christo Domino instituta; ergo est Sacramentum solius novæ legis.

3° Præterea idem Concil. [2] doctrinam Concilii Florentini sequens ait: *Cum igitur Matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum Patres nostri docuerunt;* atqui si vetera connubia rationem Sacramenti habuissent, gratiamque ex divina promissione contulissent, iis gratia non præstarent legis evangelicæ Sacramenta, quia non minus veteris quam novæ Legis connubiis alligata fuisset. Ergo, etc.

Unde hæc Maldonati aliorumque, quam hic refellimus opinio, cum doctrina Tridentini et Florent. conciliari non potest.

Dixi: *Fuit tamen late sumptum;* quia a primæva constitutione sua, a Deo ordinatum fuit Matrimonium ut esset signum sacrum, sed speculativum tantum, unionis Verbi divini cum natura humana per incarnationem, et Christi cum Ecclesia per charitatem et influxum Spiritus Sancti. Hinc Adamus [3], afflatus divino spiritu prophetiæ, dicit:

[1] Sess. 7, can. 1. — [2] Sess. 24, cap. unic. *de Matrim.* — [3] *Gen.* 2.

Hoc nunc os ex ossibus meis... propter hoc... quæ verba sequentia tanquam a Deo prolata retulit Christus : *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ*, etc. In hoc sensu accipiendi sunt nonnulli SS. Patres Matrimonium infidelium Sacramenti nomine nobilitantes.

OBJECTIONES.

OBJICIES CUM MALDONATO : Probamus Matrimonium in Lege nova esse verum Sacramentum, ex cap. 5 *Ephes.*; atqui Apostolus eo loco manifeste loquitur de matrimonio Adami cum Eva : ergo fuit verum Sacramentum.

RESP. *Nego min.* Apostolus quidem meminit matrimonii Adami tanquam præcipuæ figuræ matrimonii Christianorum, docetque eam per Christum fuisse impletam, atque adeo ex figura explanavit rem significatam, nempe matrimonium Christianorum, quod solum *magnum est Sacramentum in Christo et in Ecclesia.*

INST. 1. Matrimonio Adami erat annexa gratia, namque Deus illi benedixit; ergo.

RESP. *Nego ant. Dist. prob.* Deus illi benedixit, conferendo corporis fœcunditatem, *conc.*; eodem enim modo Deus benedixit brutis animantibus, ut observat D. Aug.; conferendo animæ sanctitatem, *nego.*

INST. 2. D. Paulus putat naturam sacramenti Matrimonii in eo præsertim esse positam, ut vir et uxor sint una caro; atqui nullus vir magis fuit una caro cum sua uxore quam Adam, cum cæteri omnes dicantur una caro ad imitationem illius : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* In eo tantum, *nego*; in eo simul, et in significatione practica gratiæ sanctificantis, *conc. maj.*; hoc autem ultimum ex institutione Christi occurrit duntaxat in matrimonio Christianorum.

INST. 3. Matrimonium non ob aliam causam est Sacramentum, nisi ob significationem Christi et Ecclesiæ; atqui hæc significatio maxime propria fuit matrimonio Adami cum Eva : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Matrimonium non ob aliam causam est Sacramentum, improprio et latiori sensu, *conc.;* proprio et stricto sensu, *nego maj.;* et sic distinguendo min. *nego conseq.* Matrimonium enim Adami non habebat significationem practicam.

CONCLUSIO III.

Licitus est usus matrimonii et honestus.

Prob. Contra varios hæreticos veteres nubere prohibentes, et a variis Conciliis damnatos.

1. *Ex Apost.* dicente : *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus* [1].

2. Ex eodem dicente : *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro;* et infra addit, eum benefacere *qui matrimonio jungit virginem suam* [2].

3. Accedit ipsiusmet Christi auctoritas, qui, Joan. 2, præsentia sua nuptias in Cana Galilææ celebratas probavit, eisque benedixit.

Damnant quidem interdum Patres excessum conjugum in usu Matrimonii : at usum ipsum iis circumscriptum terminis, quos assignat Christiana religio, nunquam improbarunt; unde in ipso statu innocentiæ fuisset usus conjugii.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Res cujus usum non nisi ex indulgentia, seu venia concedit Apostolus, culpa non caret, nec consequenter in se bona videtur ; atqui conjugii usum non nisi ex indulgentia concedit Apostolus : *Hoc autem dico,* inquit, *secundum indulgentiam, non secundum imperium* [3]. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Si Apostolus concedat ex indulgentia tanquam malum, *conc.;* si concedat ex indulgentia tanquam minus bonum, *nego maj.;* atqui conjugii usum non

[1] Hebr. 13, v. 4. — [2] 1 Corint., 7. — [3] 1 Cor. 7.

et in legæ gratiæ, *sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, ait Christus ibid.

QUÆRES 2. *Quandonam Matrimonium fuit institutum?*

RESP. Si Matrimonium pro contractu sumatur, certum est ipsum fuisse institutum ante peccatum hominis, dum Deus per os Adami dixit : *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.*

Si vero sumatur pro Sacramento, nonnulli censent ipsum institutum fuisse, cum nuptias in Cana Galilææ celebratas Christus præsentia sua honestavit, primoque suo miraculo confirmavit; sed

Probabilius dicitur ipsum fuisse institutum, cum Christus [1] ejus indissolubilitatem sancivit, aut solemniter confirmavit; siquidem suavi ejus providentiæ congruum erat, ut tunc ad legem observatu difficilem observandam, gratiam sacramentalem promitteret ac conferret.

QUÆRES 3. *Qua ratione Matrimonium dicatur magnum sacramentum?*

RESP. Magnum dici, non quidem ratione gratiæ ab ipso collatæ, quæ omnium gratiarum sacramentalium est infima; sed ratione triplicis significationis. Significat enim:

1° Unionem Dei cum anima, quam Deus ipsemet, fide quæ per charitatem operatur, sibi desponsavit.

2° Unionem Christi cum Ecclesia, quam sibi sanguine suo comparavit.

3° Unionem Verbi divini cum humanitate, quam sibi indissolubiliter assumpsit.

QUÆRES 4. *Utrum Matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, verum sit Sacramentum?*

* RESP. *Prima sententia* negat, et hanc tenent Sanchez, Billuart, Pontius, auctor noster, etc., quia Matrimonium, quatenus est contractus, non potest esse in uno et non in alio, sed est necessario in duobus; ergo similiter Matrimonium, ut est sacramentum; sequitur enim, ut tale, naturam

[1] Matth. 19.

contractus: unde, quamvis duo intendant contrahere, et pars fidelis intendat Sacramentum conficere, tamen non conficit, nec recipit, quia compars non est subjectum capax. Non enim sunt plura sacramenta, quorum unum sit in uno contrahente, et aliud in alio, sed est unum in duobus partibus subjectis se habentibus per modum unius.

Secunda sententia affirmat : 1° quia gratis asseritur sacramentum sequi naturam contractus; 2° quia probabile non est tot sanctas mulieres olim cum infidelibus nubentes, voluisse connubia inire in quibus non obtinuissent gratias sacramentales, ut pie sancteque viverent in statu conjugali. Ita Daelman, Catharinus, Collet, etc.; utraque sententia est probabilis.

QUÆRES 5. *An inter duos fideles dari possit Matrimonium validum in ratione contractus, et non in ratione Sacramenti ?*

* *Nota.* In sententia quorumdam, qui docent Sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii, hæc separatio bene fieri potest, sed quam sit improbabilis hæc opinio fuse probabimus infra.

RESP. *Prima sententia* affirmat, quia de facto contingit in Lutheranis qui cum non agnoscant Matrimonium ut Sacramentum, sed ut pure contractum civilem, nihil aliud intendunt. Ergo nec ad aliud valet. Si catholicus ex malitia vel errore non intenderet nisi contractum, non reciperet sacramentum; quia non esset debita intentio ad sacramentum. Ita auctor noster, Vasquez, Cajetanus, etc.

Secunda sententia, longe probabilior et verior, negat. Ratio, quia ex eo quod contrahentes velint vere conficere contractum Matrimonii, ex ipso necessario conficiunt et recipiunt Sacramentum. Cum enim contractus matrimonialis evectus sit a Christo ad rationem Sacramenti, et partes contrahentes sint ministri hujus Sacramenti, ut communissima tenet sententia, necessario conficiunt et recipiunt Sacramentum. Contractus enim et Sacramentum

DICES : Consensus est causa Matrimonii ; ergo non ejus forma.

RESP. *Nego conseq.* Quia, licet in rebus physicis causa efficiens ab ipsa re causata distinguatur, hæc tamen in moralibus non distinguitur, ut patet in sacramento Pœnitentiæ, ubi absolutio est forma simul et causa efficiens Sacramenti.

INST. Consensus non determinat traditionem ad esse talem contractum ; ergo non est forma.

Prob. ant. Traditio supponit contractum jam completum ; ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Traditio physica supponit contractum jam completum, *conc.*; traditio moralis, *nego ant.*; nam ante matrimonii consummationem corpora fuere moraliter tradita et acceptata.

Amplior hujus quæstionis resolutio pendet ex sequenti ; unde

ARTICULUS III.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

CONCLUSIO.

Minister sacramenti Matrimonii non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. **Est communis contra Melchiorem Canum et quosdam recentiores.**

PROB. 1. *Ex Concilio Florentino* dicente : *Septimum est sacramentum Matrimonii... causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Unde sic argumentor :

Illi soli sunt Ministri matrimonii, qui conficiunt matrimonium ; atqui soli contrahentes conficiunt matrimonium per suum mutuum consensum : ergo, etc.

PROB. 2. *Ex Conc. Trid.*[1] definiente : *Clandestina Matri-*

[1] Sess. 24, cap. 1.

monia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Atqui in his matrimoniis non aderat Sacerdos, sed soli duo sponsi; ergo Sacerdos non est Minister matrimonii, sed soli sponsi; nam Sacramentum non potest sine ministro confici.

Nec dicas Concilia loqui de Matrimonio ut contractu, non ut Sacramento; nam loquuntur de Matrimonio rato; non autem est ratum nisi quatenus est Sacramentum, ut definit Innoc. III, dicens[1]: *Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit.* Præterea matrimonia rata sunt indissolubilia; atqui alia non datur hujus ratio, nisi quia sunt Sacramenta, ut patet ex eodem Innocent. III, dicente: *Quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugium* SACRAMENTUM, *ut ipsum in conjugibus durante perduret.* Ergo Concilia prædicta loquuntur de Matrimonio prout est Sacramentum.

PROB. 3. Christus per institutionem Matrimonii in Sacramentum, nihil immutavit de ratione contractus, et ipsum Sacramentum est essentialiter contractus; sed in omni contractu contrahentes sunt Ministri; ergo et hujus Sacramenti.

Confirmatur, quia certum est apud omnes quandoque ad validitatem Sacramenti sufficere præsentiam Parochi, etiam dissentientis et contradicentis, quod utique falsum esset, si hujus Minister Parochus esset, cum ad valorem Sacramenti necessario prærequiratur Ministri intentio.

*PROB. 4. *Ex praxi Ecclesiæ.* In locis ubi Concilii decretum promulgatum est, non raro evenit aliquos matrimonia contrahere testibus fortuito adstantibus et Parocho tacente. Ubi vero Concilium non fuit publicatum, matrimonia clandestina habentur ut valida. Atqui si contrahentes non essent Ministri, Ecclesia deberet eos compellere, aut saltem

[1] Cap. *Quanta*, de Divortiis.

Nec obstat dicere quod Ecclesia potest regere contractum naturalem ut sit materia apta ad Sacramentum, nam respondetur Ecclesiam non habere potestatem in contractum naturalem, nisi quia est in ratione Sacramenti; sed in opinione adversariorum, contractus naturalis non est in ratione Sacramenti prout existit ante Sacramentum, non magis ac aqua naturalis, quæ est materia *remota* Baptismi; eo magis quia dicunt quod si sententia nostra esset vera, nihil sacrum, nihil sanctum, nihil quod a contractu mere naturali differat, deprehenderetur. Ergo nihil Ecclesia posset in contractum naturalem, sed solis principibus sæcularibus vindicanda esset potestas opponendi impedimenta dirimentia Matrimonio.

PROB. 9. *Ex auctoritate Theologorum.* Certum est omnes Theologos, ne uno quidem excepto, usque ad Melchiorem Canum, id est usque ad sæculum XVI^{um}, docuisse Matrimonii ministros esse contrahentes, ita ut cum in lucem prodierit opinio quam impugnamus, temerariam, falsam, erroneam esse, nec sine temeritatis nota sustineri posse conclamarunt; atqui hic unanimis Theologorum consensus in re tanti momenti, veridicum est veritatis testimonium; inconveniens enim esset asserere viros innumerabiles, inter quos tot fuerunt pietate et scientia eximii, uno tramite errasse, nec sensum et praxim Ecclesiæ cognovisse. Ergo, etc. *

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ille verus dici debet Minister sacramenti Matrimonii, qui contrahentes vere conjungit in Matrimonium; atqui Sacerdos vere conjungit contrahentes in Matrimonium: ergo, etc.

Prob. min. Ex Conc. Trid. [1]: *Sacerdos dicat*, inquit: *Ego vos in matrimonium conjungo;* ergo vere conjungit contrahentes in Matrimonium.

[1] Sess. 24, cap. 1.

RESP. *Dist. conseq.* Conjungit approbative, ita ut sensus sit: Conjunctionem vestram approbo, *conc.;* efficienter, *nego.* Certum est enim quod aliis verbis uti posset ad suam approbationem manifestandam; addit enim Concilium: *Vel aliis utatur verbis.* Quæ verba exponentes Cardinales Conc. Trid. interpretes dicunt: *Etsi Parochus nihil dicat, constat tamen Matrimonium, modo partes contrahant et Parochus sit præsens, et intelligat id quod agitur, licet dissentiat et contradicat.*

INST. 1. Eodem sensu et modo Sacerdos dicit : *Ego vos conjungo,* quo dicit: *Ego te baptizo;* atqui per hæc verba: *Ego te baptizo,* baptizat efficienter; ergo per illa: *Ego vos conjungo,* conjungit efficienter.

RESP. *Nego maj.* Disparitas sumitur ex Tridentino, docente matrimonia olim valuisse sine illis verbis, non autem Baptismum, ex quo sequitur illa verba esse meram benedictionem, non vero formam Sacramenti.

INST. 2. Illa benedictio est essentialis; ergo est forma.

Prob. ant. Ex Evaristo Papa dicente [1]: *Connubia sine sacerdotali benedictione contracta seu præsumpta, non conjugia esse, sed adulteria.* Ergo benedictio est essentialis.

RESP. 1. Illud ab adversariis esse solvendum, cum non negent conjugia sine prædicta benedictione esse vera conjugia, sed tantum non esse Sacramenta.

RESP. 2. *Nego conseq.* Evaristus enim loquitur secundum præsumptionem fori externi, non reputantis Matrimonium illum verum esse quod non potest probari; alias repugnaret Conc. Tid., asserenti Matrimonia clandestina rata et vera fuisse Matrimonia.

INST. 3. Parochus, per hæc verba: *Ego vos conjungo,* Matrimonium sanctificare dicitur a Patribus [2]; ergo ipsum efficit Sacramentum.

RESP. *Dist. ant.* Dicitur sanctificare sanctificatione accidentali, quæ habetur per benedictionem Sacerdotis et preces

[1] Cap. *Aliter,* 30 q. 5. — [2] Ita D. Amb., ep. 7.

ei adjunctas, *conc.*; sanctificatione sacramentali quæ habetur ex opere operato, *nego ant. et conseq.*

OBJICIES 2. Omnium Sacramentorum Ministri personam gerunt Christi in eis conferendis ; atqui contrahentes personam Christi non gerunt, alioquin Christus contraheret : ergo non sunt Ministri.

RESP. *Dist. min.* Contrahentes personam Christi non gerunt, quatenus corpora sua sibi mutuo tradunt et acceptant, *conc.*; quatenus per illam traditionem et acceptationem, gratiam ex institutione Christi sibi conferunt, *nego min.* Christus enim non instituit contractum, sed eum jam constitutum elevavit ad rationem Sacramenti, in quo solo contrahentes gerunt personam Christi.

INST. In aliis Sacramentis quæ in usu consistunt, semper Minister diversus est a suscipiente; ergo et in Matrimonio.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est quod hoc Sacramentum consistat in ipso conjugum contractu a Christo ad esse sacramentalem elevato ; iidem autem necessario sunt qui contrahunt et obligantur, quod non contingit in aliis Sacramentis.

OBJICIES 3. In Ministro necessaria est intentio faciendi Sacramentum; atqui idiotæ contrahentes non intendunt facere Sacramentum : ergo non sunt Ministri.

RESP. *Dist. maj.* In Ministro necessaria est intentio faciendi Sacramentum implicita, *conc.*; explicita, *nego maj.* Sufficit enim ut generatim intendant contrahere Matrimonium eo modo quo in Ecclesia Christi contrahitur; hoc enim ipso censentur implicite intendere hoc Sacramentum.

OBJICIES 4. Concilium Mediolanense V[um] ait : *Cum Sacramenta quinque tantum, scilicet Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Matrimonium et Extremam-Unctionem Parochus administrare possit*; ergo Parochus est minister.

RESP. *Dist. conseq.* Est Minister improprie, sicut Diaconus et alii assistentes consecranti dicuntur Ministri, *conc.;* proprie, *nego conseq.* Igitur ministerium Sacerdotis in Matrimonio importat puram solemnitatem ejus in facie Ecclesiæ, quæ, ex Decreto Tridentini, est conditio necessaria, ut valeat Sacramentum.

INST. Atqui Parochus est minister proprie et stricte, ait enim Sacerdotale Romanum : *Sacerdos proferat verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti cum consensu utriusque.*

RESP. *Dist. textum.* Verba Sacerdotis sunt forma hujus Sacramenti integraliter sumpti, *conc.;* essentialiter sumpti, *nego.* Forma igitur sacramenti Matrimonii integraliter sumpti constat, tum ex utriusque contrahentis consensu ejus essentiam constituente, tum ex Sacerdotis verbis ad ejus solemnitatem pertinentibus.

QUÆRES : *An validum sit Matrimonium inter absentes celebratum ?*

Nota. Concedunt omnes Theologi Matrimonium inter absentes celebratum, esse validum in ratione contractus, ad quem non est necesse ut partes contrahentes sint præsentes, modo procuratores habeant authenticum mandatum et non excedant ; sed utrum valeat in ratione Sacramenti, discordia est inter Theologos ; quæ ut dirimatur,

RESP. *Matrimonium inter absentes christianos ritu legitimo per procuratorem celebratum, verum est Sacramentum.*

PROB. Quia in tali Matrimonio adsunt omnia requisita ad Sacramentum, scilicet materia, forma et Ministri ; adest materia, nempe contrahentium corpora quæ adsunt moraliter ; adest forma, nempe consensus vel per procuratorem, vel per litteras, vel per nuntium expressus ; adest intentio Ministri, id est contrahentium, qui vel procuratorem, vel nuntium, vel litteras ad hunc finem transmiserunt ; ergo est verum Sacramentum.

Confirm. Quia Ecclesia de his Matrimoniis judicat ; ergo

non sunt intra terminos puri contractus civilis, sed habent aliquid sacri et divini.

OBJICIES 1. Alia Sacramenta non dantur absentibus per procuratores, ergo nec Matrimonium.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod validitas sacramenti Matrimonii fundetur in validitate contractus, ad quam non requiritur præsentia personalis contrahentium, modo constet de consensu ; non ita est de aliis.

INST. 1. Non valet confessio nec absolutio absentium, ergo nec Matrimonium ; eadem est enim ratio in utroque.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quia confessio et absolutio sacramentales exigunt dispositiones pœnitentis, quæ debent esse præsentes Sacerdoti cum absolvit, scilicet verecundia, contritio, propositum in corde, etc. In Matrimonio autem solum requiritur consensus realis, de quo sufficienter constat per procuratorem cum mandato speciali.

INST. 2. Matrimonium per procuratorem initum iteratur in Ecclesia; ergo non est Sacramentum.

RESP. *Nego ant.* Nam tantum confirmatur a præsentibus, et celebrantur cæremoniæ accidentales omissæ.

OBJICIES 2. Si valeret Sacramentum pro absente, aliquis dormiens posset recipere gratiam, vel perpetrare sacrilegium, si nempe in peccato mortali esset dum per procuratorem Matrimonium contraheret; atqui hæc sunt absurda.

RESP. *Nego min.* Ad *primum,* nullum est inconveniens, cum gratia sacramenti Pœnitentiæ a delirante antea attrito et confesso possit percipi. Nec ad *secundum,* tunc enim tantummodo peccatum perpetraret, dum somno se dando prævideret tempore somni celebrandum fore Matrimonium.

INST. Non datur actio in distans ; ergo Sacramentum datum in uno loco non potest operari gratiam, nec vinculum conjugale, in altero loco.

RESP. *Dist. ant.* Non datur actio in distans agentis physice, *conc.* ; agentis moraliter, *nego ant.* Sacramentum au-

tem Matrimonii operatur actione morali, et ideo absentes afficit.

ARTICULUS IV.

DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

Nota 1. Concedunt omnes Theologi mutuum contrahentium consensum ita ad Matrimonii contractum necessarium esse, ut de potentia Dei etiam absoluta, nullus absque eo esse possit, cum id manifestam involvat contradictionem; sequeretur enim contractum fieri et non fieri.

Dixi : *Ad contractum Matrimonii;* nam si matrimonium sumatur prout est vinculum, certum est quod Deus conjuges etiam invitos ligare possit, cum potestatem in eorum corpora longe majorem habeat quam ipsimet conjuges; hanc autem potestatem non concessit Ecclesiæ, licet potuerit.

Nota 2. Circa matrimonialem consensum duo nobis examinanda occurrunt, nempe objectum ejus, et conditiones necessario ad eum requisitæ.

Nota 3. Circa objectum consensus, conveniunt omnes consensum in mutuam et irrevocabilem in corpora potestatem omnino ad valorem Matrimonii requisitum esse, cum is ad materiam Matrimonii substantialem spectet, nec ullum absque materia possit esse Sacramentum; sed circa hujus potestatis usum, seu circa mutuam copulam, grave dubium exoritur, ad quod solvendum,

CONCLUSIO I.

Ad valorem Matrimonii non requiritur consensus in copulam, id est, non requiritur ut intendatur copula carnalis.

PROB. 1. Ex Matrimonio inter B. Virginem et B. Josephum celebrato, quod verum erat Matrimonium, ut constat ex Evangelio sæpius Mariam Josephi conjugem, et Josephum Mariæ virum vocante; atqui neuter in copulam

consensit; imo se per votum obligarunt ad abstinendum ab ea; ergo ad valorem Matrimonii, etc.

PROB. 2. Quia quod Matrimonio non est essentiale, ab ipso separari potest, salva ejus substantia; atqui copula carnalis non est essentialis Matrimonio: ergo, etc.

Prob. min. Quod est posterius Matrimonio, non est essentiale Matrimonio; atqui copula carnalis est quid posterius Matrimonio, cum Matrimonium consistat essentialiter in mutua traditione et acceptione corporum: ergo, etc. Hinc, eo ipso perficitur contractus Matrimonii, quo conjuges sibi mutuo tradunt potestatem in sua corpora, etsi postmodum ea nunquam usuri sunt.

OBJICIES 1. Jus mutuum petendi et obligatio reddendi debitum sunt de essentia Matrimonii; sed sine formali intentione copulæ neutrum subsistit; ergo hæc intentio est necessaria.

RESP. *Dist. maj.* Jus et obligatio radicalis et remota, *conc.;* jus et obligatio proxima et actualis, *nego maj.;* similiter distincta minore, *nego conseq.* Nam jus illud et obligatio illa proxima non est de essentia Matrimonii, sed solum jus radicale et obligatio in actu primo, quale possunt habere sponsi etiam voto castitatis obstricti, cujus juris virtute licite copulam exercere possent absque novo matrimonio, si a voto dispensarentur.

OBJICIES 2. Essentiale est Matrimonio ut ad generationem ordinetur; atqui Matrimonium ubi excluditur copula, ad generationem non ordinatur: ergo non est verum Matrimonium.

RESP. *Dist. maj.* Essentiale est Matrimonio ut ordinetur ad generationem radicaliter, remote et implicite, *conc.;* actualiter, proxime et explicite, *nego maj.*

Itaque, sicut Sacerdotes per ordinationem suam veram potestatem accipiunt absolvendi a peccatis, licet ipsam defectu subditorum exercere non valeant; ita sponsi, voto castitatis obstricti, veram potestatem habent ad generationem

ordinatam, licet propter votum emissum hæc potestas non sit libera, expedita et proxima : quod sane non impedit quominus verum inter ipsos adsit Matrimonium, sicut vera est simplicium Sacerdotum ordinatio ad peccatores absolvendos.

Inst. Matrimonium copulam excludens bono prolis adversatur; atqui nullum est Matrimonium celebratum sub conditione bono prolis adversante : ergo Matrimonium excludens copulam nullum est.

Resp. *Dist. maj.* Bono prolis adversatur negative, quatenus scilicet ad prolem generandam nihil confert, *conc.*; adversatur positive, quatenus prolem generatam, aut ex copula exercitata generandam impedit, *nego maj.*; et sic ad minorem; si enim nullum esset Matrimonium ubi nulla speratur proles, Matrimonium senum decrepitorum, qui copulam exercere non valent, invalidum esset; item dissolveretur Matrimonium dum sponsi ex mutuo consensu continentiam servare statuerent, quæ falsa sunt omnino.

* *Nota.* Ad consensum matrimonialem necessario requiruntur quinque conditiones : 1° debet esse verus, internus et mutuus ; 2° signo aliquo externo expressus; 3° de præsenti ; 4° consensus utriusque simul moraliter ; 5° omnino liber, id est immunis a metu gravi, injuste a causa libera ad hoc incusso; pro quorum intelligentia consulentur doctores morales [1]. *

Quæres : *An ad valorem Matrimonii requiratur consensus parentum ?*

Resp. *Neg.* contra Lutherum, Erasmum et alios. Ex Conc. Trid. [2], quod *eos anathemate damnat qui falso affirmant Matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Ratio 1ª est, quia omnis homo sufficienti ratione ac legitima ætate præditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus suum, independenter a parentibus.

[1] Vid. S. Lig., lib. 6, n. 887 et seqq. — [2] Sess. 24, c. 1.

* Unde S. Thomas [1] ait: *Tenetur autem homo homini obedire in iis quæ exterius per corpus sunt agenda : in quibus tamen, secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo ; quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem. Unde nec servi tenentur dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda.*

2ª Quia si filiorum familias insciis parentibus vel etiam invitis matrimonium contractum esset nullum, sequeretur filiosfamilias etiam ætate provectos non posse matrimonium inire, si parentes contradicerent, quod prorsus est alienum a sensu et moribus omnium gentium.

3ª Quia consonum est Scripturæ Sacræ; sic enim jam fuisse in antiqua lege ostenditur, nam Esau [2] duxit uxores sine voluntate parentum; Jacob [3] duxit insciis parentibus; Tobias [4] pariter fecit, nec ideo reprehensi sunt. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies. 1. Voluntas filiorum jure naturali in voluntate parentum continetur; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Continetur antequam filii tempus perfecti judicii attigerint, *conc.* ; cum attigerint, *subdist.* In his quæ spectant bonorum paternorum usum, curam ac disciplinam domesticam, *conc.* ; in iis quæ spectant proprium suum ac personalem statum, qualis est status religionis vel matrimonii, *nego.*

Objicies 2. Antiquæ leges romanæ consensum parentum ad valorem matrimonii filiorumfamilias requirunt; ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ratio est, quod tales leges a jure canonico sint emendatæ [5].

Inst. Multi Summi Pontifices matrimonia absque paren-

[1] 2 2, q. 104, art. 5. — [2] Gen. 26 et 28. — [3] Gen 29, 30. — [4] Ibid. 7.
[5] Cap. *Cum apud*, de Sponsal.

tum consensu celebrata, vocant adulteria, stupra, fornicationes; ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Sic enim appellantur non propter invaliditatem, sed propter illicitatem.

Objicies 3. Juribus regni Galliæ matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur irrita, ut constat ex edictis Henrici III, in comitiis Blesensibus, art. 40 et 41; Henrici IV, ann. 1606; Ludovici VIII, ann. 1029; Ludovici XIV, ann. 1697. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Declarantur irrita quoad effectus civiles, *conc.;* quoad effectus sacramentales, *nego ant.;* nam in ipsos non habet jus potestas civilis.

In edicto Blesensi ista clausula: *invalide contractum*, ut attente legenti patebit, spectat duntaxat matrimonium aut clam, aut in raptu contractum, quæ duo sunt impedimenta dirimentia, lege tum ecclesiastica, tum civili. Dicta vero clausula: *invalide contractum*, non cadit præcise aut in defectum proclamationis bannorum, aut in defectum consensus parentum, nisi saltem tanquam in signum certum conjugii clandestini aut in raptu contracti, adeoque nullitatem repetit vel ex clandestinitate, vel ex raptu saltem seductionis.

Hunc esse sensum edicti Blesensis declarat Henricus IV, qui hanc ejus clausulam: *invalide contractum*, intelligit et interpretatur de matrimoniis clandestinis *quæ coram Ecclesia cum forma et solemnitate requisita, celebrata non fuerint, quandoquidem pœna hæc per Concilia indicta est ac decreta.* At certum est pœnam nullitatis non decerni a Conciliis, maxime a Tridentino, in matrimonia quibus tantum deest consensus paternus, sed in ea quæ vel clam, vel in raptu celebrantur; ergo neque Blesense, neque Henrici IV edictum hanc pœnam decernit propter solum defectum consensus parentum, sed propterea quod matrimonium non sit coram Ecclesia, ut oportet, celebratum.

Ludovicus XIII, in art. 39° edicti quod emisit circa Ma-

clesiæ, quæ sola auctoritatem suam in res spirituales, qualia sunt Sacramenta, potest exercere.

* Utrum vero et quandonam filiifamilias absque parentum aut tutorum consensu nubentes peccent graviter, vide Theologos morales, S. Lig., lib. 6, n. 849 et seqq.

CAPUT II.

DE MATRIMONII BONIS ET PROPRIETATIBUS.

QUÆRES 1. *Quot sint bona Matrimonii?*

RESP. Sunt tria, assignata a Conc. Flor. in decreto; scilicet proles, fides et Sacramentum.

Per *prolem* intelligitur prolis susceptio, et educatio ad cultum Dei.

Per *fidem* intelligitur unitas et indissolubilitas matrimonii.

Per *Sacramentum* intelligitur tum gratiæ sanctificantis augmentum, tum gratia sacramentalis, quæ definitur: *auxilium speciale ad onera Matrimonii facilius sustinenda, illoque debite utendum.*

QUÆRES 2. *Quot sint proprietates Matrimonii?*

Resp. Sunt tres, quarum

Prima est *unitas,* secundum quam vir plures uxores, et uxor plures viros habere non possunt.

Secunda est *indissolubilitas*, quia conjux ab altero conjuge vivente separari nequit. De quibus duplici articulo.

Tertia est *castitas,* qua usus Matrimonii sanctificatur: de qua apud morales.

ARTICULUS I.

DE UNITATE MATRIMONII.

Nota. Unitati Matrimonii opponitur *poligamia,* seu conjugum pluralitas; hæc autem vel est successiva, et dicitur *bigamia;* vel simultanea, et hæc rigidior poligamia est.

Bigamia est ulterius connubium, nempe secundum, tertium, quartum post compartis mortem.

Poligamia est connubium unius viri cum pluribus simul uxoribus, aut unius uxoris cum pluribus simul viris, et tunc dicitur *polyandria,* seu biviratus.

§ I.

De Bigamia, seu Poligamia successiva.

CONCLUSIO.

Ecclesia secundas et ulteriores nuptias generatim nec persuasit unquam, nec ex voto probavit, a quibus exoptasset ut abstinerent fideles ; nusquam tamen eas pro noxiis ac per se illicitis habuit. **Est de fide contra Montanistas et Novatianos secundas nuptias damnantes, ut illicitas ac per se malas.**

PROB. TOTA PROPOSITIO. 1. Ex 1 Cor. 7: *Mulier alligata est legi* (Matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit ; quod si dormierit vir ejus, liberata est ; cui vult nubat ; tantum in Domino : beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* Ad quæ verba attendens Conc. Flor. ait : *Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum canonicum non obstet, licite contrahi posse,* etc.

PROB. 2. Ex Patribus, dicentibus cum D. Hieron [1] : *Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest, octogamos ;* et infra : *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur.*

Ex his facile infertur Ecclesiæ votum ac desiderium fuisse, ut fideles a secundis et ulterioribus nuptiis abstinerent ut minus perfectis ; nunquam tamen eas pro illicitis ac per se malis habuisse : alias nec Apostolus nec Patres eas permisissent.

[1] *In Apologia ad Pammachium.*

OBJICIES: Olim in Ecclesia Græca bigami pœnitentiæ subjiciebantur, ut patet ex concilio Neocæsariensi [1]; ergo secundæ nuptiæ per se sunt illicitæ.

RESP. *Nego conseq.* Pœnitentia enim illa in Ecclesia Græca bigamis imponebatur, non quod secundæ nuptiæ per se haberentur illicitæ, sed propter incontinentiæ speciem quam præ se ferre videntur.

INST. 1. Si Ecclesia putaret illas nuptias esse licitas, non prohiberet eas benedici; atqui hoc prohibet.

RESP. *Dist. ant.* Nam motivum illius prohibitionis est: 1° continentia vidualis, quam per illam benedictionis prohibitionem suadere intendit Ecclesia; 2° est defectus significationis honorificæ quæ in primis nuptiis relucet, nempe ut sit una unius, sicut unus est Christus et unica quam sibi desponsavit, Ecclesia.

INST. 2. Ecclesia bigamos declarat irregulares; ergo in secundis nuptiis est peccatum, irregularitas enim supponit peccatum.

RESP. *Nego conseq.* Hæc enim irregularitas non est *ex delicto*, sed *ex defectu Sacramenti*, quia non perfecte repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ unius est cum una.

INST. 3. Sancti Patres [3] iteratas nuptias vocant fornicationes et adulteria; ergo sunt per se malæ et illicitæ.

RESP. *Nego conseq.* Non enim propter seipsas dicuntur fornicationes et adulteria, sed propter effusam incontinentiam, quæ in nuptiis toties repetitis seipsam prodit ac manifestat.

§ II.

De Polygamia simultanea.

Nota 1. Certum est polygamiam respectu mulierum, seu *biviratum*, ipso jure naturæ esse illicitam, utpote fini primario Matrimonii, scilicet generationi et educationi oppo-

[1] Can. 1. — [2] D. Basilius et Greg. Nazian.

sitam : 1° generationi, quia varium semen masculinum est infœcundum ; 2° educationi, quia patre incerto proles ab utroque coeunte negligeretur.

Nota 2. Duplex distingui debet jus divinum, scilicet naturale et positivum.

Jus divinum naturale est quod a natura, id est a Deo auctore naturæ, nobis est insitum.

Jus divinum positivum est illud quod pendet a libera voluntate Dei aliquod prohibentis vel permittentis, estque nobis per Scripturam vel Traditionem manisfestatum.

Inter illa autem quæ jure naturali prohibentur, alia pertinent ad prima et universalia principia quæ a nemine ignorantur, aut saltem quæ non ignorantur sine culpa, v. g. : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Non licet occidere innocentem.* Res hujusmodi intrinsecam et inseparabilem continent malitiam, qua fit ut nullo unquam bono fine possint cohonestari et fieri licitæ.

Alia vero pertinent ad remotiora quædam principia, quæ ex primis tanquam conclusiones derivantur, et quæ idcirco dicuntur repugnare juri naturali, quod naturæ propensioni et inclinationi minus sint consentanea; istorum malitia non est ita evidens quin possit invincibiliter ignorari; inde fit ut res hujusmodi, mutatis rerum et personarum circumstantiis, dispensante legislatore, licitæ aliquando evadant ... His præmissis communiorem Theologorum sententiam tribus propositionibus aperiemus.

CONCLUSIO.

Simultanea uxorum pluralitas adversatur legi naturali, primævæque Matrimonii institutioni.

PROB. 1. *Ex Gen.* 2, ubi dicitur : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Atqui duorum in carne una conjunctio, poligamiam excludit, qua non duo, sed plures essent in carne una;

ergo, etc. *Hinc* Patres violatæ legis et adulterii accusant *Lamech*, quod duas uxores acceperit.

PROB. 2. *Ratione*. Naturalis æquitas exigit ut in omni contractu servetur æqualitas; atqui si mulier totum corpus suum uni viro tradat, et vir non suum totum corpus tradat mulieri, non servatur æqualitas; ergo nec servatur æquitas naturalis: ergo est contra jus naturale [1].

OBJICIES : D. August. [2] ait pluralitatem simultaneam uxorum nulla lege fuisse prohibitam patriarchis; ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Nulla lege positiva, *conc.;* nulla enim ante Christum fuit lex pluralitatem uxorum prohibens, et contraria consuetudo invaluerat apud Judæos, Deo dispensante; nulla lege naturali, *nego ant.*

INST. Atqui D. Aug. loquitur de lege naturali; nam [3] ait: *Neque enim pluralitas uxorum contra naturam nuptiarum est;* ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Ad prob., *dist.;* D. Aug., per ly *naturam nuptiarum*, intelligit finem primarium Matrimonii, *conc.;* intelligit tam finem primarium, quam secundarios, *nego*. Itaque fatemur pluralitatem uxorum simultaneam, non adversari fini primario Matrimonii, filiorum nempe procreationi; verum adversatur fini secundario, mutuo nempe conjugum obsequio, strictæque eorum amicitiæ;

1 * *Nota.* Maldonatus et alii asserunt pluralitatem uxorum nec juri naturæ adversari, nec finibus Matrimonii, ita ut si Christus non prohibuisset, etiamnum hoc licitum esset. Sed dicendum est cum D. Th., *Suppl.*, q. 65, polygamiam non repugnare finibus primariis Matrimonii, sed secundariis; consequenter non esse contra jus primarium naturæ, sed secundarium; unde polygamia non solvit naturam Matrimonii, sed ejus finem assequendum reddit difficilem. Ratio primi est, quia finis primarius Matrimonii est procreatio prolis ejusque educatio; atqui polygamia non adversatur huic fini, quia unus vir sufficit pluribus feminis fœcundandis, et pluribus filiis inde natis educandis. Ratio secundi est, quia secundarii fines sunt pax et tranquillitas domestica, atque mutua obsequia; sed quam difficile sit hæc bona assequi cum polygamia nemo non videt; aliunde finis alter secundarius Matrimonii est significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia; sed polygamia destruit hanc significationem. Ergo, etc.

2 Lib. 22 *contra Faust.* — 3 Lib. *de Bono conjugii.*

difficile quippe est ut vir omnes suas uxores æqualiter diligat; unde rixæ, contentiones, zelotypiæ, etc., quæ pacem familiarum perturbant.

Subsumes: Atqui poligamia non adversatur legi naturali; ergo, etc.

Prob. subsumpt. Deus dispensavit cum Patriarchis, ut plures simul ducerent uxores; atqui nulla potest esse dispensatio in lege naturali: ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* In lege naturali invariabili, *conc.*; variabili, *nego min.* Jus naturale est invariabile quoad universalia principia, ac primarium naturæ finem, et in his nulla potest esse dispensatio; quæ enim ipsis sunt opposita, sunt intrinsece mala; sed jus naturale variare potest circa conclusiones et secundarios naturæ fines, ut dictum est not. 2.

CONCLUSIO II.

Deus a lege vetante Polygamiam dispensavit cum veteribus Patriarchis et aliis in lege Mosaica.

PROB. Quod est contra jus naturale, sola Dei auctoris naturæ dispensatione potest fieri licitum; atqui veteribus Patriarchis populoque judaico licitum fuit plures simul habere uxores, ut testatur Innoc. III[1], dicens: *Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuerit divina revelatione concessum .... per quam sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a furto, Samson ab homicidio, sic et Patriarchæ et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.* Ergo cum illis Deus dispensavit.

DICES: Mulieres illæ quas Patriarchæ uxori adjungebant, vocantur in Scriptura *concubinæ*, earumque liberi hæredes non fuerunt, ut constat ex facto Abrahæ[2]; ergo mulieres illæ non erant uxores legitimæ.

RESP. *Nego conseq.* Nam eædem mulieres quas Scriptura

[1] Cap. *Gaudemus*, de Devortiis. — [2] Gen. 25.

concubinas vocat, appellantur etiam uxores; sic Agar, quæ erat *concubina* Abrahæ, *uxor* vocatur [1].

Igitur apud Hebræos duo fuerunt genera uxorum; nam aliquæ ad bonorum communitatem ac rei domesticæ administrationem admittebantur, semperque uxores et matresfamilias appellabantur, atque soli earum liberi ad hæreditatem paternam vocabantur. Aliæ vero assumebantur tantum ad filiorum procreationem, qui tamen hæredes non erant, sed nonnulla duntaxat accipiebant munera, hæ autem veræ erant uxores, sed sæpius *concubinæ* vocabantur, a matribus familias honore, gradu et bonis diversæ, non vinculo matrimoniali.

CONCLUSIO III.

Christus in Lege nova Matrimonium ad primævam suam revocans originem, dispensationem datam veteribus plane revocavit, atque conjunctionem cum pluribus simul uxoribus illicitam fecit et irritam.

Propositio est de fide contra Lutherum, Melancthonem cum sociis, qui in famosa consultatione data in favorem landgravi Hesciæ, ann. 1539, approbarunt ut, vivente adhuc prima uxore, aliam in matrimonium sibi copularet.

PROB. Ex Script. [2] : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur;* ergo a fortiori mœchatur qui priori retentæ alteram adjungit. Et Matth. 19 dicitur : *Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ubi Christus licentiam antiquis Patriarchis concessam aperte revocat, et Matrimonium ad primævam institutionem reducit; *non* enim *dixit : tres vel plures, sed duo ; nec dixit : adhærebit uxoribus, sed uxori,* ait Innoc. III [3]. Hinc Conc. Trid. [4] definit : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina prohibitum, anathema sit.*

[1] Gen. 16. — [2] Lucæ 16. — [3] Cap. 8 *de Divortiis.* — [4] Sess. 24, can. 2.

DICES : Greg. III[1] cuidam permittit secundam uxorem propter ægritudinem prioris, quam antea duxerat; ergo.

RESP. *Dist. ant.* Permittit secundam uxorem, primo Matrimonio irrito, *conc.;* stante primo Matrimonio, *nego ant.* Hoc itaque permittit Summus Pontifex, quia nullum erat prius Matrimonium, nimirum ob perpetuam impotentiam qua laborabat illa mulier. *Quod proposuisti,* inquit, *si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere : quid ejus faciat jugalis?* En species.

ARTICULUS I.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Nota. Dissolutio Matrimonii alia est propria, alia impropria.

Dissolutio Matrimonii propria, ea est qua conjuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint inire nuptias; vocaturque dissolutio *quoad vinculum.*

Dissolutio impropria, quæ et *divortium* dicitur, est ea qua conjuges fiunt immunes vel ab obligatione reddendi debiti, et dicitur dissolutio *quoad torum;* vel ab obligatione simul habitandi, et dicitur dissolutio *quoad habitationem,* vel ab utraque, tum reddendi debiti, tum cohabitandi obligatione. De hoc ultimo remittitur ad Theologiam moralem.

§ I.

De Indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum.

Nota. Matrimonia *legitimum*, *ratum* et *consummatum* inter se distant firmitatis gradu; quod enim inter Christianos ratum est per Baptismum, firmitate superat illud quod inter infideles legitimum quidem ac verum est, sed non ratum; unde fit ut dissolvi possit per unius conjugis conversionem ad fidem christianam. Pariter, quod ratum

[1] Cap. 14, 32, q. 7.

est ac consummatum inter Christianos, perfectius est eo quod nondum est consummatum, quia ratum sed nondum consummatum, solvi potest per solemnem religionis professionem; ratum vero et consummatum sola morte potest solvi.

CONCLUSIO I.

Quodvis Matrimonium sive legitimum, sive ratum, sive consummatum, jure divino est indissolubile quoad vinculum.

PROB. PROP. Quæ est definita in Conc. Trid. [1] his verbis: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronuntiavit*, etc., quam indissolubilitatem Christus [2] confirmans, ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Apostol. [3] docet: *Iis qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et ne quis existimet hos textus esse intelligendos de Matrimonio solummodo consummato, Christus [4] dixit: *Qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, mæchatur;* atqui mulier per Matrimonium solummodo ratum, est vera uxor: ergo nullus hominum illud solvere potest.

CONCLUSIO II.

Matrimonium ratum, sed nondum consummatum, jure naturæ non est indissolubile.

PROB. Quia omnes contractus, quantumvis rati, si spectetur solum jus naturæ, ex utriusque contrahentis consensu, sunt dissolubiles, modo nullum inde contra naturam sequatur inconveniens; atqui dissolutione matrimonii rati, nullum sequitur contra naturam inconveniens, neque ex parte generationis, neque ex parte prolis educandæ, ut constat. Ergo, etc.

[1] Sess. 24. — [2] Matt. 19. — [3] 1 Cor. 7. — [4] Luc. 16.

CONCLUSIO III.

Matrimonium consummatum, jure naturali est indissolubile.

PROB. Solubilitas matrimonii consummati est contra naturam; ergo matrimonium consummatum, jure naturali est indissolubile.

Prob. ant. 1° Quod adversatur fini primario alicujus rei, est contra ejus naturam; atqui solubilitas matrimonii consummati adversatur fini primario matrimonii, scilicet debitæ prolis generationi, ejusdemque rectæ educationi, quæ exigunt firmum ac perpetuum conjugum nexum; ergo solubilitas matrimonii consummati est contra naturam matrimonii. 2° Quia ex dissolubilitate matrimonii eadem nascerentur incommoda quæ ex fornicatione; atqui fornicatio est contra legem naturalem: ergo. 3° Illud est de natura rei quod ponitur in definitione ut genus maxime proximum; atqui, etc.

OBJICIES 1. Matrimonium ratum non est indissolubile jure naturæ; ergo nec consummatum.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Matrimonium ratum significet duntaxat unionem Christi cum fidelibus per charitatem, quæ dissolvitur per peccatum lethale; consummatum e contra significet unionem Christi cum humanitate per incarnationem, quæ dissolvi non potest, *quod enim Christus semel assumpsit, nunquam dimisit.* Hanc disparitatem tradit Innoc. III[1].

OBJICIES 2. Quod jure naturali indissolubile est, non potest a Deo dissolvi; atqui, ex dicendis infra, matrimonii consummati vinculum dissolvi potest a Deo. Ergo.

RESP. *Nego maj.* Quia Matrimonium non est jure naturali indissolubile per exclusionem auctoritatis divinæ, sed solum per exclusionem privatæ hominum auctoritatis; licet enim nullus homo, in ea quæ sunt juris natu-

[1] Cap. *Debitum*, de Bigamis.

ralis, auctoritatem suam possit exercere, tamen Deus, auctor naturæ, pro suo supremo in res omnes dominio, id potest : sic Matrimonium, quantumvis consummatum, potest dissolvere, auferendo utrique conjugi dominium quod habet in corpus alterius, et sua providentia impediendo incommoda inde sequi nata, aut suppeditando media ad illa vitanda.

INST. Jus naturale est immutabile; ergo in eo dispensatio locum non habet.

RESP. *Dist. ant.* Jus naturale est immutabile quantum ad universalia principia, et ea quæ intrinsecam habent malitiam, *conc.;* quantum ad principia remotiora, et ea quæ non sunt intrinsece mala, qualis est pluralitas uxorum et solubilitas vinculi conjugalis, *nego ant.*

OBJICIES 3. Multi imperatores christiani permiserunt repudium; ergo est licitum jure naturæ.

RESP. *Nego conseq.* A facto enim ad jus non debet trahi argumentum, cum SS. Patres uno ore iniquas pronuntient leges civiles de divortiis.

Nota. Multa hic de dissolutione Matrimonii quæri solent, quæ, claritatis gratia, distinctis punctis absolvemus.

PUNCTUM I.

Utrum Matrimonium in infidelitate contractum dirimatur per professionem Religionis Christianæ?

CONCLUSIO.

Infidelium non baptizatorum Matrimonium, etiam consummatum, cum unus conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate contumaciter permanente, dissolvi potest variis in casibus.

PROB. Ex Apost., qui [1] de infidelibus matrimonio junctis ait: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater* (ad fidem conversus) *uxorem habet infidelem, et hæc consentit*

[1] Cor. 7.

habitare cum illo (pacifice); *non dimittat illam, et si qua mulier fidelis* (id est, ad fidem conversa) *habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum ... quod si infidelis discedat, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Id est, non tenetur vinculo matrimonii, ut cum omnibus Theologis exponit Innocentius III[1].

Dixi 1° *Variis in casibus,* nempe : 1° si infidelis discedat, nolitque habitare cum fideli; 2° si nolit cohabitare sine injuria Creatoris et fidei, v. g., si laudes Dei prohibeat, domesticos ad defectionem hortetur, etc.; 3° si partem fidelem ad peccatum mortale pertrahat. Ita Innoc. III citatus intelligit quod ait Apostolus : *Si infidelis discedit, discedat.*

Dixi 2° *Altero in infidelitate permanente ;* certum est enim vinculum matrimonii non solvi, si uterque conjux ad fidem christianam convertatur[2].

Dices : Christus[3] dicit : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur;* ergo.

Resp. *Nego conseq.* Textus enim intelligitur de matrimonio fidelium, et seclusa dispensatione divina in gratiam Christianæ religionis concessa, ut constat ex Apostolo citato.

Inst. Ex cap. *Quanto,* matrimonium inter baptizatos contractum dissolvi non potest, etiamsi alter conjugum in hæresim vel apostasiam labatur; ergo a pari matrimonium inter infideles contractum dissolvi non potest, quamvis alter conjugum convertatur ad fidem.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas inter utrumque traditur in eo ipso capite : *Quia,* inquit, *etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum fidei* (id est, Baptisma), *quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.*

[1] Cap. *Quanto,* de Divortiis. — [2] Cap. *Gaudemus,* de Divortiis. — [3] Luc. 16.

Inst. Non aliter permisit Deus Judæis dimittere uxores suas, quam usuras accipere ab alienigenis; atqui usuras non permisit ut licitas, sed tantum toleravit tanquam minus malas, comparate ad eas quas in fratres suos præ sua duritia et avaritia exercere parati erant: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam quælibet usuræ absque ulla discretione fratris vel extranei damnantur in lege veteri; non ergo sine culpa exercebantur a Judæis, licet absque ulla punitione; at non ita est de repudio, quod nullibi in lege veteri damnatur tamquam malum et illicitum.

Objicies 2. Deut. 24 dicitur : *Non poterit prior maritus recipere eam* (nempe dimissam) *in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Ergo secundæ nuptiæ a repudiata initæ, erant peccaminosæ et nullæ: alias non diceretur *polluta* et *abominabilis.*

Resp. *Nego conseq.* Namque hoc ipso quod semel repudiata vetatur ad maritum repudiantem redire, satis innuitur vinculum matrimonii cum priori viro esse solutum, et secundum matrimonium cum altero viro, esse licitum et validum; alias lex illud permittens publica ac perpetua permisisset adulteria.

Itaque uxor repudiata dicitur *polluta* et *abominabilis*, non absolute, sed relate ad repudiantem, ad quem reditus uxoris abominabilis est, et omnino vetitus a Deo; quia hic orbicularis nuptiarum regressus speciem præ se fert adulterini concubitus, videturque fucatum tantum fuisse repudium, quasi non sincere repudiata fuisset uxor, sed alteri ad tempus tantum commodata, quod abominabile est, ut fert textus hebræus.

PUNCTUM III.

Utrum vinculum conjugale Christianorum sit omnino indissolubile, ita ut nec per adulterium solvi possit?

Nota 1. Græcos antiquos in ea versari sententia et praxi, ut dissolvant vinculum conjugale propter adulterium. Sed

Arcadius, in *Concord. Ecclesiæ Occid. et Orient.*, contendit Græcos hodiernos ab illa sententia se revocasse. Lutherus vero et Bucerus volunt Matrimonii vinculum non solum propter adulterium, sed etiam propter plures alias causas solvi.

Nota 2. Omnes scholæ Theologi, exceptis Cajetano, Catharino et Launoio, docent ad catholicum dogma pertinere indissolubilitatem Matrimonii, etiam adulterii causa [1]. Itaque

CONCLUSIO.

Dogma Catholicum est Matrimonii vinculun nullo modo posse dirimi, nequidem per adulterium.

Ita definivit Conc. Trid. [2] his verbis : *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.*

Launoius, ut declinet vim illius definitionis, dixit Tri-

[1] * Propter falsam textus Matth. 19 interpretationem, oborta est hæc præsens quæstio, quam adeo obscuram sibi aliquando visam fuisse testatur S. Aug., lib. *de Fide et opere*, cap. 19, dicens : *In ipsis divinis sententiis, ita obscurum est, utrum est iste cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Unde mirum non est si quidam SS. Patres et etiam recentiores, usque ad Concil. Trid., de re tam obscura et implicata dubie et obscure locuti fuerint. Sic Cajetanus, qui paulo ante Synodum Trid. e medio sublatus est; sic Catharinus, qui Concilio Trid. interfuit, sed e vivis discessit ante finem sessionis 24, in qua quæstio definita est, hanc humanam subierunt infirmitatem. Audacior vero Launoius post Concil., in tract. *de Regia in Matrimonium potestate*, SS. PP. textus congessit ad probandum vinculum matrimonii dissolvi causa adulterii, canonemque Trid. non ad dogma, sed ad disciplinam spectare.

[2] Sess. 24, can. 7.

dentinum Canonem, meram spectare disciplinam, quam potuit Synodus pro jure suo immutare, absque præjudicio contrariæ ad hoc usque tempus et traditionis et praxis.

Verum falsa omnino et improbanda opinio : nam

1° Quod Ecclesia, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, docet, procul dubio dogma est, a quo discedere non licet.

2° Error proprie adversatur dogmati, sicut abusus adversatur receptæ disciplinæ; at canon expresse definivit *non errare Ecclesiam cum docet,* etc.; ergo canon de doctrina loquitur, non de mera disciplina.

PROB. PROP. ET DEFINITIO Trid. ex Marci 1, ubi dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super ea.* Et Lucæ 16 : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mæchatur, et qui dimissam a viro ducit, mæchatur.* Hæc verba sunt generalia et absque exceptione.

Revera Matth. 19 excipitur causa fornicationis : *Quicumque,* inquit, *dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur; et qui dimissam duxerit, mæchatur.*

Verum exceptio illa non est conjungenda cum verbis sequentibus, sed cum antecedentibus, hoc modo : *Quicumque dimiserit uxorem,* quoad torum et cohabitationem, quod non licet *nisi ob fornicationem, et aliam duxerit,* quamcumque ob causam, *mæchatur.* Suadetur illa expositio, quia Christus non adjecit exceptionem post illa verba: *et aliam duxerit ;* ut nimirum indicaret causam fornicationis facere licitam dimissionem, minime vero novi conjugii celebrationem, ut annuunt cæteri Evangelistæ.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ex illa expositione sequitur absurdum, nempe ex sola fornicationis causa posse uxorem a viro dimitti, etiam quoad torum et habitationem; atqui falsum consequens: ergo.

RESP. *Nego maj.* Namque qui unam causam commemorat, non propterea alias excludit; sed unam fornicationem voluit Christus designare : 1° quia est præcipua et capitalis causa separationis ab usu conjugii; 2° quia ea de causa potest vir ab uxore in perpetuum separari; 3° quia sic voluit carpere pravam Judæorum consuetudinem, qui nullis aut levissimis de causis uxores suas dimittebant.

INST. 1. Lex Christi neminem cogit ad perpetuam continentiam; atqui si non liceret viro, dimissa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam, ea vivente, continentiam : ergo, etc.

RESP. 1. *Dist. maj.* Lex Christi neminem cogit ad perpetuam continentiam, directe et per se, *conc.*; indirecte et quasi per accidens, *nego maj.*; v. g. qui vovit perpetuam continentiam, hunc lex Christi saltem indirecte ad continentiam constringit; ita et de dimittente uxorem.

RESP. 2. *Nego min.* Quia si non potest se continere vir ille, paratum habet remedium quod suppeditat Apostolus, nempe ut cum uxore reconcilietur, ac condonet ipsi delictum ejus.

INST. 2. Adulterium contrarium est triplici bono conjugii, nempe fidei quam violat; proli, quam incertam facit; Sacramento, cujus lædit significationem, cum frangat carnis unitatem; ergo vinculum conjugale dissolvit.

RESP. *Nego conseq.* Essentia enim matrimonii in facto esse consistit in vinculo perpetuo quod resultat ex consensu interno : vinculum autem conjugale ab his mox enumeratis distinguitur, quibus violatis, integrum ac firmum perseverat.

INST. 3. Fornicatio spiritualis, hoc est infidelitas, dissolvit Matrimonium; ergo et fornicatio corporalis.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas desumitur ex voluntate Christi, qui in gratiam fidei, in casu in qua infidelis nollet pacifice habitare cum fideli, permisit secundas nuptias, quas omnino prohibet in causa adulterii.

OBJICIES 2. Cap. *Quædam* [1] legitur : *Quædam cum fratre viri sui dormivit, decretum est ut adulteri nunquam conjugio copulentur : illi vero cujus uxor stuprata est, licita conjugia non negentur ;* ergo per adulterium solvitur vinculum conjugale.

RESP. *Nego conseq.* Fratri enim innocenti non conceditur alia uxor, nisi post mortem suæ uxoris adulteræ, ut interpretatur Glossa hic, *sed frater innocens, sua mortua, aliam accipere poterit;* et habet can. *Hi vero* [2], ubi dicitur: *Hi vero, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum, nec eam, accipere aliam uxorem, vel alium virum quandiu ambo vivunt. Si autem altera mortua fuerit, vir ejus si vult nubat, tantum in Domino : adultera vero nunquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus.*

OBJICIES 3. Lactantius [3] scribit adulterum non esse qui causa adulterii dimissam duxerit in uxorem; ergo.

RESP. *Nego conseq.* Lactantius enim attendit ad leges civiles, quæ contra legem Christi sic dimissam ab alio duci permittebant, ut ipse ait in contextu, quæ leges, cum sint injustæ, ideo sunt nullæ et emendatæ per canones.

INST. Idem Lactantius [4] : *Nunquam conjugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur;* ergo.

RESP. *Dist.* Nunquam resolvatur quoad torum et habitationem, *conc.*; quoad vinculum, *nego.* Itaque separatio quoad torum et habitationem sæpe a scriptoribus ecclesiasticis vocatur dissolutio vinculi conjugalis, ut constat ex Conc. Foro-Juliensi, quod sic statuit : *Placuit ut resoluto, fornicationis causa, jugali vinculo, non liceat viro quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.* Ita exponendi sunt S. Greg. Nazianz., Avitus Viennensis, Conc. Venetum, Hincmarus Rhemensis, etc.

OBJICIES 4. Joann. VIII [5] ait : *Cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam, quisquam deserere nequeat, illi con-*

[1] 32, q. 7. — [2] Ibid. — [3] Cap. 23 *Instit. divin.* — [4] In *Epitome*, cap. 6.
[5] *Epist.* 65.

ceditur (in causa fornicationis, addit Launoius fraudulenter et mala fide) *aliam, vivente priore, conducere.*

Resp. Textum esse corruptum, neque enim cohærent posteriora verba cum prioribus; sic autem textus refertur tom. IX Conciliorum : *Et ideo cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam, quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi conceditur aliam, vivente priore, conducere.*

PUNCTUM IV.

Utrum Matrimonium ratum dissolvi possit per continentiæ votum alterius conjugum?

CONCLUSIO I.

Matrimonium ratum, a fortiori consummatum, non dirimitur per votum simplex continentiæ.

Prob. Ex Alex III [1] declarante votum simplex impedire quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimere contractum.

Ratio D. Thomæ est, quia votum simplex est nuda promissio Deo facta, Matrimonium vero est actualis traditio proprii corporis facta conjugi ; atqui promissio non transfert dominium rei promissæ : traditio vero rem datam in donatarii dominium transfert, ita ut ipse donator amplius de ea disponere nequeat ; ergo simplex continentiæ votum non dissolvit matrimonium.

Dices : Vinculum quo obligamur Creatori majus est vinculo quo obligamur creaturæ ; atqui per votum simplex obligamur Creatori, per Matrimonium vero obligamur tantum creaturæ : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Si vincula illa sint in eodem genere, v. gr., si vinculum Deo factæ promissionis conferatur cum vinculo promissionis homini factæ, *conc.* ; si sint in diverso genere, v. gr., si conferatur promissio Deo facta

[1] Cap. *Meminimus*, 1 *qui Clerici vel voventes.*

cum donatione facta conjugi, *nego maj*. Porro, per Matrimonium fit actualis traditio proprii corporis, et per votum simplex promittitur tantum.

CONCLUSIO II.

Matrimonium ratum, non vero consummatum, jure divino dirimitur quoad vinculum per solemnem conjugis professionem in religione a Sancta Sede approbata.

Ita definivit Conc. Trid. [1], his verbis : *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit.*

Idem jam antea definierant Alex. III et Innoc. III, cap. *Meminimus*, et cap. *Insinuante, qui Clerici vel voventes.*

Ratio *a priori* nulla alia assignari potest, quam voluntas Christi nobis ex traditione perpetua revelata. Ratio *a posteriori* et convenientiæ est, quia professio religiosa est mors civilis, quæ nata est dissolvere contractum civilem, quale est Matrimonium solummodo ratum.

Dixi 1° *Matrimonium ratum, non consummatum;* quia cum Matrimonium consummatum sit contractus civilis simul et naturalis, ipsoque jure naturali indissolubilis, non potest dissolvi nisi per mortem naturalem, ut constat ex cap. *Sunt qui*, 27, q. 2.

Hinc, si quis post Matrimonium consummatum, religionem absque consensu compartis profiteretur, ad ejusdem instantiam teneretur exire, et cum ipsa cohabitare; quod si compars consensisset, exire quidem non teneretur, sed compars quæ consensit, alteri nubere non posset, nisi post mortem illius qui religionem professus est.

Dixi 2° *Per professionem;* non enim solvitur per religionis ingressum; ideo conjux remanens in sæculo alteri nubere non potest tempore novitiatus compartis.

[1] Sess. 24, can. 6.

Dixi 3° *In religione;* non enim Matrimonium dissolvit susceptio Ordinis sacri, etiam Episcopalis, ut definivit Joan. XXII [1]. Ratio est, quia homo per susceptionem Ordinis sacri non moritur civiliter sicut religiosus. Hinc si conjux ordinatus ad aliam accederet, reus esset adulterii.

Dixi 4° *A Sancta Sede approbata;* nulla siquidem vera ac proprie dicta religio in Ecclesia censetur citra S. Sedis approbationem, cujus solius auctoritate homo solemnem emittit professionem.

Dixi 5° *Jure divino positivo;* quod per continuam traditionem ab Apostolis ad nos usque pervenit, quia, ex S. August., *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Ratio est, quia solus Deus potest dispensare in suis legibus.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ex dictis, Matrimonium, sive ratum, sive consummatum, est insolubile; ergo non potest solvi per professionem religiosam.

Resp. *Dist. conseq.* Non potest solvi ab homine, *conc.;* a Deo, *nego.* Matrimonium ratum jure divino positivo est insolubile, Deus autem in suo jure potest dispensare.

Inst. 1. Talis dissolutio non licet in matrimonio consummato; ergo nec in rato. Nam matrimonium ratum et consummatum idem est contractus et sacramentum eodem jure divino institutum; ergo est eadem indissolubilitas.

Resp. *Nego utramque conseq.* Quia hæc differentia non venit ex natura contractus, sed ex voluntate Christi, qui unum præ alio dissolvi voluit ob rationes datas.

Inst. 2. Matrimonium ratum est signum perpetuæ unionis Christi cum Ecclesia; ergo est indissolubile, alias violaretur sacrum illud signum.

[1] Extrav. *Antiquæ devot.*

Resp. *Dist. ant.* Est signum unionis spiritualis Christi cum Ecclesia per charitatem. *conc.;* unionis corporalis per incarnationem, *nego ant.* Matrimonium enim non significat hujusmodi unionem nisi sit consummatum, in quo solo ambo conjuges fiunt una caro.

Inst. 3. Vinculum matrimonii rati ligat ex lege naturæ, saltem nisi ambo consentiant; ergo non potest solvi, altero repugnante. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Fidelitas in promissis est de jure naturæ; sed conjuges promiserunt sibi mutuam et individuam vitæ societatem in Matrimonio; ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Fidelitas in promissis absolutis, *conc.;* in promissis conditionatis, *nego.* Contractus autem matrimonii fit cum hac retentione implicita et virtuali, ut nempe liceat ante consummationem, religionem ingredi et profiteri.

Inst. 4. Matrimonii dissolutio non potest fieri absque injuria alterius conjugis renitentis; ergo est contra jus naturale.

Resp. *Nego ant.* 1° propter conditionem saltem virtualiter appositam; 2° quia sponsalia ex communi sententia dissolvi possunt per votum solemne sine injuria alterius renitentis; ergo et matrimonium ratum, cum conjux derelicta maneat integra, nihilque decoris amiserit quominus ab alio in conjugem assumi possit.

Objicies 2. Ratio majoris boni pro statu religioso, tam valet pro matrimonio consummato quam pro rato; sed per nos non valet pro matrimonio consummato; ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam Christus dispensat pro uno et non pro alio, et maxime quia in consummato id fieret cum detrimento prolis, aut cum scandalo.

Inst. 1. D. Aug.[1] ait : *Matrimonium continentium ab opere conjugali, firmius est quam non continentium;* ergo magis insolubile.

[1] L. 1 *de Nupt. et Concupisc.*, cap. 11.

RESP. *Dist. ant.* Firmius est quoad vinculum mutuæ charitatis, et animorum consensionem, *conc.;* quoad fœdus conjugale, *nego ant.* Inde tamen desumi debet major firmitas in Matrimonio.

OBJICIES. 3. Votorum solemnitas est institutionis ecclesiasticæ; ergo non dissolvit Matrimonium jure divino.

RESP. *Nego conseq.* Votorum enim solemnitas est ex jure ecclesiastico quoad ritus, non vero quoad effectum et vim dirimendi Matrimonii, quam Christus votis solemnibus indidit, ubi essent ab Ecclesia instituta.

Nota. Alex. III cupienti profiteri concedit duos menses ad deliberandum, intra quod tempus conjux cogitans de religione non tenetur consummare, nec potest sine injuria ad id cogi, quo tempore elapso, non potest amplius denegare debitum. Sed quandiu matrimonium non est consummatum, tandiu liberum est conjugibus religionem ingredi, et remanens in sæculo ad alia vota potest transire, ut docet Glossa in cap. *Ex publico,* de Conversione conjugatorum.

PUNCTUM V.

Utrum Papa dispensare possit a vinculo Matrimonii rati, nondum consummati?

CONCLUSIO.

Longe probabilius videtur Papam non posse dispensare a vinculo Matrimonii rati, licet nondum consummati.

PROB. Quia inferior non potest dispensare a lege superioris; sed Matrimonium ratum, licet non consummatum, jure divino est indissolubile; ergo Papa ipsum dissolvere non potest; ita definivit Alexander III in appendice Conc. III. Later., parte sexta [1].

[1] * Sententia opposita, quam tenent Bus., Sanch., Bellar., Caj., Salm., Vasq. et alii, apud S. Lig. et Bened. XIV, tom. IV, *Thesaur. resolut.*, p. 30 et seq., his rationibus nititur : 1° quia Summi Pontifices, ut vicarii Christi cui regimen totius Ecclesiæ commissum est, bene possunt aliquando dispensare ex justa causa

DICES 1. Nonnulli Pontifices in matrimonio rato dispensarunt; ergo.

RESP. 1. Tales Pontifices sententiam, quam bona fide credebant probabiliorem, secutos fuisse, teste Alex. III, dicente : *Licet aliter a quibusdam ex prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Porro, decepti fuere illi Pontifices.

RESP. 2. Aliquos Pontifices locutos fuisse de Matrimonio per verba de futuro, id est, de sponsalibus, ut asserit Alex III citatus, parte sexta; alios vero de dissolutione quoad torum et cohabitationem; sic idem Alex. III, parte duodecima.

RESP. 3. Alios Pontifices locutos de Matrimonio contracto cum aliquo impedimento dirimente.

DICES. 2. Summus Pontifex dispensare potest ab obligatione voti solemnis, quanquam illa sit etiam juris divini; ergo similiter potest dispensare a vinculo Matrimonii rati.

RESP. 1. *Nego conseq.* Ratio est, quia traditio perpetua atque indubia de prima potestate nos certificat, non autem de secunda.

RESP. 2. Cum Pontio dante rationem disparitatis, sic: *Quia in professione fit etiam traditio religioni, quam acceptat Prælatus, et, eo non acceptante, non obligant vota illa quorum fundamentum est traditio ; cumque Summus Pontifex sit ordinarius cui etiam tanquam religionis superiori fit traditio, eam traditionem potest rejicere; eaque rejecta cessat obligatio status religionis in illo.* Res autem non

in his quæ sunt juris divini, et humanos actus concernunt; 2° quia Pontifices hoc pluries in praxim reduxerunt, dispensando in matrimoniis ratis, et maxime in matrimoniis infidelium, quando convertuntur, dummodo non sit consummatum post Baptismum, ut constat ex decreto Urbani VIII, et Bened. XIV, *de Synod.*, lib. 6, cap. 4, n. 5, ubi asserit S. Pium V, Gregor. XIII, pro Anglis, Æthiopis, Brasiliensibus, etc., id in praxim deduxisse; et ipse Bened. XIV, in Bulla *Dei miseratione*, regulas tradit pro hujus modi dispensationibus obtinendis; 3° quia in dubiis standum est pro auctoritate superioris; atqui superior dispensavit: ergo, etc.

ita se habet in Matrimonio, ubi agitur de jure alteri acquisito.

§ II.

De Divortio.

Nota. Divortium est separatio quoad torum et cohabitationem, cæteraque conjugii jura et commoda, salvo Matrimonii vinculo.

Hic quæritur : 1° an conjuges teneantur cohabitare ; 2° an divortium sit licitum, quas ob causas, an aliquando necessarium, etc.

PUNCTUM I.

An conjuges teneantur cohabitare?

CONCLUSIO.

Tenentur conjuges, regulariter loquendo, idque sub gravi peccato, in eadem domo manere, in eadem mensa comedere, et in eodem lecto concumbere.

Prob. 1. Ex præcepto divino, ut homo uxori suæ adhæreat et uxor viro.

Prob. 2. Quia id exigit necessario tum natura contractus matrimonialis, qui individuam vitæ societatem importat; tum debitum conjugale alias ab utroque non facile reddendum; tum denique prolis educatio, ad quam conjux uterque concurrere tenetur.

Dixi : *Regulariter loquendo ;* quia ad breve tempus, juxta viri prudentis judicium, vir ab uxore etiam invita separari potest, recreationis aut negotii causa, modo nullum adsit incontinentiæ periculum.

Imo ex gravi causa per longum tempus recedere potest, tum propter notabile familiæ emolumentum, tum propter bonum publicum ex mandato principis, legationis aut militiæ causa, quo casu mulier non tenetur sequi maritum, nisi ipse velit, quia ipsius est habitationem eligere.

Inde tamen non sequitur uxorem teneri virum semper vagantem comitari cum suo gravi incommodo, nisi forte ante matrimonium aliter fuerit conventum, vel virum præsciverit vagum futurum. Sed

QUÆRES : *Si vir in exilium pulsus fuerit, quid juris?*

RESP. Censent communiter Doctores uxorem ad viri sequelam teneri, quia, licet delinquentis pœnam subire non teneatur, tenetur jure maritali viri sui infortunio participare : idem dic de viro erga uxorem, si contingat ipsam ad domicilii mutationem compelli.

PUNCTUM II.

An divortium sit licitum, quas ob causas, etc.?

CONCLUSIO I[1].

Legitima auctoritate divortium est licitum.

PROB. Ex Conc. Trid. definiente [2] : *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Dixi : *Legitima auctoritate;* quia, licet conjux innocens possit privata auctoritate facere divortium quoad torum, denegando debitum, non potest tamen facere divortium quoad habitationem, nisi accedat judicis ecclesiastici sententia. [3] Ratio est, quia cum hujusmodi divortium sit publicum, non posset fieri privata auctoritate absque scandalo et perturbatione societatis. Excipitur casus in quo periculum esset in mora, nec ullus ad judicem daretur accessus : tunc enim pars innocens aufugere posset, non expectata judicis sententia.

QUÆRES 1. *Quas ob causas licitum sit divortium?*

RESP. Ob multas causas, quæ in tribus sequentibus facili negotio recluduntur.

Vid. S. Lig., lib. 6, n. 956 et seqq. — [2] Sess. 24, can. 8. — [3] Cap. *Porro*, de Divortiis.

Prima causa divortii, est culpabile alterius conjugis adulterium moraliter certum, dicente Christo : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur ;* atqui Christus non permittit, imo prohibet dimittere uxorem quoad vinculum : ergo permittit eam dimittere quoad torum et cohabitationem. Eadem est mulieris libertas, quia, cum par sit utriusque obligatio, par debet esse et conditio.

Dixi 1° *Culpabile adulterium ;* quia privatio debiti est pœna, ideoque supponit culpam. Hinc vir separari non posset ab uxore quæ violenter oppressa fuisset, aut quæ bona fide alteri nupsisset, putans virum suum esse mortuum. Item, secundum dispositionem juris, divortii locus non esset : 1° si compars in adulterium compartis consensisset, vel si vir ipse uxorem prostituisset [1] ; 2° si ei offensam remisisset, quod censetur fieri per actum conjugalem [2].

Dixi 2° *Moraliter certum ;* nec enim sufficit sola suspicio, ut infligatur pœna certa.

Secunda causa divortii, est quodcumque crimen quod vergit in detrimentum sive spirituale, sive corporale alterius conjugis.

Prob. De crimine vergente in damnum spirituale alterius conjugis : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te* [3].

Hinc imminens periculum subversionis sive a fide, v. g., si compar trahat compartem in hæresim in quam lapsa est ; sive a rectis moribus, v. gr., si unus conjugum alterum ad congressum sodomiticum, usuras, fraudes, etc., cogeret [4].

Tertia causa divortii, est periculum imminens gravis damni corporalis compartis, quia Matrimonium non tollit

[1] Cap. 6 *De eo qui cognovit*, etc.... — [2] Cap. *Si illi*, 23, q. 4.... *Si uterque conjux adulterium perpetrasset*, cap. 4 de Divortiis.

[3] Matth. 18. — [4] Cap. 2 *de Divortiis*.

jus naturale vitandi proprium periculum, sive animæ, sive corporis.

Hinc immoderata sævitia, periculosa copula et cohabitatio, v. gr., propter morbum contagiosum, amentiam, furorem compartis, sunt justa causa divortii.

Objicies : Christus solius fornicationis meminit; ergo est sola causa divortii.

Resp. *Nego conseq.* Ratio cur Christus solius fornicationit meminit, est : 1° quia sola fornicatio directe opponitur fidei conjugali; 2° quia Christus loquitur de divortio perpetuo (nempe de divortio per libellum repudii, quod erat perpetuum) : sola autem fornicatio est justa causa divortii perpetui, adeo ut pars innocens non teneatur ex justitia cohabitare cum adultero, vel adultera, etiamsi resipuerit. E contra, divortium ob alias causas fit tantum ad tempus, v. g., donec uxor resipiscat, adeo ut innocens teneatur recipere emendatam.

Quæres 2. *Utrum quandoque conjuges ad divortium teneantur?*

Resp. Tenentur in duobus maxime casibus : *primus* est, dum periculum subversionis ita est evidens, ut sit moraliter impossibile ipsi resistere, dicente Christo : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.*

Secundus, dum conjux pacifice habitans cum conjuge adultera rationabilem suspicionem ingereret, se ejus impudicitiis favere, tegumentum ei præbendo; quo sensu dixit Sapiens[1] : *Qui tenet adulteram, stultus est et impius;* si tamen pars adultera resipiscat, ipsi condonandum est, ait canon *Si vir*, de adulter., *debito* quidem *honestatis et non necessitatis*, ait Glossa ibidem.

Quæres 3. *Quid juris habeat innocens post factum divortium?*

Resp. 1. Post divortii perpetui latam sententiam (quæ non fertur nisi propter adulterium), pars innocens potest

[1] Prov. 18, v. 24.

mutare statum per susceptionem Ordinum, vel professionem religiosam, etiam absque consensu nocentis; non vero pars nocens, nisi innocens prius fuerit professus. Ratio est, quia adulter amisit jus in corpus alterius, sed non vicissim pars innocens, quæ nocentem emendatum non tenetur recipere nisi forte ex charitate, cum scilicet versatur nocens in gravi incontinentiæ periculo.

Resp. 2. Post sententiam divortii non perpetui, v. g., donec pars nocens mutaverit, innocens non potest mutare statum, quia nocens emendatus potest auctoritate judicis repetere conjugem.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EORUMQUE STATUENDORUM POTESTATE.

Nota. Impedimentum Matrimonii est quidquid obstat ne rite celebretur: aliud est impediens tantum, aliud dirimens.

Impedimentum *impediens* est illud quod reddit Matrimonium tantummodo illicitum, et quatuor numerantur:

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Impedimentum *dirimens* est illud quod Matrimonium attentatum reddit nullum ac irritum, et sunt quindecim his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc facienda vetant, et facta retractant.

De quibus fusius tractant Canonistæ et Theologi morales.

Porro, impedimentum dirimens semper dirimet, non obstante ignorantia invincibili sive juris, sive facti circa il-

lud, quia non est pœna quæ culpam supponat, sed inhabilitas moralis ad Matrimonium propter bonum commune statuta, quæ non requirit cognitionem sui ut contrahatur.

* *Nota* 2. Inconfessum est apud omnes Matrimonium quibusdam legibus subjici debere, ut valide aut licite contrahatur. Sive enim consideretur speculative ut contractus, sive ut est Sacramentum, alicui debet subjici potestati legislativæ. Et 1° quatenus est contractus, quia de ejus natura est ut voluntates contrahentium dirigantur ac regulentur quibusdam legibus, ut dicitur in tract. *de Contractibus;* 2° ut est Sacramentum, quia Christus Ecclesiæ potestatem reliquit ut omnia ordinaret circa Sacramenta, ut rite conficiantur et recipiantur.

Waldenses videntur omnium primi qui Matrimonii impedimenta dirimentia contemnere ausi sunt, siquidem sacra Parisiensis Facultas, Lutherum causam matrimonialem ad Ecclesiam pertinere negantem, velut *ex damnato Waldensium errore producentem confixit.*

Lutherus et Calvinus, Matrimonium ut merum contractum civilem spectantes, negarunt illud esse Sacramentum, nec alia agnoverunt impedimenta quam quæ in Levit., cap. 18, a Deo constituta sunt, contenderuntque Ecclesiam non potuisse alia impedimenta constituere, illamque errasse cum id attestaverit.

Marcus-Antonius de Dominis, qui sæculo XVII° de Archiepiscopo Spalatensi factus est Apostata, omni conatu nisus est omnem potestatem impedimenta statuendi et causas matrimoniales ad potestatem politicam reducere.

Audax Launoius, Doctor Parisiensis [1], totus in id est ut facultatem statuendi impedimenta adeo proprio et jure nativo ad reges pertineat, ut Ecclesia eum exercere non possit nisi ex usurpatione vel ex indulgentia et concessione principum. Ut autem anathema Concil. Trid. declinaret, singularem et inauditam interpretationem dedit, Conci-

[1] Lib. *de regia Potestate.*

lium, scilicet, nomine *Ecclesiæ* principes sæculares intellexisse.

Illam vero Launoii doctrinam a quibusdam Theologis et Canonistis primo refotam (excepta de Conc. Trid. interpretatione), magno impetu deinde a Causidicorum et Canonistarum in Austria turba fuit propugnata; unde ortum est illud infaustum systema quod vulgo *Josephismus* nuncupatur, a Josepho II°, qui in sua constitutione, an. 1783, cognitionem causarum matrimonialium judici civili penitus committit. Palmare hujus systematis principium in eo sistit, quod cum matrimonum habeatur ut contractus civilis, debet iisdem ac alii contractus subjici legibus principum, consequenter soli potestati civili competit impedimenta dirimentia statuere, Ecclesiæ vero ordinare ea quæ ad Sacramenta pertinent, seu impedimenta impedientia tantum opponere. Hanc doctrinam multi canonum professores et Theologi, Jansenistarum placitis adhærentes, propugnarunt, quam tandem suam fecit pseudosynodus Pistoriensis a Pio IV damnata.

Gallicana vero legislatio matrimonium, post commotiones constituta, an. 1792, non minus, imo magis fuit infensa Ecclesiæ potestati; et quamvis per Codicem civilem hæc legislatio fuerit emendata, ita tamen manet irreligiosa, ut, spretis atque postpositis omnibus Ecclesiæ legibus, omnes causæ matrimoniales magistratui civili deferantur, et matrimonia valida aut invalida, divortia a toro et cohabitatione legitima aut illegitima habeantur, prout fiunt, juxta vel contra leges civiles, nulla attentione data quid Ecclesia decreverit circa matrimonia contrahenda aut de facto attentata.

His nostris temporibus, nullus Theologorum est in Gallia qui tale monstrum amplectatur. At non pauci adhuc extant qui minus caute sentientes, facultatem *ex æquo*, ut dicunt, tum Ecclesiæ, tum principi, ita competere contendunt, ut utraque potestas possit independenter et

jure suo innato de causis matrimonialibus cognoscere, et impedimenta dirimentia statuere, unde matrimonium non erit validum et quoad fœdus et quoad sacramentum, nisi contrahatur juxta leges ab utraque suprema potestate constitutas.

Hæc est summa historiæ hujusce quæstionis, quæ excitata primum est a Protestantibus, et instaurata ob apostata Marco-Ant. de Dominis, deinde refota a Launoio, postea vero a Jansenistis et Aulicis, et ad nos usque pervenit. Contra quos omnes sit

CONCLUSIO I.

* *Ecclesia potestatem habet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, et quidem jure proprio, intimo et innato.*

Est de fide prima pars contra Protestantes, secunda pars contra Neotericos et Regalistas, qui, ut Concilii Trid. anathematismos declinarent, varia tentarunt molimina, asserentes vel nomine Ecclesiæ principes sæculares intelligendos esse, vel canones non esse dogmaticos, sed disciplinares, vel ex usurpatione, aut consensu principum, non vero proprio, intimo et innato jure hanc facultatem Ecclesiæ competere.

Constat ex Conc. Trid. [1]: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Item[2]: *Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit.* Item ex constit. *Auctorem fidei*, in prop. 59, de qua infra.

Prob. Ad hoc quatuor requiruntur: 1° ut Ecclesia vere possit statuere et vere sine errantia statuerit impedimenta;

[1] Sess 24, can. 4. — [2] Canone 3.

2° ut Ecclesiæ nomine Tridentinum intellexerit hierarchiam ecclesiasticam, non vero principes sæculares; 3° ut judicium Trid. sit doctrinale; 4° ut hanc potestatem Ecclesiæ competere jure proprio et innato decernat, non vero ex adventitio, vel ex tacito, vel expresso principum consensu concessam. Atqui hæc omnia liquent.

Prob. per partes. 1° *Ecclesia habet potestatem statuendi impedimenta, neque in iis statuendis erravit.* Etenim, administratio Sacramentorum ad solam Ecclesiam pertinet; atqui, ex dictis, Matrimonium est Sacramentum novæ Legis proprie dictum; ergo ejus administratio ad solam Ecclesiam pertinet: ergo habet potestatem statuendi impedimenta dirimentia. Hanc consequentiam concedit Calvinus qui sic scribit: *Ubi enim semel obtinuere* (Catholici) *Matrimonium esse Sacramentum, conjugalium causarum ad se contraxerunt, quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda* [1].

Confirmatur. Hanc potestatem Ecclesia sibi jure vindicavit, qua semper usa est, quamque illi agnoverunt SS. Patres et principes sæculares, quam postulat bonum tum Sacramenti, tum christianæ societatis; atqui potestate statuendi impedimenta semper usa est Ecclesia, illique agnoverunt SS. Patres et principes sæculares: ergo, etc.

Prob. min. 1° Ex annalibus ecclesiasticis et canonibus Ecclesiæ [2] constat : 1° quovis sæculo Ecclesiam hac potestate usam fuisse, sive cum approbavit matrimonia quæ legibus imperatorum contrahi vetabantur, sive cum irritavit eadem matrimonia quæ iisdem legibus valida habebantur; 2° omnia impedimenta quæ nunc stant etiam in legislationibus politicis ab Ecclesiæ diversis temporibus instituta fuisse; ergo, etc. [3].

[1] *Inst.*, lib. 4, cap. 19.

[2] Quoad SS. Patres, citantur S. Ignatius, martyr, Tertullianus, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, et alii quos videre est apud Bellarm., *de Matrim.*

[3] Sic anno 305 vel 315, Concil. Eliberit. impedimentum disparitatis cultus, vel

2° Id postulat bonum Sacramenti. Dum enim Ecclesiæ concesserit Christus Sacramentorum dispensationem, necesse est ut insimul ei crediderit potestatem statuendi quæ ad eorum admnistrationem pertinent ; atqui nihil magis importat quam declarare quænam sit materia valida Sacramenti.

3° Id postulat bonum societatis christianæ. Etenim matrimonia male composita quantum religiosæ societati afferunt dedecus et detrimentum nemo non videt. Præterea, pendet ut plurimum tota vitæ ratio ac salus æterna conjugum et prolis ex nuptiis debite vel indebite contractis , crescit ex matrimonio civitas Dei spiritualis, fidelesque ope nuptiarum cœlo acquiruntur sicut regno cives, si sancta sint connubia. Ergo.

2° *Trident., Ecclesiæ nomine , hierarchiam ecclesiasticam intellexit, non vero principes sæculares.* Nam Concilium, per vocem *Ecclesiæ,* intellexit quod intellexit in cæteris canonibus ; quod tandem intelligebant Calvinus et Lutherus, quorum profligabat errores ; atqui ipsi Ecclesiæ hierarchiæ potestatem statuendi impedimenta dirimentia denegabant per vocem *Ecclesiæ,* ut totam transferrent in principes sæculares : ergo Concilium intelligebat hierarchiam ecclesiasticam, alas umbram propugnasset, et principum sæcularium potestatem contutata esset, quam hæretici illis non denegabant.

3° *Trid. judicium fuit doctrinale.* Id patet : 1° ex dictis; 2° ex censura lata in propos. 59ª Concilii Pistoriensis ; 3° quia prædicti canones non statuunt quid sit faciendum, sed regulam fidei constituunt, et sub anathemate tradunt

cum hæreticis; sic Concil. Ancyri., an. 314, impedimentum raptus; sic Neocesariense, eodem anno, confirmat impedimentum Ordinis. Sic Nicolaus I, ad consult. Bulgarorum impedimentum consanguinitatis et affinitatis, quod Lateranense, ann. 1215, ad quartum gradum contraxit. Porro, Ecclesia errare non potuit in impedimentis statuendis, nisi auctoritatis sibi a Christo concessæ limites ignoraverit, et jus indebitum contra sponsi voluntatem sibi arrogasset, cujus culpa in Christum refunderetur.

quid sit credendum. *Impiorum enim temeritati*, inquit S. Synodus, *cupiens occurrere, insigniores prædictorum Schismaticorum hæreses et errores.... exterminandos duxit.*

4° Trid. definivit *hanc potestatem Ecclesiæ competere jure proprio et innato*, etc. Est de fide, ut patet ex constitutione dogmatica, in qua doctrina Synodi Pistoriensis, prop. 59ª, contrarium asserens damnatur, ut canonum 3ᵘ, 4ᵘ, 9ᵘ, 12ᵘ, sessionis 24 Concilii Trid., *eversiva, hæretica.*

Et quidem si Concilium loqueretur de potestate adventitia ex tacito vel expresso consensu principum, definitio Synodi fuisset: 1° *inepta ;* quid enim ineptius dici posset quam articulos fidei condere fidemque exigere de potestate tam precaria, qua singulis momentis a principibus spoliari posset? 2° fuisset *captiosa*, et fideles in errorem induxisset, nemo enim est qui, attentis canonibus Concilii, non ratus sit potestatem sibi Ecclesiam vindicare ut propriam et originariam ; cum tamen adventitia tantum exstaret, ita ut quod hodie esset de fide, cras erroneum esset. Ergo Concilium tribuit Ecclesiæ potestatem innatam, propriam et originariam statuendi impedimenta dirimentia, insuper hoc definivit per judicium doctrinale ; præterea *Ecclesiæ* nomine hierarchiam ecclesiasticam intellexit. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Anathematismi non supponunt necessario esse dogmatice definita ea in quæ feruntur ; ergo ex eo quod Tridentinum canones præcitatos anathemate corroboraverit, non sequitur dogmatice definire voluisse.

Resp. *Dist. ant.* Ex solo anathemate concludi non potest canonem dogmaticum esse, *conc. ;* ex subjecta materia, ex scopo et declaratione definientis, *nego.* Porro, ex dictis traditur regula ad discernendum quandonam canon constituat fidei articulum, necne ; quando scilicet res proponitur credenda, non vero facienda aut omittenda ; atqui ex materia

subjecta, ex scopo et declaratione Synodi, probavimus illam articulum fidei condidisse, quia aliquid credendum proponit; unde Van-Espen, qui certe suspectus esse non debet adversariis, sic concludit: *Filum traditionis insecuta Synodus Trid., recte anathema dicit in eum qui dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia vel in iis constituendis errasse*[1].

OBJICIES 2. Quod essentiale est Sacramento, quod de fide decernitur, immutabile et indispensabile est; quod vero disciplinare, mutabile deprehenditur et dispensabile; atqui Ecclesia mutat in impedimentis constituendis et in eis dispensat; ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* In hoc enim errant adversarii, quod unum pro altero sumant, et potestatem seu jus cum ejus exercitio confundant. Ecclesia definivit sibi competere potestatem seu jus impedimenta statuendi, et hæc potestas est immutabilis et essentialis ipsi Ecclesiæ; exercitium autem hujus potestatis ad disciplinam pertinet, quæ mutabilis et dispensabilis est.

OBJICIES 3. Definitio dogmatica versari debet circa jus, non circa factum; atqui definitio Trid., cum declarat Ecclesiam non erasse in impedimentis statuendis, versatur non circa jus, sed circa factum: ergo hæc definitio non est dogmatica.

RESP. *Dist. min.* Est factum cum jure conjunctum, *conc.;* est mere factum, *nego.* Imo Concilium attendit ad solum jus, non vero ad factum, quod non erat in quæstione. Declaravit enim Ecclesiam non errasse in impedimentis constituendis, quia *potuit* et *potest* ea constituere: alias errasset, potestatem indebitam sibi usurpando. Ergo.

OBJICIES 4. Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti; atqui, statuendo impedimenta dirimentia, mutaret materiam Sacramenti: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Ecclesia enim, statuendo impedimenta

[1] *Jus eccles.*, t. I, p. 2, tit. 13.

natrimonium dirimentia, non mutat substantiam seu maeriam sacramenti Matrimonii, quæ in mutuo consensu eponitur, sed tantum reddit personas inhabiles ad conrahendum, quo fit ut contractus sit nullus, id est incipere esse non possit; sicut qui impediret maturescere ivam ex qua conficiendum esset vinum ad sacramentum Eucharistiæ, aut corrumperet vinum, faceret ut tale vinum non esset amplius materia Sacramenti, non tamen faceret quod vinum secundum se non esset illius materia; ta a pari de matrimonio, cujus materia non est quilibet contractus, sed solus contractus legitimus et a personis habilibus ad contrahendum initus. Jam vero voluntates contrahentium Ecclesiæ potestatis legislativæ subjiciuntur n ratione contractus sacramentalis matrimonii, ut dictum n nota secunda, supra dicta. Ergo. *

CONCLUSIO II.

Principes non habent jus statuendi impedimenta quæ, dirimendo contractum civilem, consequenter dirimant Sacramentum Matrimonii ob defectum materiæ.

Nota : Hanc famosam quæstionem jam ventilavimus ubi de necessitate consensus parentum ad valorem Matrimonii.

Certum est 1° Principes posse suis edictis irritare civilem Matrimonii contractum, quantum nimirum ad effectus civiles, politicos ac temporales; nam jus illud ipsis est tam innatum et proprium, ut eo spoliari nunquam possint; eorum est enim cives suis edictis ita inter se componere, ut reipublicæ pax et tranquillitas efflorescat.

Certum est 2° Reges neque directe, neque indirecte quidquam posse in Matrimonium quatenus est res spiritualis et sacramentum; nam temporalis regum auctoritas ad res Ecclesiæ spirituales, quemadmodum et ecclesiastica ad res principum temporales non se extendit, non tantum directe, sed ne indirecte quidem.

Caput igitur quæstionis unice devolvitur, utrum per accidens et præter intentionem sæcularis potestatis sequatur nullum esse Sacramentum Matrimonii, quando contractus ejus civilis lege civili declaratur irritus.

Affirmant qui asserunt civilem contractum ita esse materiam Sacramenti, ut, eo per leges regum irritato, nulla supersit Sacramenti materia, et consequenter nullum esse Sacramentum, * inter quos vero quidam, ut Sanchez et Billuart, asserunt principes fideles radicalem quidem habere potestatem hanc, sed illis Ecclesiam ademisse quoad exercitium, quæ sententia est penitus rejicienda, ut periculosa et fundamento probabili destituta. Quidam vero, maxime in Gallia et in Austria, apud quos Josephismus mitigatus invaluit, fatentur quidem Ecclesiam gaudere potestate propria ac originaria statuendi impedimenta matrimonium dirimentia ; cum autem existiment principes ante adventum Christi et etiam nunc principes infideles habere potestatem originariam statuendi impedimenta dirimentia contractum matrimonialem, non valent intelligere quomodo Christus, elevando hujusmodi contractum ad dignitatem Sacramenti, illum a principis potestate subtraxerit. Dicunt igitur quod Ecclesia habet hanc potestatem, sed *non sola;* quod ad illam pertinent quidem causæ matrimoniales, sed non *omnes*, ita ut *ex æquo*, Ecclesia et principes sæculares hac gaudeant facultate jure proprio et innato, ut supra notavimus. Ast conclusio nostra est certissima, fere omnium Theologorum consensu adstipulata, et canone quarto Trid. supra relato, necnon constitutione *Auctorem fidei* vindicata. * Igitur

Prob. prop. 1. Contractus civilis, ut civilis, non est materia sacramenti Matrimonii; ergo. *Prob. ant.* Constat Conc. Trid. Matrimonia facta sine consensu parentum, firma et rata haberi, in ratione scilicet Sacramenti; constat, ex altera parte, Matrimonia hujusmodi irritari quoad effectus civiles, adeoque et ipsum contractum civilem qui illorum

effectuum est fundamentum; ergo eo in casu materia Sacramenti non potest esse contractus civilis quatenus civilis est: ergo necesse est contractum humanum tunc esse materiam sufficientem Matrimonii.

* PROB. 2. Illa conclusio certissima est quæ constat: 1° ex intima rei natura, juxta Christi dispositionem; 2° ex constanti Ecclesiæ praxi; 3° ex infaustis consectariis quæ ex hypothesi adversariorum orirentur; atqui nostra conclusio constat... *Prob. minor* per partes.

PROB PRIMA PARS: *Ex intima rei natura, juxta Christi dispositionem.* Etenim si naturalem contractum Christus elevaverit ad dignitatem Sacramenti, ex inde sequitur: 1° Matrimonium ipsum esse Sacramentum, ita ut omnia matrimonia fidelium sint *rata*, id est Sacramenta; 2° contractum naturalem esse materiam proximam sacramenti, non tantum remotam; 3° partes contrahentes esse ministros et causam efficientem sacramenti; clarius tunc luce patet Christum Ecclesiæ suæ et soli Ecclesiæ, ab actis *principibus sæcularibus*, potestatem concessisse statuendi, ac ordinandi omnia quæ ad matrimonium fidelium spectant; atqui hæc omnia constant ex hucusque dictis. Ergo. Jam enim contractus et sacramentum identificantur in uno eodemque actu, ac nonnisi per rationem separari possunt ab invicem, ideoque contractus et sacramentum non possunt considerari velut duæ *entitates* seu *realitates*, seu duæ res distinctæ et separabiles, ut perperam faciunt quidam ex adversariis. Licet enim distincta sit in matrimonio fidelium *ratio formalis Sacramenti*, ut aiunt Scholastici, a *formali ratione contractus*, hoc fit abstractive, non vero realiter, perinde ac sacramentum et contractus duæ essent res ab invicem distinctæ.

PROB. SECUNDA PARS: *Ex constanti Ecclesiæ praxi.* Ecclesia doctrinaliter et practice sibi soli vindicavit potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, modo constet: 1° impedimenta hæc constituisse non atten-

tis legibus imperatorum; 2° illam pluries irritasse matrimonia quæ leges civiles approbant, et converso illam approbasse ut valida quæ leges civiles irritabant; atqui hæc omnia constant, siquidem Christus ipse apposuit impedimentum ligaminis, et Apostolus illud proclamavit. Item revocavit libellum repudii contra statuta Cæsaris, unde Hieronymus ait : *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit*. Item Ecclesia dirimentia statuit impedimenta tribus primis sæculis, ut constat ex monumentis ecclesiasticis, ita ut irrita et adulterina habuerit conjugia quæ a legibus juris romani et Christianis imperatoribus habebantur ut legitima; et e converso ut legitima habuit et hodiedum habet ea conjugia quæ a legibus civilibus rejiciuntur tanquam illegitima, v. g. Trident. Synodus *anathemate damnat eos qui falso affirmant matrimonium a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse ;* hæc tamen quædam leges civiles (Cod. civ., art. 148) irritant etiam quoad fœdus, ut dicunt adversari : ergo, etc.

Confirmatur. Hanc doctrinam semper in praxim reduxerunt Summi Pontifices, ut patet : 1° ex Bened. XIV [1], qui, prolata Novella 89ª Leonis imperatoris, dicit : *Verum hæc constitutio cum a principe laico prodierit, non potuit matrimonii validitatem, quoad forum conscientiæ infringere*. Item Const. 2ª ad Henricum Card., ducem Eboracensem, loquens de lege Theodosii qua nuptiæ inter christianum et judæum interdicuntur, ait : *Verum duæ hic occurrunt difficultates : 1° quod hæc lex, utpote a principe laico condita, nullam habere vim in matrimoniis debet....* etc.

2° Ex Pio VI, ad Episc. Matulensem, ubi, postquam Ecclesiæ vindicaverit omnes causas matrimoniales, opinionem eorum qui dicunt non *omnis potestas*, nec *omnes causas* pertinere ad Ecclesiam, vocat *captiunculam et omni fundamento destitutam*.

[1] *De Synod.* lib, 8, cap, 10, n. 6,

3° Ex Greg. XVI in Encyclica, 15 aug. 1832, ubi ait: *Memores* (populi) *sacris illud* (matrimonium) *rebus annumerari et Ecclesiæ proinde subjici, præstitutas de ipso ejusdem Ecclesiæ leges habeant ob oculos iisque pareant sancte accurateque, ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, roburque ac justa consociatio.*

4° Ex responsione data 1° jun. 1674, ad Episcopum Vivariensem, in qua concurrunt SS. Congregationes pœnitentiariæ, Inquisitionis et Concilii Trid., quâ declarantur valida omnino esse Christianorum connubia inita cum impedimentis civilibus irritantibus, Ecclesia quæ non consulta nec approbante perperam ac nulliter constitutis, præterea addit: *Ita eruitur a suprema inquisitione per Sacræ Cong. Concilii organum ad Episc. Bresoinonensem, an.* 1824 *transmisso.*

5° Ex Synodo Suessonensi, ann. 1850, a S. Sede approbata, tit. IX, ubi: *Declaramus autem*, inquit, *tanquam valida habenda esse matrimonia quæcumque fiunt juxta sanctiones canonicas.* Ergo.

PROB. TERTIA PARS: *Ex infaustis* scilicet *consectariis quæ ex hypothesi adversariorum orirentur.* Illa opinio procul est abigenda, ex qua scaturiunt: 1° quotidianæ inter potestatem civilem et ecclesiasticam simultates et jurgia; 2° pene innumerabiles animarum anxietates; 3° Christi fidelium inobedientia, et in principium protestantium abductio, quatenus constituuntur judices Ecclesiæ, et ipsi sibi velut regula in credendis et agendis; atqui opinio adversariorum est illorum omnium malorum fons uberrimus.

Prob min. 1° Quidem nullò pacto fieri potest ut una eademque potestas a duobus supremis ex æquo et immediate ac independenter ad duo et proprie diversa tribunalia pertineant, quæ statuant super uno eodemque objecto, nisi maximus conflictus exurgat, uno siquidem prohibente et altero jubente sub pœna damnationis, isto

siastica, exercentur in contractum matrimonii sub diverso respectu et propter diversum finem: ergo, etc.

Resp. *Nego maj*. Nam eadem res ad duos diversos dominos absolutos et independentes pertinere non potest, tunc enim utraque potestas totum sibi vindicat ac suum facit, cum diversi fines sint objecto ipsi extrinseci. Hinc, v. g., si duo æquali et absoluto jure domum possiderent, quorum alter vellet illam in cultum divinum, et alter in suos usus convertere, domum attingerent sub diverso respectu et propter fines diversos, et tamen neuter eam posset habere.

At, reponunt adversarii, doctrina nostra quod omnes causæ matrimoniales soli Ecclesiæ competant, quodque illa sola, præter principes sæculares, potest impedimenta statuere dirimentia, non est de fide, neque contraria hæretica; verum, respondetur, num illi sunt homines qui pedem non referant nisi per anathematismos. Doctrina hæc non est nostra, licet nostra, sed Sanctæ Sedis, quam Summi Pontifices et Sacræ Congregationes, quæ maximi Summi Pontificis mentem exquirunt ubi agitur de rebus gravissimis, prædicant et eas populos docent per suas responsiones encyclicas, brevia, instructiones, etc.; atqui doctrina S. Sedis sic constanter enuntiata est ipsa veritas et fidei proxima; opinio vero contraria jam caret omni probabilitate, falsa judicari debet, temeraria, captiuncula et hæresi proxima, insuper et maxime periculosa, nonnisi enim periculosissime arguitur contra S. Sedis doctrinam.

Quæres 1. *Utrum principes habeant potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonio subjectorum infidelium?*

Resp. Prima sententia communissima affirmat. Ratio est, quia cum matrimonium infidelium non fuerit evectum ad dignitatem Sacramenti, nec legibus Ecclesiæ subjiciatur, illud regulari a principibus sæcularibus necesse est, ut bono communitatis satis provideatur.

[1] *De Matrim.* cap 8, n. 366.

Secunda vero sententia negat, quam propugnat P. Martinus et nobis probabilior videtur probabilitate intrinseca: 1° quia matrimonium, sive ante, sive post incarnationem Christi, fuit et est Sacramentum late quidem sumptum, sed ita tamen ut inde fuerit omnino sacrum, et ideo sacrum fuit ratione totius substantiæ, finium, effectuum, bonorum, obligationum, etc. Porro, principes nihil unquam valuerunt in res sacras; 2° quia potestas principum versatur circa matrimonium unice quatenus est contractus civilis et politicus, quem semper irritare et invalidare possunt ut bono communitatis civilis satis prospiciatur, quin attingant ad nexum maritalem, ut supra diximus, et sic respondetur rationi adversariorum; 3° ut impediatur obligatio ex contractu matrimoniali oritura, requiritur ut obstari possit, ne contrahentes ad se invicem transferant per mutuum consensum dominium rei de quo contrahitur; atqui principes nequeunt id impedire in matrimonio etiam infidelium.

Prob. min. Res enim de qua contrahitur sunt corpora quæ contrahentes sibi invicem tradunt; atqui nec corpora contrahentium, nec actus quo eorum dominium traditur et accipitur pendent a principe; princeps enim non habet aliam potestatem in corpus viri et mulieris, quam habet ipse vir et mulier; atqui vir et mulier non habent potestatem sibi invicem vi ipsorum consensus dominium corporum tradendi et accipiendi, nisi Deo interveniente, quia Deus solus id proprium habet, Deus enim conjungit in matrimonio, non homo: ergo, etc.

Id *confirmatur* ex S. Th. dicente[1]: *Tenetur autem homo homini obedire in iis quæ exterius per corpus sunt agenda; in quibus tamen, secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini non tenetur obedire, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem; unde nec servi tenentur dominis, nec filii parentibus obedire*

[1] 2 2, q. 104, art. 3.

de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut alia hujusmodi. Porro, si servi subtrahuntur a juridictione dominorum et filii parentum, ubi agitur de matrimonio contrahendo, quia in his *omnes homines natura sunt pares*, a fortiori subtrahuntur potestati principum.

* CAPUT QUARTUM.

DE CONNUBIIS MIXTIS.

QUÆRES 1. *Quid sentiendum de matrimoniis mixtis?*

Nota. Matrimonia *mixta* dicuntur quando contrahuntur a parte catholica cum parte acatholica seu hæretica, vel schismatica.

RESP. 1. Certum est illa matrimonia, sicut matrimonia hæreticorum vel schismaticorum inter se, valida esse, et rationem habere Sacramenti, si alias serventur servanda. Etenim cum Christus elevaverit matrimonium fidelium, nempe baptizatorum, ad dignitatem Sacramenti, sequitur illa matrimonia rationem assequi Sacramenti.

RESP. 2. Imprimis sciendum est Romanos Pontifices[1], post antiquos canones explicare Catholicarum cum acatholicis nuptias, tum ob flagitiosam communionem in rebus sacris, tum ob periculum subversionis Catholici conjugis, pravamque nasciture sobolis institutionem, illicitas prorsus ac vetitas esse.

Igitur summo jugiter studio advigilavit Apostolica Sedes ut Ecclesiæ canones, qui talia connubia severe prohibent, religiose custodirentur. Et, quamvis ad graviora evitanda scandala, interdum Romani ipsi Pontifices illicita hujusmodi matrimonia toleraverint, idemque sanctissimum canonicum interdictum relaxarint in peculiaribus casibus,

[1] Ut fertur in Brev. Gregor. XVI ad Episcopos Bavariæ, 27 maii 1832, et 26 sept. 1835.

id sane graves ob causas et ægre admodum fecerunt, suisque dispensationibus consueverunt adjicere conditionem expressam de præmittendis matrimonio debitis cautionibus.

Ubi enim mixta hæc connubia sine illis conditionibus celebrantur, extremam afferunt perniciem catholicæ religionis ut experientia demonstrat in illis regionibus, inquit P. Perronne, penes quas sive ex Episcoporum negligentia, sive ex illata vi illæ servatæ non sunt. Unde: tenendum est

1° Hæc connubia regulariter illicita esse, utpote graviter improbata jure naturali et divino, atque jure ecclesiastico penitus interdicta.

2° Romanum Pontificem solum potestatem habere dispensandi cum parte catholica, ut matrimonium ineat cum acatholica parte, ac proinde graviter peccare sacerdotem, si absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo præscriptis, sua præsentia, benedictione aliove ritu sacro cohonestat.

QUÆRES 2. *Quænam conditiones requiruntur ut licite contrahantur matrimonia mixta?*

Hæ sequentes conditiones requiruntur a Summo Pontifice Papa Pio VI, in rescripto ad Archiep. Mechlinensem, ut licite ineantur hujusmodi connubia, nempe 1° ut, prædicta pontificia obtenta dispensatione, sacerdos tali matrimonio non assistat in loco sacro, nec aliqua sacra veste indutus, neque quascumque Ecclesiæ preces recitet, neque ullo modo conjugibus benedicat, sed ut testem a Concilio Trid. requisitum mere se habeat; 2° ut pars hæretica scripto ac juramento coram testibus præstito promittat se permissurum ut pars catholica suam religionem libere sequi valeat, omnemque prolem in ea instituat; 3° ut pariter pars catholica eodem modo promittat se hoc præstituram, ut compartis conversionem procuret. Ita etiam decernit S. Cong. Concil. Trid., die 15 jun., anno 1793. Vid. Bened. XIV, *de Syn.*, lib. VI, cap. 5, n. 5.

Nota. Ex Epist. Gregor. XVI, 3 april. 1841, ad Primatem et Episcopos Hungariæ, et instructione ad eosdem, ejusdem diei, mixta matrimonia in Hungaria et Transylvania coram ministello hæretico contracta, quamvis illicita, tamen in illis partibus, inspectis peculiaribus circumstantiis, pro validis habenda sunt, nisi tamen canonicum officiat dirimens impedimentum, seu in nuptiarum celebratione appositæ fuerint conditiones substantiæ matrimonii ex catholica doctrina repugnantes, qualis est ista, apud Calvinistas in Transylvania consueta: *Quandiu permanseris in honestate conjugali, vel si fidem tori servaveris.* *

APPENDIX I.

PROPOSITIONES A SS. PONTIFICIBUS DAMNATÆ.

QUAMVIS PROPOSITIONES A SUMMIS PONTIFICIBUS DAMNATÆ, IN TOTO HOC OPERE REPERIANTUR DISPENSÆ, TAMEN EAS HIC COLLECTIVE REFERRE, NON INUTILE DUXIMUS, UT QUI, PRO OCCURRENTIBUS OCCASIONIBUS, AD EAS RECURRERE VOLUERINT, EAS REPERIRE MINORI LABORE POSSINT.

§ I. *Baii propositiones* 79 *a Pio V, ann.* 1567 *damnatæ, ut hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, et in pias aures offensionem immittentes respective.*

1. Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita æterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non solum fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est, ad aliquam justitiam) conscendi posse docent,

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non separetur.

31. Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; et gratuiti, quo Deus amatur ut beneficator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ oritur ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen líbertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sit per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, est revera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vera legis justitia : non tamen ii obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus fit ut, sancta societate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem pec-

cati, sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituale parvulis voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate determinate fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, eo quia homo invitus patitur, sunt probibita præcepto : *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus et reatus ; transeunte autem actu, nil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis ; sed a Deo solo, qui pœnitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat ; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores), sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi, a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet: secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est, ad modum meritorum) commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstanstiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, qua vivificatur, peccator, dum ei pœnitentia et vitæ novæ propositum, et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur qui vere justificatur, et palmes vivus

in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minime congruens.

65. Non nisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Job et martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto : *Non concupisces;* unde homo

eos sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum : *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliud concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.

§ II. *Quinque propositiones famosæ Jansenii ab Innoc. X damnatæ, ann.* 1653, *constitutione* Cum occasione impressionis, etc.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant. *Hæc propositio damnata est ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et hæretica.*

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Hæc propositio damnata est ut hæretica.*

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Damnata est ut hæretica.*

4. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Damnata est ut falsa et hæretica.*

5. Semi-pelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Damnata est ut falsa, temeraria, scandalosa ; et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, ut impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.

§ III. *Propositiones* 43 *quas Alex. VII, ann.* 1663 *et* 1666, *ad minimum tanquam scandalosas dannavit; quasque docere prohibuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac Summo Pontifici, extra mortis articulum, reservatæ.*

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 julii in consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem

missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus religioni, publice et coram gravissimis viris prædicta impingere nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Nec peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Nota. Propositiones quæ sequuntur, sub eadem forma et censura ab eodem Summo Pontifice damnatæ sunt ann. 1666.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti et crastino.

37. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V, hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula : *quamprimum,* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur; secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo,* dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

§ IV. 65 *propositiones morales, quas Innoc. XI, decreto ann.* 1679, *damnavit, ut minimum tanquam scandalosas, et in praxi perniciosas, quasque edoceri, et ad praxim deduci prohibuit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservatæ.*

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere : illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

19. Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari ne-

quit; id quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere, defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut et jus habenti in Cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

46. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *Mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem,

quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat, et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit, *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

40. Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere; quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

§ V. 68 *propositiones Michaelis Molinos, quas Innoc. XI, Decreto ann.* 1687 *damnavit tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, christianæ disciplinæ relaxativas, et eversivas et seditiosas respective.*

1. Oportet hominem suas potentias annihilare, et hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, et ideo opus est se ipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad suum principium tendit, et ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res

unitæ, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit, et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa in qua non cognoscitur, nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ. Illud Evangelii: *Petite, et accipietis*, non est

dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi, per discursum, auxilium ferre, et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur; ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cognitionibus et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura

productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse; et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus: lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet ad contemplationem infusam, et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis, quia oratio et resignatio, resignatio et oratio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica; cum non sit nisi unica via, scilicet, via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quærit Deum, sed seipsum, et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est, si quidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo et virtutibus, et frigida remanet, nullum in seipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile quod expetimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Non ante, nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt et fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei, alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu *Pater Noster*, recitare.

35. Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione et activitate, alias non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, ac humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti, sedere de-

bent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum; sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria, mortificationum pondus grave est et infructuosum; ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et pœnitentiæ quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice eorum manus, et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminæ; et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus, præteritis sæculis, Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fecit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo

26.

corpore passus est, unde scripsit : *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via. Et hæc est via facilior et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullum proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscœni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. 16 Job.).

50. David, Jeremias, et multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Uti illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, et peccata fuissent. De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit. De Eliseo, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit vio-

lentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentata, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, et videre quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia, et certus sum quod lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquod revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, et confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones ita quod nihil amplius sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges et duæ cupiditates, animæ una, et amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est et mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, et duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad sta-

tum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, et casibus conscientiæ, a theologia et a philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ; Deus aliquando confessionem efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia perseverante, quantum in Sacramento reciperent; et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin imo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi : 1° quia non habet fidem adeo puram; 2° quia non est adeo humilis; 3° quia non adeo curat propriam salutem; 4° quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo exterius pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima, quoad internum, gubernari debeat ab Episcopo : quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec auctores, eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima ejus habet facultatem eligendi quemcumque sibi visum fuerit.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali præpositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus præjudicant his deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ directoris quoad internum animæ, et ideo opus est animadvertere quod hoc est insultus satanæ, etc.

§ VI. *Alex. VIII, decreto dato die* 24 *aug.*, *ann.* 1690, *duas sequentes propositiones damnavit ; primamque declaravit hæreticam, et ut talem prohibuit sub censuris et pœnis contra hæreticos et eorum fautores in jure expressis. Secundam vero declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam ; et uti talem eam edoceri, et ad praxim deduci prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et S. Pontifici reservatæ.*

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali ; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative ; hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis,

2. Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.

Idem Summus Pontifex, decreto dato die 7 decembris 1690, *damnavit* 31 *propositiones tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas et hæreticas respective, et uti tales prohibuit eas edoceri et ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ.*

1. In statu naturæ lapsæ, ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Dei; non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas patris est; si mundi, concupiscentia carnis; hoc est mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui

eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegii sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Maria Virgine in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur quod indiguerit purificatione, et quod filius qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris*, etc., prætermissis illis : *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : *Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII, *In eminenti*, est subreptitia.

§ VII. *Innoc. XII, Constitutione* Cum alias, *data ann.* 1699, *damnavit librum gallico idiomate scriptum, cui titulus est :* Explications des maximes des Saints, etc., *ex quo* 23 *propositiones extractas damnavit tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective.*

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse; neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, nec propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ seu unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id quod est essentiale in directionem animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, precautione et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo; quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ, anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, et beati propter interesse proprium, sed omnium perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu, nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse

omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium; neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* in hac voluntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris

fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori... in ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione, nam totum quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur ... ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis ... *Primo* in fervore nascente earum contemplationis... *Secundo* anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo ... exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes; in quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, et desinteressata, nec ipsum amare vult amplius quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum qui deliberati et meritorii sunt.

§ VIII. *Clemens XI propositiones 101, excerptas ex libro Reflexionum moralium, damnavit Constitutione* Unigenitus, *data die* 8 *septembris, anno* 1713. *Cum autem dicta Constitutio omnibus eam desiderantibus non suppeditet, illam ex voto referre non injucundum fore duxi.*

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christi fidelibus salutem et Apostolicam benedictionem.

Unigenitus Dei Filius pro nostra et totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, et futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit ut attenderemus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, et in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis obrepant quasi deponentes lupinam pellem, et sese divinæ legis sententiis, velut quibuspiam ovium velleribus obvolventes, sanctarum Scripturarum, adeoque ipsius etiam novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; anti-

qui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii patris exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His nos vere divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, librum quemdam gallico idiomate olim impressum, et in plures tomos distributum, sub titulo : *Le nouveau Testament en françois, avec des réflexions morales sur chaque verset*, etc., *à Paris*, 1699; aliter vero : Abrégé de la Morale de l'*Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres*, etc., *à Paris*, 1693 *et* 1694. Tametsi alias a nobis damnatum, et revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio et opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, et de regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum nobis dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus, adeoque pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, litteris ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies nonnisi secto ulcere foras erumpat; cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis

illiciat : molliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula, et quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius aut salubrius præstari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus distinctius et apertius explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, et quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re catholica futurum, et sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras prætendentium dissidiis apprime proficuum; conscientiarum denique tranquillitati perutile, et propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed et ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda catholicæ fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis et Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati, prolata quantocius Apostolici censura judicii, consuleremus.

Hinc, adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto Libro juxta recensitas respective editiones, fideliter extractas, et tum gallico, tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in sacra Theologia Magistris primo quidem

coram duobus ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti; deinde vero coram nobis adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet Libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi et examinari mandavimus. Hujusmodi autem propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet :

« 1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius « gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, « superna paupertas, et segnis indigentia, hoc est, gene- « ralis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne « opus bonum ?

« 2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujus- « cumque generis, necessaria est ad omne opus bonum : « absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

« 3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das « quod præcipis.

« 4. Ita, Domine, omnia possibilia ei cui omnia possi- « bilia facis, eadem operando in illo.

« 5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctio- « nem gratiæ suæ, exhortationes et gratiæ exteriores non « inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

« 6. Discrimen inter fœdus judaicum et christianum « est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, et imple- « mentum legis a peccatore, relinquendo illum in sua im- « potentia, in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, « illum sua gratia purificando.

« 7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo « Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo « ipsi suam legem ? quæ vero felicitas non est admitti ad « fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis ?

« 8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quan- « tum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur « in nobis id quod Deus nobis præcipit.

« 9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri « Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam il- « lum abnegamus.

« 10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam « nil impedire potest, aut retardare.

« 11. Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis « Dei, jubentis, et facientis quod jubet.

« 12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque « tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur « voluntatem Dei.

« 13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam « tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana « ei resistit.

« 14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator « obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine « salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese « humiliet et adoret Salvatorem suum.

« 15. Quando Deus mandatum suum, et suam æternam « locutionem comitatur unctione sui Spiritus, et interiori « vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam « petit.

« 16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris « gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

« 17. Gratia est illa vox Patris, quæ homines interius « docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque « ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem « filii, nullatenus est doctus a Patre.

« 18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper af- « fert fructum suum.

« 19. Dei gratia nihil aliud est quam ejus omnipotens « voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in « omnibus suis Scripturis.

« 20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis « obediri, et obeditur; imperat, et omnino fiunt; loquitur « tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

« 21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, su-
« prema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis
« omnipotentis, sequela, et imitatio operationis Dei incar-
« nantis et resuscitantis filium suum.

« 22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde
« hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demons-
« tratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque
« archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ,
« et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes
« a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

« 23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis ope-
« rationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua crea-
« turas e nihilo producit et mortuis reddit vitam.

« 24. Justa idea, quam Centurio habet de omnipoten-
« tia Dei et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu
« suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de
« omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupi-
« ditate.

« 25. Deus illuminat animam, et eam sanat æque ac
« corpus sola sua voluntate; jubet, et ipsi obtemperatur.

« 26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

« 27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

« 28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est
« peccatorum remissio.

« 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

« 30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, sal-
« vantur infallibiliter.

« 31. Desideria Christi semper habent suum effectum;
« pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

« 32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro
« semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de
« manu Angeli exterminatoris.

« 33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, et sibi-
« metipsis renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat
« sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus

« amorem, mortem, et mysteria, ut facit S. Paulus, dicens:
« *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

« 34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

« 35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ.

« 36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, et statum innocentiæ ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset : ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

« 37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna Filio Dei.

« 38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

« 39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum ; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

« 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

« 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, et sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

« 42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.

« 43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

« 44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et

« actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia « agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et « amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus; qui quod ad « Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum « fit malus.

« 45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius reg- « nante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, « omnesque actiones ejus corrumpat.

« 46. Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum, « vel malum faciunt.

« 47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; et hic « fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium « interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod « apparet exterius, alioquin non est, nisi hypocrisis, aut « falsa justitia.

« 48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aber- « ratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, et « sine charitate?

« 49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nul- « lum est opus bonum sine amore Dei.

« 50. Frustra clamamus ad Deum: Pater mi, si spiritus « charitatis non est ille qui clamet.

« 51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non « operatur per charitatem.

« 52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tan- « quam in suo germine et semine; sed hæc fides non est « absque amore et fiducia.

« 53. Sola charitas christiano modo facit (actiones chris- « tianas), per relationem ad Deum et Jesum Christum.

« 54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam « Deus audit.

« 55. Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex « alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit.

« 56. Deus non remunerat, nisi charitatem, quoniam « charitas sola Deum honorat.

« 57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, et « non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

« 58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

« 59. Oratio impiorum est novum peccatum; et quod « Deus illis concedit, est novum in eis judicium.

« 60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo « hæc est magis violenta, eo magis ducit ad despera- « tionem.

« 61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tam- « diu peccato adducitur, quamdiu ab amore justitiæ non « ducitur.

« 62. Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud « committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

« 63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut judæus, si le- « gem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

« 64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia « peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timo- « rem evitando.

« 65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes et Doctores legis « mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, « cum non effecerint, nisi mancipia per timorem.

« 66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum « venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per « instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, « sed per fidem et per amorem, sicut filii.

« 67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut « dominum durum, imperiosum, injustum, intractabi- « lem.

« 68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo « totum in fide et precibus.

« 69. Fides, usus, augmentum, et præmium fidei, totum « est donum puræ liberalitatis Dei.

« 70. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones « semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad « purificandum peccatorem.

« 71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare « ab ea lege quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

« 72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit catholica, « comprehendens et omnes Angelos cœli, et omnes electos, « et justos terræ, et omnium sæculorum.

« 73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manen- « tium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium « in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium « ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium « gratiam futuri sæculi.

« 74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum « habet, ut caput; omnes vero Sanctos ut membra.

« 75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex plu- « ribus membris, quorum Christus est caput, vita, sub- « sistentia et persona; unus solus Christus compositus ex « pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

« 76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, et « justi omnium sæculorum illam componunt.

« 77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro « Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, et « Christum pro capite.

« 78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit « populus judaicus, et caput est Jesus Christus, tam non « vivendo secundum Evangelium, quam non credendo « Evangelio.

« 79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, « et omni personarum generi studere, et cognoscere spiri- « tum, pietatem, et mysteria sacræ Scripturæ.

« 80. Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus.

« 81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio « dispensandi seipsos ab ejus lectione.

« 82. Dies Dominicus debet a Christianis sanctificari « lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scriptu- « rarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione « retrahere.

« 83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysterio-« rum religionis non debeat communicari feminis, lectione « sacrorum Librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed « ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abu-« sus, et natæ sunt hæreses.

« 84. Abripere e Christianorum manibus novum Testa-« mentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis « modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

« 85. Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, « præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis « lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excom-« municationis.

« 86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vo-« cem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi « Apostolicæ, et intentioni Dei.

« 87. Modus plenus sapientia, lumine et charitate, est « dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sen-« tiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et « contritionis, et incipiendi, ad minus, satisfacere justitiæ « Dei, antequam reconcilientur.

« 88. Ignoramus quid sit peccatum, et vera pœnitentia, « quando volumus statim restitui possessioni honorum « illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus « separationis istius ferre confusionem.

« 89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris « est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi « sacrificio Ecclesiæ.

« 90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut « eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem « præsumpto, totius corporis.

« 91. Excommunicationis injustæ metus nunquam debet « nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam exi-« mus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia vide-« mur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi « Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

« 92. Pati potius in pace excommunicationem, et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum : tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

« 93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato : Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

« 94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res quæ nec fidem lædunt, nec mores.

« 95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina plerisque Christianis, et modus eam prædicandi est veluti idioma incognitum ; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium ; nec satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos.

« 96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinæ gratiæ.

« 97. Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia vel tanquam ab ea separata ; sed justus vivit ex fide, et non ex opinionibus hominum.

« 98. Status persecutionis et pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

« 99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc.

« 100. Tempus deplorabile quo creditur honorari Deus, « persequendo veritatem ejusque discipulos. Tempus hoc « advenit... haberi et tractari a religionis ministris, tan- « quam impium, et indignum omni commercio cum Deo, « tanquam membrum putridum, capax corrumpendi om- « nia in societate Sanctorum; est hominibus piis morte « corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de « suarum intentionum puritate, et zelo quodam religionis, « persequendo flamma ferroque viros probos, si propria « passione excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod « nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare « Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

« 101. Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis « opponitur, quam communia facere juramenta in Eccle- « sia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, la- « queos tendere infirmis, et idiotis, et efficere ut nomen « et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. »

Auditis itaque cum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique imprimis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes et singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestatem sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, et potissimum illas quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerint, acceptis, continentur, manifeste innovantes respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus et reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne

de dictis propositionibus sentire, docere, ac prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam, conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Cæterum, per expressam præfatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ ut supra, damnatæ fuerunt consimiles et affines, iisdemque erroribus imbutæ; nec sanæ paucas sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, et pervicaciam nutrientes, easque falso christianæ patientiæ nomine prædicantes, quas propterea singillatim recensere et nimis longum esse duximus et minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsius novi Testamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, et alteri dudum reprobatæ versioni gallicæ Montensi in multis conformem : a vulgata vero editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, et aberrantem, pluricsque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea librum, utpote per dulces sermones, et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter

damnamus; quemadmodum etiam alios omnes et singulos in ejus defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, et usum omnibus, et singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter et interdicimus.

Præcipimus insuper venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles quoscumque per censuras et pœnas præfatas, aliaque juris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1713, *sexto septembris, Pontificatus nostri anno* 13.

§ *IX. Propositiones a Pio, PP. VI damnatæ, in Bulla* Auctorem fidei.

---

1. Propositio quæ asserit *postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi,*
— *Hæretica.*

2. Propositio quæ statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;*
Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas,
— *Hæretica.*

3. Insuper quæ statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale;*
Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia,
— *Hæretica.*

4. Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde,* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis;*
Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores,* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum

ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda,

— *Hæretica.*

5. Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione.

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salutribus pœnis coercendi atque cogendi;*

Ex Bened. XIV, in brevi *Ad assiduas*, anni 1755, primatis, archiepiscopis et episcopis regni Poloniæ.

— *Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.*

6. Doctrina synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices et concilia generalia pro universa Ecclesia,

— *Schismatica, ad minus erronea.*

7. Item in eo quod hortatur episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem,* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium;*

Per id quod supponit Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchiæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent,

— *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

8. Item quod et sibi persuasum esse ait *jura Episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium gravi de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ;*

In eo quod innuit jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ,

— *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

9. Doctrina, quæ statuit *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis diœcesanis ab episcopo et parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum,*

— *Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva; regiminis hierarchici subversiva; favens hæresi arianeæ a Calvino innovatæ.*

10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

— *Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.*

11. Sententia enuntians veteri majorem instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse *ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent, et approbatæ a synodo diœcesana,*

— *Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens, et hæresim.*

12. Assertiones synodi complexive acceptæ circa decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, et quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

— *Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.*

13. Propositio relata inter acta synodi, quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti,

— *Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.*

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

— *Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens, et hæresim.*

15. Doctrina, quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate,

— *Hæretica.*

16. Doctrina synodi de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium,

— *Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens hæresi pelagianæ.*

17. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat mortem, quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

— *Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.*

18. Doctrina synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat,* tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum,* ac primum ut in statu naturæ *homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis;*

Doctrina, ut jacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere,

— *Suspecta, favens hæresi semipelagianæ.*

19. Item quæ subjungit hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit*, superadditque *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris;*

Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per observantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit evitare, qui pius est,*

Ex S. Cæsario, serm. 73, *in Append. S. Augustini.* serm. 273, edit. Maur.
Ex S. Aug., *de Nat. et Grat.*, c. 43; *de Grat. et lib. Arb.* c. 16; Enar. *in psal.* 56, n. 1.

— *Falsa, scandalosa, in Baio damnata.*

20. Qua parte datur intelligi hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis,*

Ex concil. Araus. II, can. 3.

— *Propositio, ut jacet, captiosa, suspectiva, favens hæresi semipelagianæ.*

21. Propositio, quæ asserit *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali : gratiam in tali casu producere eumdem effectum quem lex producebat : ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti : hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus ; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam*

novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei;

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creat in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid., sess. 6, cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur,

— *Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum eumque renovans.*

22. Propositio, quæ innuit fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem, et Ecclesiam,* esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia, illa, quæ *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem,*

Ex S. Aug., *de Dono persev.*, c. 16, n. 41,

— *Suspecta de hæresi eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

23. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati : ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere;

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur : aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

— *Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum, artic.* 40.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum, *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiæ imaginis Dei;*

Ex S. August., *de Spir. et Lit.*, c. 28,

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quæ non reprehenditur,*

Ex S. August. serm. 349 *de Charit.,* edit. Maur.,

— *Falsa, alias damnata.*

25. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet *duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ,

— *Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ;* opus esse, *juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam,* ut intret timor primo per quem veniat charitas; timor medicamentum, charitas sanitas.

Ex S. August., *in epist. Joan.* c. 4, tract. 9, n. 4, 5.
In Joann. evang., tract. 41, n. 10.
Enarratione *in psal.* 127, n. 7.
Sermone 157 *de Verbis apostoli*, c. 13.
Sermone 161 *de Verbis apostoli*, n. 8.
Sermone 349 *de Charitate*, n. 7.

26. Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ, et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani,

— *Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.*

27. Deliberatio synodi, qua prætextu adhæsionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione,

— *Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.*

28. Propositio synodi, qua, postquam statuit *victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem*, subjungit, *non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant : et quasi damnandæ essent ut illicitæ missæ illæ in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet,

— *Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.*

29. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1° Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub

speciebus; 2° tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemni fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica,

— *Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transsubstantiationis, favens hæreticis.*

30. Doctrina synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tum vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet*: unde et consequenter traducit *velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi qui eleemosynam subministrat sacerdoti sub conditione quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a

pastoribus pro suis ovibus; quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum,

Sess. 22, cap. 1 *de Reform.*
Bened. IV, Constit. *Cum semper oblatas*, § 2.

— *Falsa, temeraria, perniciosa. Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Vicleffo.*

31. Propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere,

— *Temeraria, perantiquo, pio multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti et probato mori injuriosa.*

32. Item præscriptio vetans ne super altaria sacrarum reliquiarum thecæ floresve apponantur,

— *Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.*

33. Propositio synodi, qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

— *Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.*

34. Declaratio synodi, qua postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili, et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt;*

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ pœniten-

tiæ cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta,

—*Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.*

35. Propositio his verbis concepta: *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet ut sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem, longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis;*

Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio Sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem,

— *Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.*

36. Doctrina synodi, qua postquam præmisit: *Quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum qui ad-*

mittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quæ fit in sacramentis, subdit, *supposititias conversiones, quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos pœnitentes ad sacramenta,* quæ signa, ut deinde tradit (§ 18), *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis,* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*de Pœnit.* § 10) *velut* dispositionem, quæ *debet præcedere absolutionem;*

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad Sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur,

— *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.*

37. Doctrina synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta ordinationem enuntiat *post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio;*

Quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam,

— *Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

38. Item doctrina, qua postquam synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ,* ut ait, *ad pœnitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,* subjungit, *per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent,*

— *Contraria can.* 13 *concilii Nicæni I, Decretali Innocentii I ad Exuperium Tholos., tum et Decretali Cælestini I ad episcopos Viennens. et Narbonens. provinciæ, redolens pravitatem, quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.*

39. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones,

— *Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. conc. Trid. probatæ contraria.*

40. Propositio, asserens *indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam,

— *Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art.* 19 *Lutheri damnata.*

41. Item in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum,

— *Falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata.*

42. Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos,*

— *Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.*

43. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.,

— *Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota in Ecclesia frequentatam contumeliosa.*

44. Propositio synodi, asserens *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem,*

— *Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.*

45. Item de spe quam ostendit fore *ut reformato Rituali, et ordine pœnitentiæ nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab Episcopo, vel synodo, aboleri posse casus quos Tridentina synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare,

— *Propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.*

46. Propositio, asserens *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ;*

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans.

Ex S. Aug., ep. 250 *Auxilio episcop.*; tract. 50 *in Joann.*, n. 12,

— *Falsa, perniciosa, in art.* 23 *Lutheri damnata, ad minus erronea.*

47. Item quæ tradit necessarium esse, juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu,

— *Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.*

48. Item quæ pronuntiat *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset,*

— *Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.*

49. Item quæ damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia,*

— *Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.*

50. Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse uti potestate quam tamen ei differt Tridentinum (sess. 14, c. 1 *de Ref.*), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ,

— *Jurisdictionis prælatorum Ecclesiæ læsiva.*

51. Doctrina synodi, quæ perhibet, in promovendis ad ordines hanc de more, et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset: neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

52. Item quæ innuit non alium titulum ordinationum

fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in concilio Chalcedonensi : subjungens (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

53. Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1° Sive quibus ordinationes per saltum vetitæ sunt;

2° Sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii : salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3° Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares : quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque qui baptismalem innocentiam non conservassent,

— *Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam, injuriosa.*

54. Item quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis missis, et sacramen-

tis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his quibus spiritualia ministrantur,

— *Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.*

55. Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis velut acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia, non ad meram speciem pro majoribus ordinibus suscipiendis redacta erant.

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. prov. IV Mediol.) : idque ad mentem Tridentini (sess. 23, c. 17), *ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur*,

— *Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, et in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.*

56. Doctrina, quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

— *Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.*

57. Præscriptio synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur : item in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

— *Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini, sess.* 7, *c.* 5, *et sess.* 24, *c.* 17.

58. Propositio, quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ,

— *Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.*

59. Doctrina synodi, asserens *ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia,* quod *jus originarium* præterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum,* subjungens, *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et

nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

— *Canonum* 3, 4, 9, 12, *sess.* 24, *Concil. Trid. eversiva, hæretica.*

60. Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani,* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;*

Quatenus civili potestati jus attribuit, sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,

— *Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.*

61. Propositio, quæ asserit *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex concil. C. P. V. gen., can. 9,

— *Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.*

62. Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum cor Jesu rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata,

— *Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.*

63. Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ;

Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro,

— *Captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.*

64. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;*

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum, vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo,

— *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.*

65. Propositio enuntians *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt exercitia, vel missiones..... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis*

actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura,
— *Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.*

66. Propositio asserens *fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ;*

Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ,
— *Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

67. Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare,* subjungens ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,
— *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.*

68. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commendationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque parœciis populo post reliquas functiones perlegant,
— *Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

69. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis,
— *Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ exstent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, ac tuto permittendæ.*

Ex Brevi *Sollicitudini Nostræ*, Bened. XIV, an. 1745.

70. Item doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

— *Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injuriosa, quo* ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.

Ex S. Aug., epist. 78 *clero, senioribus, et universæ plebi Ecclesiæ Hipponen.*

71. Item quæ vetat ne imagines præsertim B. Virginis ullis titulis distinguantur præterquam denominationibus, quæ sint analogæ mysteriis de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat,

— *Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. præsertim Virgini debitæ injuriosa.*

72. Item quæ velut abusum exstirpari vult morem quo velatæ asservantur certæ imagines,

— *Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

73. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem solemnitatum originem duxisse,

— *Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.*

74. Deliberatio synodi de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis : idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum missæ audiendæ abrogandi diebus in

quibus, ex pristina Ecclesiæ lege, viget etiamnum id præceptum ; tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis;

Quatenus adstruit episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis jejuniisve celebrandis ; aut indictum missæ audiendæ præceptum abrogare,

— *Propositio falsa, juris conciliorum generalium et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.*

75. Doctrina, quæ perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini præceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus ;* insuper *continuatam patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse :* indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta in investituris, et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit ; statuitque adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali,

— *Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.*

76. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam *quæ viam aperuit invehendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

— *Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ religionis bono scholasticam excoluere injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis,*

77. Item in eo quod subdit, *mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse ut oblitterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ oblitterari unquam potuerit, et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis,

— *Propositio falsa, temeraria, erronea.*

78. Præscriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam præmisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ,* subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile, aut onerosius, quam libertas filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum,

— *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.*

79. Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit,

— *Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogans.*

80. Regula 1ª quæ statuit universe et indiscriminatim *statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis,*

— *Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria;* quasi monachi, quos morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, *non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ* clericorum officiis *aggregentur.*

Ex S. Siricio, epist. decret. *ad Himerium Tarracon.*, c. 13.

81. Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset,

— *Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

82. Regula 2ª *multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem ;* item in eo quod præmittit § 4, *regularium fundatores*, qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse quam primariam mali causam magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat,

— *Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores, eorumque*

fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.

83. Regula 3ª, qua postquam præmisit *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum*, subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias,

— *Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

84. Art. 1. *De uno duntaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ cæteris regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius ordinis merita: sic tamen ut in his, quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant ecclesiasticæ hierarchiæ, qui se huic ordini adjunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, præterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam curati, vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctæ sunt psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiæ consolatio et christianismi ornamentum exstiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: ad ipsum pertinebit monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

8. *Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali regula numero 2° statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duæ in diem missæ celebrentur, satisque cæteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

Item pro reformatione monialium (§ 11).

Vota perpetua usque ad annum 40, aut 45, non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ: a carnali spiritualitate, qua pleræque distinentur, avocandæ: expendendum utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui;

— *Systema vigentis, atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium conciliorum etiam generalium*

tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

85. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticæ historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad religionem;

Sic intellecta, ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ, per nationale concilium irrefragabili judicio finiri valeant; quasi inerrantia in fidei, et morum quæstionibus nationali concilio competeret,

— ***Schismatica, hæretica.***

APPENDIX II.

LETTRE DE N. S. P. LE PAPE PIE IX A S. M. LE ROI DE SARDAIGNE.

Castelgandolfo, ce 19 septembre 1852.

La lettre, en date du 25 juillet dernier, que Votre Majesté Nous a fait remettre, à l'occasion d'une autre lettre que Nous lui avions adressée, a donné à notre cœur des motifs de consolation, car Nous y avons vu une demande faite par un souverain catholique, au chef de l'Église, dans la question si grave du projet de loi sur les mariages civils. Cette preuve de respect envers notre sainte Religion, que Nous donne Votre Majesté, témoigne, d'une manière éclatante, du glorieux héritage que lui ont transmis ses augustes aïeux, Nous voulons dire l'amour pour la foi qu'ils professaient, et qui Nous inspire la ferme confiance que Votre Majesté saura en conserver le dépôt dans toute sa pureté, pour l'avantage de tous ses sujets et malgré la perversité des temps présents.

Cette lettre de Votre Majesté Nous engage à remplir les devoirs de notre ministère apostolique, en lui adressant une réponse franche et décisive; Nous le faisons d'autant plus volontiers que Votre Majesté nous donne l'assurance qu'elle tiendra grand compte de cette réponse.

Sans entrer dans la discussion de ce que contiennent les écrits des ministres royaux que Votre Majesté Nous a fait adresser, et où l'on prétend faire tout à la fois l'apologie de la loi du 9 avril 1850, et celle du projet de loi sur le

mariage civil, représentant cette dernière comme une conséquence des engagements pris par la publication de la première; sans faire observer que l'on fait cette apologie au moment même où se trouvent pendantes les négociations commencées pour la conciliation avec les droits de l'Église violés par ces lois; sans qualifier certains principes formulés dans ces écrits, et qui sont manifestement contraires à la sainte discipline de l'Église, Nous Nous proposons seulement d'exposer, avec la brièveté qu'exigent les limites d'une lettre, quelle est, sur le point en question, la doctrine catholique. Votre Majesté trouvera dans cette doctrine tout ce qui est nécessaire pour qu'une affaire aussi importante soit terminée conformément aux règles. Nous sommes d'autant plus convaincu de pouvoir obtenir ce résultat, que les ministres de Votre Majesté ont déclaré qu'ils ne consentiraient jamais à faire une proposition contraire aux préceptes de la religion, quelles que puissent être les opinions dominantes.

C'est un dogme de foi, que le mariage a été élevé par Jésus-Christ, Notre-Seigneur, à la dignité de sacrement, et c'est un point de la doctrine de l'Église catholique, que le sacrement n'est pas une qualité accidentelle surajoutée au contrat, mais qu'il est de l'essence même du mariage, de telle sorte que l'union conjugale entre des chrétiens n'est légitime que dans le mariage-sacrement, hors duquel il n'y a qu'un pur concubinage.

Une loi civile qui, supposant le sacrement divisible du contrat de mariage pour des catholiques, prétend en régler la validité, contredit la doctrine de l'Église, usurpe ses droits inaliénables, et, dans la pratique, met sur le même rang le concubinage et le sacrement de mariage, en les sanctionnant l'un et l'autre comme également légitimes.

La doctrine de l'Église ne serait pas sauve et les droits de l'Église ne seraient pas suffisamment garantis par l'adoption, à la suite de la discussion qui doit avoir lieu au

sénat, des deux conditions indiquées par les ministres de Votre Majesté, savoir : 1° que la loi reconnaîtra comme valides les mariages célébrés régulièrement devant l'Église, et 2° que, lorsqu'un mariage dont l'Église ne reconnait pas la validité aura été célébré, celle des deux parties qui voudrait plus tard se conformer aux préceptes de l'Église ne sera pas tenue de persévérer dans une cohabitation condamnée par la religion.

Quant à la première condition : ou on entend par mariages valides les mariages régulièrement célébrés devant l'Église, et, dans ce cas, non-seulement la distinction de la loi serait superflue, mais il y aurait une véritable usurpation sur le pouvoir légitime, si la loi civile prétendait connaître et juger des cas où le sacrement de mariage a été ou n'a pas été célébré régulièrement *devant l'Église ;* ou bien on entend par mariages valides devant l'Église les seuls mariages contractés *régulièrement*, c'est-à-dire, conformément aux lois civiles, et, dans cette hypothèse, on est encore conduit à la violation d'un droit qui est exclusivement de la compétence de l'Église.

Quant à la deuxième condition, en laissant à l'une des deux parties la liberté de ne pas persévérer dans une cohabitation illicite, attendu la nullité du mariage qui n'aurait été célébré ni devant l'Église, ni conformément à ses lois, on n'en laisserait pas moins subsister comme légitime devant le pouvoir civil une union condamnée par la religion.

Au reste, les deux conditions ne détruisent ni l'une ni l'autre la supposition que le projet de loi prend pour point de départ dans toutes ses dispositions, savoir : que, dans le mariage, le sacrement est séparé du contrat, et par cela même elles laissent subsister l'opposition déjà indiquée entre ce projet de loi et la doctrine de l'Église sur le mariage.

Que César, gardant ce qui est à César, laisse à l'Église ce

qui est à l'Église; il n'y a pas d'autre moyen de conciliation. Que le pouvoir civil dispose des effets civils qui dérivent du mariage, mais qu'il laisse l'Église régler la validité du mariage même entre chrétiens. Que la loi civile prenne pour point de départ la validité ou l'invalidité du mariage comme l'Église les détermine, et partant de ce fait : qu'elle ne peut pas constituer (cela est hors de sa sphère), qu'elle en règle les effets civils.

La lettre de Votre Majesté Nous engage à donner des éclaircissements sur quelques autres propositions que Nous y avons remarquées. Et d'abord, Votre Majesté doit avoir appris, par un canal qu'elle doit croire officiel, que Nous n'avons pas regardé comme nuisible à l'Église la présentation de la loi susdite. Nous avons voulu Nous entretenir sur ce point, avant son départ de Rome, avec le ministre de Votre Majesté, le comte Bertone. Il Nous a assuré sur l'honneur qu'il s'était borné uniquement à écrire aux ministres de Votre Majesté, que le Pape ne pourrait rien opposer si, tout en conservant au sacrement tous ses droits sacrés et la liberté à laquelle il a droit, on faisait des lois relatives exclusivement aux effets civils du mariage.

Votre Majesté ajoute que les lois sur le mariage, qui sont en vigueur dans certains États limitrophes du royaume du Piémont, n'ont pas empêché le Saint-Siége de regarder ces États d'un œil de bienveillance et d'amour. A ceci, Nous répondrons que le Saint-Siége n'est jamais demeuré indifférent aux faits que l'on cite, et qu'il a toujours réclamé contre ces lois, depuis le moment où leur existence lui a été connue; les documents où sont consignées les remontrances faites à ce sujet, se conservent encore dans nos archives. Cela ne l'a jamais empêché cependant, et cela ne l'empêchera jamais d'aimer les catholiques des nations qui ont été contraintes de se soumettre aux exigences des lois susdites. Devrions-nous cesser d'aimer les catholiques du royaume de Votre Majesté, s'ils se trouvaient dans la dure

nécessité de subir la loi en discussion? Assurément, non! Nous dirons plus : les sentiments de charité envers Votre Majesté devraient-ils s'éteindre en Nous si, ce qu'à Dieu ne plaise, elle se trouvait entraînée à revêtir cette loi de sa sanction royale? Notre charité redoublerait, au contraire, et ce serait avec une ardeur encore plus grande que Nous adresserions à Dieu de ferventes prières, le suppliant de ne pas retirer de dessus la tête de Votre Majesté sa main toute-puissante, et de daigner lui accorder plus abondamment que jamais le secours des lumières et des inspirations de sa grâce.

Il Nous est cependant impossible de ne pas comprendre dans toute son étendue le devoir qui Nous est imposé, de prévenir le mal autant que cela dépend de Nous, et Nous déclarons à Votre Majesté que, si le Saint-Siége a déjà réclamé en diverses occasions contre les lois de cette nature, il est aujourd'hui plus que jamais obligé de réclamer encore vis-à-vis du Piémont, et de donner à ces réclamations la forme la plus solennelle, et cela précisément parce que le ministère de Votre Majesté invoque l'exemple des autres États, exemples funestes dont c'est notre devoir d'empêcher l'imitation, et aussi parce que le moment choisi pour préparer l'établissement de cette loi étant celui où des négociations sont ouvertes pour le réglement d'autres affaires, cette circonstance pourrait donner lieu de supposer qu'il y a en cela quelque connivence de la part du Saint-Siége. Une telle détermination Nous sera véritablement douloureuse. Mais Nous ne pourrons en aucune manière Nous décharger de ce devoir devant Dieu, qui Nous a confié le gouvernement de l'Église et la garde de ses droits. En faisant disparaître la cause qui Nous oblige à le remplir, Votre Majesté pourrait Nous apporter un grand soulagement, et une seule parole d'elle mettrait le comble à la consolation que Nous avons éprouvée lorsqu'elle s'est adressée directement à Nous. Plus la réponse de votre Majesté

sera prompte, plus elle sera douce à notre cœur ; car elle viendra le délivrer d'une pensée qui l'accable, mais que Nous serons cependant contraint de réaliser dans toute son étendue, quand un devoir de conscience exigera rigoureusement de Nous cet acte solennel.

Il Nous reste maintenant à lever l'équivoque qui trompe Votre Majesté en ce qui touche l'administration du diocèse de Turin. Pour éviter des longueurs superflues, Nous Nous contenterons de prier Votre Majesté d'avoir la patience de lire les deux lettres que Nous lui avons adressées sous les dates des 7 septembre et 9 novembre 1849. Le ministre de Votre Majesté à Rome, qui se trouve aujourd'hui à Turin, pourra lui rapporter à ce sujet une réflexion qu'il a entendue de Notre bouche, et que Nous rappellerons ici en toute simplicité. Ce ministre insistant pour la nomination d'un administrateur dans le diocèse de Turin, Nous lui fîmes observer que le ministère piémontais, en prenant la responsabilité de l'incarcération et de l'exil, si dignes de réprobation, de Monseigneur l'archevêque de Turin, avait obtenu un résultat que, probablement, il ne se proposait pas, ces mesures ayant rendu ce prélat l'objet des sympathies et de la vénération d'une si grande partie du catholicisme, qui s'est plu à les manifester en tant de manières. Il s'ensuit que Nous sommes aujourd'hui dans l'impossibilité de paraître Nous mettre en opposition avec ce sentiment d'admiration exprimé par le monde catholique, en privant Monseigneur l'archevêque de Turin de l'administration de son diocèse.

Nous terminerons en répondant à la dernière observation que Nous fait Votre Majesté. On accuse une partie du clergé catholique piémontais de faire la guerre au gouvernement de Votre Majesté, et de pousser ses sujets à la révolte contre elle et contre ses lois. Une telle accusation Nous paraîtrait invraisemblable, si elle n'était formulée par Votre Majesté, qui assure avoir en main les documents par lesquels elle

est justifiée. Nous regrettons de n'avoir aucune connaissance de ces documents et de Nous trouver ainsi dans l'impossibilité de savoir quels sont les membres du clergé qui donnent les mains à la détestable entreprise d'une révolution en Piémont. Cette ignorance ne Nous permet pas de les punir. Toutefois, si par les mots: excitation à la révolte, on voulait parler des écrits que le clergé piémontais a fait paraître pour s'opposer au projet de loi sur le mariage, Nous dirons, tout en faisant abstraction de la manière dont quelques-uns auront pu s'y prendre, qu'en cela le clergé a fait son devoir. Nous écrivons à Votre Majesté que la loi n'est pas catholique. Or, si la loi n'est pas catholique, le clergé est obligé d'en prévenir les fidèles, dût-il, en le faisant, s'exposer aux plus grands dangers. Majesté, c'est au nom de Jésus-Christ, dont, malgré notre indignité, Nous sommes le vicaire, que Nous vous parlons, et Nous vous disons en son nom sacré de ne pas donner votre sanction à cette loi, qui sera la source de mille désordres.

Nous prions aussi Votre Majesté de vouloir bien ordonner qu'un frein soit mis à la presse, qui regorge continuellement de blasphèmes et d'immoralités. Ah! de grâce, par pitié, mon Dieu! que ces péchés ne retombent point sur celui qui, en ayant la puissance, ne voudrait pas mettre obstacle à la cause qui les produit! Votre Majesté se plaint du clergé; mais ce clergé a été, dans ces dernières années, persévéramment outragé, moqué, calomnié, livré à l'opprobre et à la dérision par presque tous les journaux qui s'impriment dans le Piémont; on ne saurait redire toutes les infamies, toutes les invectives haineuses répandues contre lui. Et maintenant, parce qu'il défend la pureté de la foi et les principes de la vertu, il doit encourir la disgrâce de Votre Majesté? Nous ne pouvons le croire, et Nous Nous abondonnons de tout cœur à l'espérance de voir Votre Majesté soutenir les droits, protéger les ministres de l'Église, et délivrer son peuple du joug de ces lois

qui attestent la décadence de la religion et de la moralité dans les États qui ont à les subir.

Plein de cette confiance, Nous élevons les mains au ciel, priant la très-sainte Trinité de faire descendre la bénédiction apostolique sur la personne auguste de Votre Majesté et sur toute sa royale famille.

PIUS P. P. IX.
Pont. Nostri anno VII.

Ex Pii IX allocutione habita in consistorio secreto, die 27 septembris, quæ matrimonium civile concernunt.

Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiæ in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur juxta jam damnatos hæreticorum errores atque adversus catholicæ Ecclesiæ doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum contractus haberetur et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causæ ad laica deferrentur tribunalia et ab illis judicarentur : cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieres præter sacramentum conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.

Ex Gregorii XVI Encyclica die 18 Kal. sept. 1832, quæ adversus Indifferentistas et Lamennaisium scripta sunt.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in præsens comploramus Ecclesiam, indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem, quæ improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione æternam posse animæ salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur... Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiæ. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quæ in sacræ et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At quæ pejor mors animæ, quam libertas erroris, inquiebat Augustinus (ep. 166)? Freno quippe omni adempto, quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente jam in præceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus puteum abyssi, e quo vidit Joannes (*Apoc.*, IX, 3) ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terræ...

Neque lætiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta extitit ac salutaris...

Eos imprimis affectu paterno complexi, qui ad sacras præsertim disciplinas et ad philosophicas quæstiones appulere, hortatores auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti, imprudentes a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint Deum esse sapientiæ ducem,

emendatoremque sapientium (*Sap.*, VII, 15), ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per Verbum docet homines scire Deum (*Iren.*, l. III, c. X). Superbi seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quæ exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus nostræque mentis rationi confidere, quæ naturæ humanæ conditione debilis est et infirma.

Gregorii XVI Encyclica die 7 Kal. Jul. 1834, *ad Episcopos Galliarum adversus Lamennaisium.*

Cæterum lugendum valde est, quonam prolabantur humanæ rationis diliramenta, ubi quis novis rebus studeat atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere quam oporteat sapere, sibique nimium præfidens veritatem quærendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris cœno ipsa invenitur, quæque idcirco columna ac firmamentum veritatis appellatur et est. Probe autem intelligitis, venerabiles fratres, Nos hic loqui etiam de fallaci illo haud ita pridem invecto philosophiæ systemate plane improbando, quo ex projecta et effrenata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quæritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ inanes, futiles, incertæ, nec ab Ecclesia probatæ adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur.

Theses a Bautainio subscriptæ 8 *sept.* 1840.

1. Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare valet. Fides, donum cœleste, posterior est revelatione; proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum allegari convenienter nequit.

2. Revelatio Mosaica cum certitudine per traditionem oralem et scriptam Synagogæ et Christianismi probatur.

3. Revelationis christianæ probatio ex miraculis Christi desumpta, quæ testium ocularium sensus mentesque percellebat, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit. Hæc eadem probatio in traditione omnium Christianorum orali et scripta reperire est, qua duplici traditione illis demonstranda est, qui vel eam rejiciunt, vel quin admittant, requirunt.

4. Non habemus jus ab incredulo requirendi, ut divini Salvatoris nostri resurrectionem admittat, priusquam certæ probationes ipsi administratæ fuerint : istæque probationes ex eadem traditione per ratiocinationem deducuntur.

5. Rationis usus fidem præcedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit.

6. Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis, Judæis per Moysen et Christianis per Jesum Christum factæ, probare valet.

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX ANALYTICUS.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT I. De natura Baptismi. 1

Nota : (1° Nullus hæreticus negat eum esse sacramentum ; 2° est triplex : *sanguinis, flaminis, fluminis.*)

Quæres 1. Quid sit Baptismus? 2

(Est sacramentum a Christo institutum — ad spiritualem hominis regenerationem — per exteriorem corporis ablutionem — factam aqua — sub præscripta verborum forma.)

Quæres 2. Quandonam institutum fuerit sacramentum Baptismi? 2

(Probabilius ante passionem, nam Joan. 3 : *Post hæc venit* ..)

Quæres 3. In quo differebat Baptismus Joannis a Baptismo Christi? 3

(In hoc potissimum quod non erat sacramentum, et non justificabat nisi ex opere operantis. Hinc Trid...)

CAPUT II. De materia et forma Baptismi. 4

Conclusio 1. Materia remota Baptismi *necessaria*, est *omnis* et *sola aqua naturalis,* seu elementaris, *ad abluendum apta.* 4

(Nam : 1° Sic Script. Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit...* Act. 8 : *Ecce aqua...* 2° Hinc Trid. : *Si quis dixerit aquam veram et naturalem....*)

Objectiones. 5

Conclusio 2. Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio per aquam *immediate supra corpus* baptizandi *fluentem.* 6

(Nam materia proxima est remotæ applicatio ad subjectum. Unde Eph. 5, baptismus dicitur *lavacrum aquæ.*)

Quæres : Quotuplici modo fieri possit ablutio? 7

(*Valide* triplici, nempe 1° immersione una vel trina ; 2° infusione; 3° aspersione. — *Licite* una tantum, nempe juxta usum actualem Ecclesiæ. Hic autem usus juxta tempora varius fuit.)

Conclusio 3. Forma Baptismi legitima et necessaria apud Latinos hæc est : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* 9

(Nam Math. : *Baptizantes eos*... Sic aliunde traditio et praxis Ecclesiæ. — Apud Græcos hæc est : *Baptizatur* (non vero baptizetur) *servus* vel *serva Dei* (N), *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Supple : *Baptizatur a me*.)
Quæres : Quænam in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti sint pronuntianda? 9
(Ad valorem debent exprimi : 1° actio baptizantis et persona baptizata : unde *baptizo te* ; 2° unitas naturæ : unde *in nomine*; 3° distincta invocatio trium personarum SS Trinitatis : unde *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*.)
CAPUT III. De variis proprietatibus Baptismi. 11
Nota : (Tres sunt præcipuæ, nempe *prioritas, unitas, necessitas*. — Constat prioritas, quia, ut ait Conc. Flor., est *janua vitæ spiritualis*. Unde Innoc. III mandat Presbyterum non baptizatum baptizari et reordinari. — Constat unitas, nam Eph. : *Unus Dominus, una*... Hinc Trid. — Unde
ARTICULUS UNICUS. De necessitate Baptismi. 12
Nota : (1° Necessitas est *medii* vel *præcepti*. — 2° Necessarium necessitate medii est tale vel *absolute* vel *hypothetice*. — 3° Baptismi necessitatem negarunt : 1° Pelagiani, Wiclefus, Zwinglius, Buccrus ; 2° Calvinus. — 4° De ea erronee censuere : 1° Cajetanus, 2° Gerson, Gabriel, Durandus.)
Conclusio 1. Extra casum martyrii, Baptismus in re vel in voto omnibus est necessarius necessitate medii ad salutem. — *Est de fide*, ex Trid. 13
(Nam Joan. : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*...)
Objectiones. 14
Conclusio 2. Baptismus adultis est necessarius necessitate præcepti. 15
(Nam Matth. : *Euntes, docete*.... — Aliunde necessitas medii includit pro capacibus præceptum.)
Quæres 1. An Baptismus flaminis suppleat vices Baptismi aquæ? — Sic, cum voto explicito vel aliquando implicito sacramenti. 16
Quæres 2. Quomodo Baptisma flaminis suppleat vices Baptismi aquæ? — Ex opere operantis... 17
Quæres 3. An martyrium suppleat vices Baptismi? — Sic, quoad omnem effectum, exceptis charactere et gratia sacramentali. 18
Quæres 4. Quomodo martyrium suppleat vices Baptismi aquæ? — Supplet ex opere operato, ratione pœnæ. 19
Quæres 5. Quid requiratur ut martyrium sit verum, suppleatque vices Baptismi? — Resp. 1° Ad martyrium parvulorum et

adultorum a nativitate amentium, nihil aliud requiritur quam ut illi mors inferatur in odium fidei et religionis. 2° Ad martyrium adultorum requiritur : mortis realis aut vulneris lethalis perpessio in odium fidei ; mors perpessa absque ulla se defendendi voluntate ; acceptatio mortis saltem habitualis et interpretativa ; dolor supernaturalis de peccatis, et probabilius contritio perfecta. 20

CAPUT IV. De ministro Baptismi. 21

Nota : Minister Baptismi triplex est : *ordinarius*, *extraordinarius*, *necessitatis*.

Conclusio. Minister Baptismi *ordinarius* est Episcopus et Presbyter. 21

(Nam Matth. : *Euntes, docete*... Hinc Florent...) ; — *extraordinarius* est Diaconus (ex cap. *Constat*... Sed solemniter nonnisi cum licentia, excepto casu necessitatis) ; — *necessitatis* est homo quilibet, sive vir, sive mulier, sive baptizatus, sive non (Ex Conc. Florent. — Deus enim vult omnes salvos fieri).

Quæres 1. An aliquis possit seipsum baptizare? — Non. 23

Quæres 2. Utrum unus possit plures simul baptizare? — Sic. 23

Quæres 3. An plures ministri possint eumdem simul baptizare valide ? — Si ut causæ partiales, non ; si ut causæ totales, sic, sed illicite. 23

CAPUT V. De subjecto Baptismi. 24

Nota : (Certum est apud omnes hominem omnem ratione utentem esse Baptismi subjectum, nam : *Docete omnes*...)

ARTICULUS 1. Utrum possint baptizari infantes ? 24

Conclusio. Infantes et perpetuo amentes præstat baptizari, licet actu proprio credere non valeant. — *Est de fide*, ex Trid. 24

(Nam : 1° Sic Scrip. Joan. : *Nisi quis renatus*.. 2° Sic SS. Patres, v. g. Orig. et August. hoc dicentes esse de traditione Apostolica. 3° Sic Concil., v. g. Milevit. II, Viennense gener., et sic Innoc. III.)

Quæres 1. An baptizandi sint infantes in utero materno inclusi ? — Duplex sententia. 27

Quæres 2. An partus monstruosi sint baptizandi ? 27

ARTICULUS 2. Utrum liceat filios infidelium baptizare, invitis parentibus ? 28

Nota : Certe 1° licite, invitis parentibus, baptizantur filii infidelium baptizatorum, et filii mancipiorum infidelium non baptizatorum. 2° Non licite, invitis parentibus, baptizantur filii infidelium, qui principibus infidelibus subjecti sunt. Unde tantum

Conclusio. Filii infidelium non baptizatorum, civiliter tantum prin-

cipibus christianis subditorum, non possunt licite, invitis parentibus, baptizari, *nisi in aliquibus casibus.* 29
(Nam violatur vel jus naturale parentum, vel reverentia Sacramenti. — Hinc Conc. Tolet. IV.)
Objectiones. 29
CAPUT VI. De effectibus Baptismi et dispositionibus necessariis ad eos percipiendos. 30
Quæres 1. Quinam et quot sint effectus Baptismi ? — Sublato obice, tres, nempe : 1° gratia sanctificans..., nam Tit. : *Salvos nos fecit*... Et Rom. : *Nihil damnationis*... Hinc Florent. ; 2° gratia sacramentalis ; 3° character. 30
Quæres 2. Quænam sint dispositiones necessariæ ad percipiendos effectus Baptismi ? 32
CAPUT VII. De cæremoniis Baptismi et patrinis. 33
Nota : (Ex perpetua Ecclesiæ praxi et Apostolica traditione, in solemni Baptismi adhiberi debent susceptores...)
Quæres 1. An cæremoniæ quæ, cogente necessitate, fuerunt omissæ, sint postea supplendæ ? — Sic. 33
Quæres 2. Quodnam sit officium patrinorum ?—Quinque officia. 34
Quæres 3. Quinam excluduntur ab officio patrini ? 34

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I. De natura et tempore institutionis Confirmationis. 35
Nota : (Confirmatio est Sacramentum a Christo institutum, — quo baptizatus, — per unctionem chrismatis in fronte per modum crucis factam, sub præscripta verborum forma, — corroboratur ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam.)
Conclusio. Confirmatio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. — *Est de fide*, ex Trid.. contra Lutheranos et Calvinistas. 36
(Nam Act. : *Cum audissent apostoli*... Et : *His auditis, baptizati sunt*... Unde Confirmatio : 1° est signum sensibile; 2° habet vim producendi gratiam ; 3° est a Christo præcepta ; 4° est perpetua in Ecclesia, ut patet ex S. Clem., Tertull., S. Diony., S. Aug., S Hierony.
Quæres : Quo tempore Christus instituerit Confirmationem ? — Quadruplex opinio : unde plane incertum. 38
CAPUT II. De materia et forma Confirmationis. 39
Nota : (Triplex de hac re est opinio.)
Conclusio 1. Materia remota essentialis est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, benedictum ab Episcopo. 40

(Nam 1° sic Florent.; 2° sic SS. Patres, v. g. Pacian., Greg. Magn., Leo.)

Conclusio 2. Materia proxima essentialis et adæquata Confirmationis, est ea impositio qua Episcopus *ungit per modum crucis frontem confirmandi.* 41

(Est enim applicatio remota, ut patet: 1° ex Patribus et Doctoribus, v. g. Beda, Rab. Maur., Hugo Vict., Bellarm.; 2° ex praxi Græcorum.)

Objectiones. 42

Conclusio 3. Forma essentialis et adæquata Confirmationis apud Latinos hæc est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* — Apud Græcos: *Signaculum doni Spiritus Sancti in nomine Patris, et Filii*, etc... 44

(Nam sunt verba quæ profert minister applicando materiam. — *Confirmatur* pro ritu Latinorum, ex omnibus Ritualibus, etc.., — pro ritu Græcorum, ex Euchologio et Conc. Constantin. 1.)

Objectiones. 45

CAPUT III. De ministro Confirmationis. 47

Conclusio 1. Solus Episcopus est, ex institutione divina, minister ordinarius Confirmationis. — *Est de fide*, ex Trid. 47

(Nam 1° sic Script., ubi legitur Petrum et Joannem missos fuisse Samariam, ut iis qui a Philippo Diacono baptizati fuerant, manus imponerent et darent Spiritum Sanctum: unde Chrysost....; 2° sic trad., v. g. Innoc. I, Conc. Florent.)

Objectiones. 48

Conclusio 2. Simplex Sacerdos potest esse Confirmationis minister extraordinarius, auctoritate scilicet delegata a S. Pontifice. 49

(Nam 1° sic usus Ecclesiæ græcæ; 2° sic Florent. dispensationes datas esse referens. — Aliunde patet ex dispensationibus Missionnariis datis.)

Objectiones. 50

Quæres: Utrum Concilia Flor. et Trid. aliquid definierint circa ministrum extraordinarium Confirmationis? — Non. 52

CAPUT. IV. De subjecto et necessitate Confirmationis. 52

Quæres 1. Quodnam sit Confirmationis subjectum? — Est omnis et solus homo baptizatus. 52

Quæres 2. Quænam dispositiones requirantur ad percipiendum sacramentum Confirmationis? 52

Quæres 3. An hoc Sacramentum sit necessarium? — Non, necessitate medii; sic pro adultis de necessitate præcepti divini et ecclesiastici. 54

CAPUT V. De effectibus et cæremoniis Confirmationis. 54

Quæres 1. Qui sint effectus Confirmationis? — Sublato obice, tres, nempe : gratia sanctificans, non quidem prima, saltem per se, sed secunda; gratia sacramentalis; character. 54
Quæres 2. Quænam sint Confirmationis cæremoniæ, et quid significent? 56

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

Pars prima. De Eucharistia prout est sacramentum.
Caput. I. De sacramento Eucharistiæ in se spectato. 57
Nota : (Eucharistia dicitur *communio, synaxis, eulogia, viaticum, liturgia, panis*).
Articulus 1. De natura seu essentia Eucharistiæ. 58
Conclusio 1. Eucharistia recte definitur : Sacramentum a Christo Domino institutum, — ad spiritualem animæ refectionem, — in quo corpus et sanguis ejus vere, realiter, et substantialiter — sub speciebus panis et vini continentur. 59
Conclusio 2. Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu et sumptione, sed in re permanente. — *Est defin.* a Trid. contra Luther. et Calvinistas. 60
(Nam : 1° *Hoc est corpus*... 2° Sic traditio Ecclesiæ, quæ ex eo constat quod : 1° Eucharistia per diaconos ad absentes mittebatur, 2° in domo a fidelibus deferebatur, 3° ad ægrotantes ferebatur, 4° in templis asservabatur, et 5° ex missa præsanctificatorum.)
Objectiones. 61
Conclusio 3. Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione, quia verba fluunt ; — neque in solis speciebus, quia non perficiuntur a verbis ; — neque in solo corpore et sanguine Christi, quia non sensibilia ; — sed consequenter consistit essentialiter et adæquate in speciebus simul et corpore ac sanguine Christi (*videtur probabilior.*) 63
Objectiones. 64
Quæres: An sacramentum Eucharistiæ sit unum? — Est unum specie, quia una gratia sacramentalis; sed numero multiplicabile, quia plures species seorsim sumibiles. 66
Articulus 2. De materia Eucharistiæ ex qua. 67
§ 1. De materia ex qua conficitur corpus Christi. 67
Conclusio 1. Solus panis triticeus est materia necessaria Eucharistiæ. 67
(Nam : *Accepit Jesus panem*... — *Confirm.* ex conc. Florent. : *Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus*...)
Conclusio 2. Ad consecrationis validitatem perinde est, sive panis

azymus sit, sive fermentatus. — *Est defin.* a Trid. 68
(Uterque enim est panis verus et simpliciter dictus.)
Conclusio 3. Christus in azymo consecravit.—*Est contra Græcos*. 69
(Nam Marc. : *Primo die azymorum, quando pascha*... Porro Matth.: *Non veni solvere legem*...)
Objectiones. 70
§ 2. De materia calicis. 72
Conclusio 1. Solum vinum de vite, ipsumque usuale est materia valida Eucharistiæ. 72
(Nam Matth. : *Non bibam amodo*... Et : *Hoc facite in meam*...
Conclusio 2. Paululum aquæ naturalis calici eucharistico infundi debet, quia traditio perpetua; non quidem ex necessitate sacramenti aut præcepti divini, quia nulla mentio; — sed ecclesiastici duntaxat, quia sic Trid. 73
Conclusio 3. Probabilius aqua mixta vino immediate convertitur in sanguinem Christi, nam 1° sic SS. Patres, v. g. Damascen. ; 2° vinum aqua mixtum est vinum usuale, sicut panis fermentatus est panis usualis, apud Græcos. Hinc Missale... 75
Objectiones. 76
Articulus 3. De forma Eucharistiæ.
Conclusio 1. Christus consecravit his verbis : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. 77
(Nam 1° sic SS. Patres, v. g. Tertull., Ambros. ; 2° sic Conc. Florent. ; 3° Eucharistiam Christus ritu sacramentali perfecit. Atqui...)
Conclusio 2. Ista omnia verba : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, requiruntur et sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam. 79
Objectiones. 79
Conclusio 3. Verba consecrationis, nec historice, nec assertive tantum, sed historice et assertive simul a sacerdote proferuntur. 82
(Nam recitantur tanquam a Christo dicta, et cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem).
Conclusio 4. Pronomina *hoc* et *hic* in forma Eucharistiæ, significant corpus et sanguinem Christi, sub confusa ratione rei contentæ, sub speciebus panis et vini in fine prolationis formæ consecratoriæ.
(Nam pronomina demonstrativa substantive posita in propositione practica, significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum.)
Objectiones. 83
Articulus 4. De re in Eucharistia contenta. 84
§ 1. Utrum in sacramento Eucharistiæ vere et realiter contineatur

corpus et sanguis Christi? 84

Nota : (Hoc negarunt sacramentarii, nempe Scotus Erigena, Berengarius, Petrus de Bruis, Carlostadius, Calvinus.)

Conclusio. In sacramento Eucharistiæ vere, realiter ac substantialiter continetur corpus et sanguis Christi. — *Est defin.* a Trid. (Nam 1° patet ex verbis promissionis, Joan. : *Panis, quem ego dabo...* ; — 2° ex verbis institutionis : *Hoc est corpus...* ; — 3° sic traditio, cujus testes sunt : 1° Concil. v. g. Nicæn. I et II ; 2° Patres, v. g. Cypr., Cyrill. Jerosolym., Damasc., Theophyl., Hilar. ; 3° liturgiæ ; 4° omnes etiam sectæ, sive hæreticæ, sive schismaticæ, æque antiquissimæ ; 5° Pagani ipsimet.)

Objectiones. 91

§ 2. De modo quo Christrus ponitur in Eucharistia. 101

Nota : (Triplex modus excogitari potest, nempe : *Impanatio, consubstantiatio, transsubstantiatio*).

Conclusio. Eucharistia non conficitur per impanationem, — nec consubstantiationem,—sed per transsubstantiationem. 102

(Constat 1 p., nam Christus non ponitur in Eucharistia per unionem hypostaticam Verbi cum pane. — 2 p , nam panis alias non converteretur in corpus Christi. — 3 p., nam Matth. : *Hoc est corpus...* Hinc. Trid. definit...)

Objectiones. 103

Conclusio 2. Transsubstantiatio non est simplex corporis et sanguinis Christi adductio, — sed est vera eorumdem reproductio. — *Est Thomistarum contra Scotistas.* 106

(Constat 1 p. ; adductio enim conversionem non importat ; — 2 p. ; ibi enim est proprie dicta reproductio, ubi res accipit idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos).

§ 3. De modo quo Christus est in Eucharistia. 107

Quæres 1. Quænam in Eucharistia ponantur vi verborum, et quænam per concomitantiam? 107

Quæres 2. Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini? — Sic, post et ante divisionem. 109

Quæres 3. Utrum corpus Christi in Eucharistia quantitatem suam habeat? — Internam, sic ; externam, non. 110

Quæres 4. An Christus in Eucharistia possit agere? — Actiones spirituales, sic ; a sensibus dependentes, non. 111

Quæres 5. An Christus in Eucharistia possit pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. g. calefieri? — Non. 112

Quæres 6. An corpus Christi in Eucharistia possit moveri? — Sic, per accidens, ad motum scilicet specierum. 112

§ 4. De remanentibus in Eucharistia speciebus. 112

Quæres 1. An accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum? 112

Nota : (Aliqui negant, sed inepte, accidentium eucharisticorum realitatem a parte rei. — Posita realitate accidentium a parte rei, duplex est sententia, Thomistarum nempe et Recentiorum : Cum Thomistis,)

Resp. Accidentia eucharistica sunt sine subjecto inhæsionis mediato ; cætera tamen a quantitate, sunt in ipsa quantitate panis et vini tanquam in subjecto immediato.)

Quæres 2. Quandonam Corpus Christi desinat esse sub speciebus? 115

Corollarium. Hinc Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriæ : quod defin. a Trid. 115

Caput II. De ministro Eucharistiæ. 116

Articulus 1. Quis sit minister Eucharistiæ conficiendæ? 116

Conclusio. Solus Sacerdos rite ordinatus valide Eucharistiam conficere potest. — *Est de fide* ex Trid. contra Lutherum. 116

(Nam 1° solis Sacerdotibus Christus dixit : *Hoc facite..*: ; 2° sic Nicæn. I.)

Objectiones. 117

Quæres: Utrum plures Sacerdotes eamdem hostiam consecrare possint? — Sic. 119

Articulus 2. Quis sit minister Eucharistiæ dispensandæ? 119

Conclusio 1. Soli Sacerdotes sunt ordinarii ministri dispensandæ Eucharistiæ, nam ad eos solos pertinet eam conficere. Hinc Trid. 119

Quæres: Ad quos Sacerdotes pertinet Eucharistiam distribuere 120

Conclusio 2. Extraordinarius minister dispensandæ Eucharistiæ est Diaconus, ut constat ex praxi veteris Ecclesiæ. 120

Quæres : An subdiaconi et alii inferiores ministri possint distribuere Eucharistiam? — Non. 120

Caput III. De subjecto Eucharistiæ, ac dispositionibus in eo prærequisitis. 121

Conclusio. Omnis et solus homo baptizatus et viator et rationis compos est subjectum Eucharistiæ. 121

Caput IV. De usu Eucharistiæ. 122

Articulus 1. Utrum Eucharistia sit omnibus, tam infantibus quam adultis, necessaria necessitate medii? 122

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem. 122

(Nam Rom. : *Nihil damnationis est*... Gal. : *Qui in Christo*.... Tit. : *Salvos nos fecit*... Hinc Trid.)

Objectiones. 124

ARTICULUS 2 Utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis et vini? 127
Nota : (Certe 1° ista est a Christo præcepta Sacerdoti sacrificanti; 2° ista non fuit a Christo laicis prohibita; 3° justis de causis Ecclesia laicis abstulit usum Calicis.)
Conclusio. Communio sub utraque specie non est jure divino præcepta fidelibus non sacrificantibus. — *Est de fide* ex Trid. 128
(Nam Joan. : *Si quis manducaverit ex hoc pane... Confirm.* ex priorum seculorum traditione, v. g. ex missa præsanctificatorum.)
Objectiones. 129
Quæres : Utrum detur præceptum divinum et ecclesiasticum sumendi Eucharistiam saltem sub una specie? 132
(Resp. 1. Exstat præceptum divinum aliquando sumendi Eucharistiam, omnes omnino adultos, etiam infideles, obligans : 1° in mortis articulo, 2° pluries in vita. — 2° Exstat ecclesiasticum præceptum omnibus fidelibus adultis perfecto rationis usu gaudentibus ad sacram Eucharistiam accedendi semel in anno, tempore Paschatis, ex Later. IV et Trid.)
CAPUT V. De effectibus Eucharistiæ. 133
Conclusio 1. *De fide est* Eucharistiam non conferre *per se* remissionem peccatorum, ex Trid.; nam 1° Apost. : *Probet autem, seipsum....* 2° Sic SS. Patres. 134
Conclusio. Sex sunt effectus Eucharistiæ præcipui : 1° spiritualis nutritio animæ; 2° liberatio a venialibus et præservatio a mortalibus; 3° ineffabilis unio cum Christo; 4° imminutio fomitis peccati, augendo charitatem actualem; 5° pignus futuræ gloriæ; 6° remissio, per accidens, peccati mortalis.. 135
Quæres 1. Quandonam Eucharistia in suscipiente effectum suum producat? 136
Quæres 2. An per peccata venialia interdum impediatur Eucharistiæ effectus? 137
Quæres 3. An Eucharistia, quatenus est Sacramentum, aliis quam sumentibus prodesse possit? 137
PARS SECUNDA. De Eucharistia prout est sacrificium. 138
CAPUT I. De sacrificio in genere 138
Nota : (Sacrificium sumitur vel *late*, vel, ut hic, *stricte*.)
Quæres : Quomodo dividitur Sacrificium? 139
(Dividitur : 1° ratione materiæ in *victimas, immolationes, libamina ;* 2° ratione formæ in *holocaustum, hostiam pro peccato, hostiam pacificam ;* 3° ratione finis in *latreuticum, eucharisticum, impetratorium* et *propitiatorium*.)
CAPUT II. De existentia sacrificii Eucharistiæ. 140

Conclusio. Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium quod in missa offertur. — *Est de fide* ex Trid. 140
(Nam 1° Sacrificium est necessarium : atqui... ; 2° patet tum ex institutione, tum ex adjunctis in institutione Eucharistiæ; 3° Apostolus confert altare Christianorum cum altari Ethnicorum : *Non potestis calicem...;* et cum altari Judæorum : *Habemus altare de quo...;* 4° Malach. : *Non est mihi voluntas in vobis...;* 5° Christus dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; 6° patet ex præsentia reali, traditione et præscriptione.)
Objectiones. 144
Caput III. De essentia sacrificii Missæ. 146
Conclusio 1. Tota sacrificii Eucharistiæ essentia in sola consecratione consistit. 147
(Secus, esset vel 1° in oblatione ante consecrationem, vel 2° in oblatione post consecrationem, vel 3° in fractione et commixtione cum sanguine, vel 4° in communione sacerdotis, vel 5° in distributione fidelibus, vel 6° cum S. Lig., partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione. Atqui...)
Conclusio 2. Probabilius et communius est ad essentiam Sacrificii necessariam esse utriusque speciei consecrationem. 151
(Nam quidquid divino jure est necessarium, ad essentiam rei pertinet. Porro : *Hoc facite...*)
Caput IV. De efficacia sacrificii Missæ. 152
Conclusio. Sacrificium Missæ sua efficacia comprehendit omnia antiquæ Legis sacrificia. 153
(Est enim latreuticum, eucharisticum, impetratorium, propitiatorium. Hinc Trid.)
Caput V. De valore sacrificii Missæ. 154
Conclusio. Valor sacrificii Missæ ex parte rei oblatæ et quoad sufficientiam est infinitus, ut sacrificium crucis ; — ex parte vero efficaciæ et quoad applicationem, est finitus et determinatus ; talis enim est voluntas Christi. *Confirm.* ex praxi Ecclesiæ et prop. damnata ab Alex. VII. 154
Caput VI. De causa efficiente sacrificii Missæ. 156
Nota: (Causa efficiens alia est *principalis*, alia *ministerialis*).
Conclusio. Christus, in sacrificio Missæ, est principalis offerens, quia Christus est *sacerdos in æternum...* — Et solus sacerdos rite ordinatus, est minister qui solus potest *immediate* hoc sacrificium offerre. 156
Quæres 1. An sacerdos potestatem specialem habeat Missæ fructum applicandi ?—*Nota :* Fructus portio alia est *generalis*, alia *media*, alia *specialis*. 159

Quæres 2. Qualis requiratur intentio ad Missæ applicationem ? — Requiritur et sufficit habitualis non retractata. 157
Caput VII. De iis pro quibus sacrificium Missæ applicari potest. 158
Conclusio. 1. Licitum est offerre Missæ sacrificium pro omnibus Christianis fidelibus, sive justis, sive peccatoribus, ut istis prosit ad pœnitentiam, illis ad augmentum justitiæ, ut constat ex canone Missæ : *Hæc sancta sacrificia*... — At non licet *directe* illud offerre pro infidelibus, hæreticis et publice excommunicatis, nam illos Ecclesia prohibet ad altare nominari, et excludit a suis orationibus. 158
Conclusio 2. Sacrificium Missæ non potest offerri pro defunctis damnatis, nam *in inferno nulla est redemptio*. 159
Conclusio 3. Sacrificium Missæ rite offertur pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis. — *Est de fide*, ex Trid. 159
(Nam 1° 2 Machab. : *Fortissimus Judas*... *facta collatione*.... Unde Aug 2° Sic traditio Ecclesiæ, ut constat ex D. Chrysost.)
Conclusio 4. Sacrificium Sanctis non offertur, sed Deo in honorem Sanctorum, ut constat ex praxi et traditione Ecclesiæ. — *Est de fide*, defin. a Trid. 160
Caput VIII De Missis privatis, et de lingua liturgica. 161
Quæres 1. Quid sint Missæ privatæ, et an sint licitæ et approbandæ ? — Sunt licitæ; *est de fide*, defin. a Trid. ; nam 1° manet essentia et finis primarius sacrificii ; 2° sic traditio ; 3° nihil omittitur quod præcipiatur, nec fit quod prohibeatur. 162
Quæres 2. An liceat vel expediat Missam celebrare in lingua vulgari ? — Non, nam 1° adversatur Ecclesiæ legibus ; 2° evellit perpetuam praxim ; 3° repugnat naturæ religionis ; 4° gravia habet incommoda. 163

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

Nota: (1° Pœnitentia, quoad nomen, idem est ac pœnæ tenentia. 2° Pœnitentia dividitur in eam quæ est virtus et in eam quæ est Sacramentum, de qua nunc : Ut Sacramentum definitur : Sacramentum a Christo institutum — ad remittenda peccata — post Baptismum commissa, — per actus pœnitentis, — et absolutionem sacerdotis. 3° Pœnitentia virtus a Pœnitentiæ sacramento in tribus differt).
Caput I. De existentia Pœnitentiæ sacramenti. 167
Nota : (De hoc triplex error : unde triplex conclusio).
Conclusio 1. Christus Ecclesiæ suæ veram concessit potestatem dimittendi omnia peccata post Baptismum commissa ; nullumque est in hac vita crimen vere pœnitenti irremissibile. —

Est contra Montanistas et Novatianos. 167
(Nam Matth. : *Quæcumque alligaveritis...* Joan. . *Quorum remiseritis...* Unde Trid. — *Confirm.* ex D. Paulo : *Nam et ego quod donavi...*).
Objectiones. 168
Conclusio 2. Pœnitentia verum est ac speciale novæ Legis Sacramentum (*est de fide* contra Lutheranos et Calvinistas)—a Baptismo Baptismique materia distinctum (*est de fide* contra eosdem),—lapsis post Baptismum absolute necessarium *in re*, vel *in voto* — (*est de fide*). Sic Trid. 173
(Constat 1 p. nam est 1° signum sensibile, 2° producendi gratiam vim habens, 3° a Christo institutum, 4° perpetuum. — 2 p., nam 1° sic S. Aug., 2° habent materiam, formam, subjectum, ministrum et effectus omnino diversos. *Confirm.* quia in Baptismo nequeunt retineri peccata.— 3. p., nam Joan. : *Quorum remiseritis...* Confirm. ex Trid.)
Objectiones. 176
Conclusio 3. Absolutio sacramentalis est actus judicialis quo vere ac proprie dimittuntur peccata, non vero nudum ministerium declarans tantum ea esse dimissa. — *Est de fide*, ex Trid., contra Lutheranos et Calvinistas. 178
(Nam Joan. : *Sicut misit me... quorum remiseritis... remittuntur eis...*)
Objectiones. 179
CAPUT II. De essentia et natura Pœnitentiæ. 182
ARTICULUS 1. De materia sacramenti Pœnitentiæ. 182
Nota : (Certe materia remota, seu *circa quam*, sunt peccata post Baptismum commissa. — De materia proxima vero, Scotus ad eam non pertinere tres actus pœnitentis affirmat, Durandus contritionem. — Cum divo Thoma et aliis, sit
Conclusio 1. Tres actus pœnitentis sunt materia proxima pœnitentiæ seu partes ex quibus componitur, — non vero absolutio. 183
(Constat 1 p., nam 1° Florent. et Trid. eos vocant *quasi materiam ;* 2° componunt totum.—2 p., nam, ex Flor. et Trid., forma et materia Sacramenti a se invicem distinguuntur.)
Objectiones. 184
Conclusio 2. Contritio et confessio et satisfactio *in voto* sunt partes essentiales Pœnitentiæ, nam sine his nequit stare, ex dicendis; satisfactio vero actualis est tantum pars integralis : sine ea enim stat justificatio. 186
ARTICULUS 2. De forma sacramenti Pœnitentiæ. 188
§ 1. An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis. 188

Conclusio. Forma Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis humana voce prolatis. 188
(Nam ex Florent. forma hujus sunt *verba* quæ minister *profert*, cum *dicit : Ego te*... Sic etiam Trid. — *Confirm*. ex propos. a Clemente VIII damnata.)
§ 2. Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria vel indicativa esse debeat? 189
Conclusio. Forma sacramentalis absolutionis, ex institutione Christi, debet esse indicativa, ita ut nec unquam fuerit, nec possit esse deprecativa. — Est contra Morinum et aliquos recentiores. 190
(Nam 1° sicut Christus dixit : *Euntes, docete*.., sic dixit : *Quodcumque solveris*... 2° Ex Trid., absolutio Sacerdotis est *ad instar actus judicialis*.)
Objectiones. 190
§ 3. Quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis? 196
Conclusio. Verba : *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, sunt necessaria necessitate præcepti, ex usu Ecclesiæ ; —verum sola ista : *Absolvo te*, sunt de necessitate sacramenti ; exprimunt enim ministrum, subjectum, et effectum primarium. 196
Caput III. De prima parte Pœnitentiæ, seu de contritione. 197
Nota : (Contritio est vel *perfecta*, vel *imperfecta*, seu attritio).
Articulus 1. De contritione universim sumpta. 197
Quæres 1. Quid sit contritio? 197
Quæres 2. An propositum non peccandi de cætero requiratur formale et explicitum? — Triplex sententia ; in praxi tenenda est affirmans. 198
Quæres 3. Qualis debeat esse contritio universim sumpta, ut sit materia sacramenti Pœnitentiæ? 199
(Debet esse 1° vera et realis ; 2° formalis et expressa ; 3° supernaturalis, tum ex parte auxilii, tum ex parte motivi ; 4° universalis, ad omnia mortalia generatim se extendens ; 5° summa, non quidem intensive, sed appretiative).
Quæres 4. An ad contritionem requiratur certa temporis mensura? — Non. 202
Quæres 5. An contritio de peccatis sit necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum mortalium? — Sic, ut definivit Trid. 202
Quæres 6. Utrum contritio sit homini justo necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum venialium? — Requiritur saltem virtualis. 204

Quæres 7. Utrum contritio de peccatis sit præcepta et quo jure? — Est necessaria, et quidem jure divino. 205

Quæres 8. Quo tempore obliget divinum contritionis (*idem dic de Confessione*) præceptum 206

(Certe 1° obligat *per se:* 1° in probabili periculo mortis; 2° aliquoties in vita. — 2° Obligat *per accidens*, quando urget præceptum alicujus Sacramenti vivorum percipiendi — 3° Optima et suadenda est praxis eorum qui peccatum detestantur, statim ac commissum fuit,)

Conclusio. Peccator statim a peccato commisso non tenetur sub peccato contritionis præcepto, sicut nec præcepto confessionis. 207

(Nam 1° est præceptum affirmativum; 2° secus, homo toties peccaret, et quidem specialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem et eam non impleret.)

Objectiones. 207

Articulus 2. De contritione perfecta. 209

Nota : (1° Trid. circa illam, docet 1° *contingere aliquando contritionem charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur; 2° reconciliationem hanc ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* — 2° Scinduntur Theologi in assignanda ratione essentiali et specifica contritionis perfectæ, ut sit par homini reconciliando, et in determinando an non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper hominem Deo reconciliet.)

Conclusio. Ratio essentialis et distinctiva contritionis perfectæ ab imperfecta non repetitur ex intensione graduum, sed ex proprio motivo, ita ut omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, cum voto Sacramenti, sit perfecta, in quocumque gradu intensionis sit, — et justificet extra Sacramentum, et non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper. 211

(Constat 1 p., nam 1° sic Script. Prov. : *Ego diligentes...* Petr. : *Charitas operit...* 1 Joan. : *Qui diligit me....* 1 Joan. : *Omnis qui diligit...* 2° Sic SS. Patres, v. g. Chrysost., Aug. 3° Eruitur ex Trid. 4° Sic ratio, nam 1° *Plenitudo legis est dilectio;* 2° ubi est essentia alicujus formæ, ibi est effectus ejus formalis; 3° absurdum est ut qui amat Deum super omnia, etsi remisse, damnetur. *Confirm.* ex damnatione prop. Baii.—2 p., *tum* ex eadem damnatione; *tum* quia, fatentibus adversariis, contritio ex amore Dei super omnia propter se, sed in gradu remisso, elicita, justificat in casu necessitatis : ergo semper. Unde contraria sententia omnino improbabilis.)

Objectiones. 214

Quæres : Qualis debeat esse votum seu desiderium sacramenti Pœnitentiæ in his qui per actum contritionis perfectæ justificantur, an explicitum, vel implicitum ? — Probabilius sufficit implicitum. 217

ARTICULUS 3. De contritione imperfecta. 218

Nota : (Circa attritionem ex pœnarum metu conceptam errarunt: 1° Lutherus eam asserens esse malam ; 2° Baius, etc..., docens eam esse vitiosam, verumque peccatum saltem omissionis.)

§ 1. An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis? 219

Nota : (1° Timor est vel *mundanus;* vel *servilis* sive simpliciter, sive serviliter; vel *initialis*, vel *filialis.* — 2° Certe 1° timor mundanus et serviliter servilis sunt mali ; 2° timor filialis et initialis sunt boni.)

Conclusio 1. Attritio concepta ex timore simpliciter servili est bona et laudabilis, nec facit magis hominem hypocritam. — *Est de fide* ex Trid. 220

(Nam est utilis ; etenim 1° Luc. : *Timete eum qui, postquam....* 2° Sic SS. Patres, v. g. Aug.)

Objectiones. 221

Conclusio 2. Attritio concepta ex timore simpliciter servili est supernaturalis, voluntatemque peccandi excludit. 224

(Nam 1° Prov. : *Timor Domini odit...* Eccl. : *Timor Domini expellit...* Et : *Qui timent Dominum...* 2° Sic S. Aug. et S. Thomas. — *Confirm.* ex Trid. — Unde merito duas propositiones Alexander VIII damnavit.)

§ 2. Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo amore ad justificationem in sacramento obtinendam? 226

Nota : (1° Amor est vel *amicitiæ*, vel *spei.* 2° In amore formali spei reperitur amor virtualis benevolentiæ.)

Conclusio 1. Ut attritio, ex metu pœnarum concepta, sit dispositio sufficiens ad sacramentum Pœnitentiæ rite et utiliter percipiendum, requiritur quidem aliquis Dei amor. 227

(Constat ex Trid. — Porro amor ille jam habetur in attritione.)

Objectiones. 228

Conclusio 2. Ut attritio, ex metu pœnarum concepta (*idem dic a fortiori de aliis motivis attritionem informantibus*), sit dispositio sufficiens ad justificationem in Sacramento recipiendam. —Requiritur et sufficit aliquis amor Dei initialis non prædominans. 229

(Nam 1° ex dictis, charitas in quovis gradu intensionis justi-

ficat ante actualem sacramenti receptionem; 2° evincitur ex Trid.)
Objectiones. 231
CAPUT IV. De Confessione. 235
ARTICULUS 1. De institutione seu præcepto divino Confessionis. 235
Conclusio. Confessio omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, præcepta est jure divino. — *Est de fide* ex Trid., contra Wiclefitas, Lutheranos et Calvinistas. 235
(Nam 1° Joan.: *Quorum remiseritis*... 2° Sic Trad., ut constat ex SS. Patribus, v.g. S. Clem., S. Irenæus, Origen., S. Ambros., Aug., quisque pro suo sæculo.)
Objectiones. 237
Quæres: Utrum recta et utilis sit peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea? — Sic. 241
ARTICULUS 2. De præcepto ecclesiastico Confessionis. 243
Nota: (Confitendi semel in anno decretum emisit Later. VI. Unde.)
Quæres 1. Quid intelligatur nomine proprii sacerdotis? — Parochus, sed sine exclusione S. Pontificis, Episcoporum et Sacerdotum ab eis delegatorum, ut constat: 1° ex Clem. X; 2° ex Synodo Claramont.; 3° ex Synodo Tolos. 245
CAPUT V. De Satisfactione. 246
Nota: (Quid sit satisfactio — quot sint opera pœnalia?)
ARTICULUS 1. Utrum satisfactio sacramentalis sit necessaria? 247
Conclusio 1. Remisso peccato quoad culpam, non semper remittitur tota pœna temporalis. — Est contra Novatores. 247
(Nam 1° constat ex exemplo Israelitarum et Davidis; 2° sic SS. Patres, v. g. Greg. Magn. Hinc definit Trid.)
Objectiones. 248
Conclusio 2. Pœnalis satisfactio non est tantum ad vitæ novæ custodiam et aliorum exemplum, *ut Novatoribus placet*, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et satisfactionem pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita. 250
Nam 1° Dan.: *Peccata tua*... Luc.: *Facite fructus*... 2° Sic S. Aug. Hinc Trid. definit.)
ARTICULUS 2. Utrum confessarius possit et teneatur imponere pœnitentiam pœnitenti, et pœnitens teneatur ipsam acceptare. 252
Conclusio 1. Confessarius potest (*est de fide* ex Trid.), — et tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti. — Constat ex Trid. 252
Conclusio 2. Pœnitens tenetur pœnitentiam a confessario injunctam acceptare: tenetur enim confessarius eam imponere. Unde Later. VI.

Quæres 1° Utrum necesse sit necessitate sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem impleatur? Non. 254
Quæres 2. Quid sit pœnitentia canonica? 255
Quæres 3. Utrum pœnitentibus imponi possit pœnitentia canonica? — Non. 256
Quæres 4. Quotuplex sit pœnitentia publica? — Duplex. 256
Quæres 5. An imponi possit et debeat pœnitentia publica? 256
CAPUT VI. De ministro sacramenti Pœnitentiæ. 258
ARTICULUS 1. Quis sit minister sacramenti Pœnitentiæ? 259
Conclusio. Solus sacerdos est minister sacramenti Pœnitentiæ — — *Est de fide* ex Trid., contra Wiclefitas, Waldenses et Lutheranos. 259
(Nam solis sacerdotibus dictum fuit: *Quorum remiseritis...*)
ARTICULUS 2. De requisitis, præter potestatem ordinis, ad valide absolvendum, in ministro Pœnitentiæ. 261
§ 1. De jurisdictione. 261
Nota : (Potestas alia est *ordinis*, alia *jurisdictionis;* hæc autem vel ordinaria vel delegata.)
Conclusio. Præter potestatem ordinis, requiritur in Sacerdote, ut valide absolvat, jurisdictio ordinaria vel delegata, ut eruitur ex Trid. — Est certa et fidei proxima, ex Bulla *Auctorem fidei*. 262
Objectiones. 262
§ 2. De approbatione. 263
Conclusio. Præter potestatem ordinis et jurisdictionis, requiritur in Sacerdote, tum regulari, tum sæculari, non habente beneficium parochiale, approbatio Ordinarii, ut valide absolvere possit. 264
Quæres: Quænam sint circa approbationem observanda? — Sex. 266
§ 3. De reservatione. 267
Conclusio. Quilibet superior, qui jurisdictionem suam conferre valet, habet jus sibi reservandi casus, a quibus inferiores Sacerdotes non possint absolvere. — *Est de fide* ex Trid. 267
CAPUT VII. De effectibus Pœnitentiæ. 268
Nota : (Constat, ex dictis, effectus hujus esse: 1° gratiæ habitualis et sacramentalis infusionem; 2° omnis culpæ remissionem; 3° condonationem pœnæ æternæ pro eis debitæ, non tamen semper totius pœnæ temporalis. Unde tantum)
Conclusio 1. Viva justorum opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam subsequentem reparantur ac reviviscunt. 268
Nota : (Opera sunt *vivificantia*, alia *viva*, alia *mortifera*, alia *mortua*, alia *mortificata*.)
Nam 1° Joel : Deus promittit se peccatoribus redditurum *annos*,

quos comedit... Gal. : *Tanta passi estis*... 2° Per culpam mortificantur. Porro...)

Quæres : Quomodo bona opera mortificata reviviscant per pœnitentiam ? 270

Conclusio 2. Peccata per pœnitentiam dimissa non redeunt *simpliciter* per peccatum subsequens (nam Rom. : *Sine pœnitentia*... Hinc Ps. : *Beati quorum*... *Dele iniquitatem*... *Lavabis me*...) — Sed tantum secundum quid et virtualiter, ut constat ex D. Thoma. 271

APPENDIX.

DE SATISFACTIONE PER SUFFRAGIA ET INDULGENTIAS.

CAPUT UNICUM. De Indulgentiis. 273

Nota : (1° Quid sit indulgentia ?—2° Indulgentia est: 1° vel *totalis* seu *plenaria*, vel *partialis*; 2° vel *personalis*, vel *localis*, vel *realis*.)

ARTICULUS 1. De thesauro Ecclesiæ. 275

Conclusio. Exstat in Ecclesia thesaurus præcipue et primario coalescens ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis ; — et secundario ex satisfactionibus Deiparæ et Sanctorum. 275

(Const. 1 p. ex Clem. VI. Aliunde Christus infinitas suas satisfactiones in solam hominum salutem impendit. — 2 p. : 1° ex Clem. VI, 2° ex prop. Lutheri damnatione. *Confirm*. ex communione Sanctorum.)

Objectiones. 275

ARTICULUS 2. De potestate Ecclesiæ in concedendis indulgentiis. 278

Conclusio. Ecclesia potestatem concedendi indulgentias a Christo accepit. — *Est de fide* contra Wiclefitas, Lutherum et Calvinum. 278

(Nam 1° Matth. : *Quæcumque alligaveritis*... 2° Sic perpetua traditio. *Confirm*. ex potestate *clavium*. Hinc Trid. definit.)

Objectiones. 279

ARTICULUS 3. De iis a quibus possunt dari indulgentiæ. 281

Conclusio Solus Papa et Episcopi habent potestatem concedendi indulgentias : nam eos solos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Hinc Martinus V. 281

Quæres 1. Quid requiratur ad justam concedendæ indulgentiæ causam ? — Duo. 283

Quæres 2. An ad valorem indulgentiæ requiratur ut causa sit proportionata indulgentiæ quæ conceditur, ita ut major causa requiratur pro majori indulgentia ? 284

ARTICULUS 4. De iis quibus dispensari possunt indulgentiæ. 286

§ 1. De indulgentia pro vivis. 286
Quæres 1. Quænam dispositiones sint necessariæ ad lucrandas indulgentias? — 1° Impletio completa præscriptorum; 2° status gratiæ; 3° efficax Deo satisfaciendi propositum. — Hinc Greg. VII. 286
Quæres 2. Utrum indulgentias lucraturus debeat esse in statu gratiæ toto tempore quo omnia injuncta adimpleantur? 288
Quæres 3. An percepturus indulgentiam debeat habere intentionem illam consequendi? — Sic. 289
§ 2. De indulgentia pro defunctis. 289
Nota : (Indulgentia potest conferri vel per modum *absolutionis juridicæ*, vel per modum *suffragii*.)
Conclusio. Indulgentiæ concedi possunt defunctis, — non quidem per modum absolutionis juridicæ, — sed per modum suffragii tantum. 290
(Constat 1 p.: 1° ex Leone X, 2° eo quod de fide est animas fidelium defunctorum suffragiis vivorum juvari. — 2 p., nam non sunt subditi. — 3 p. restat.)
Quæres 1. Utrum indulgentiæ defunctis concessæ eis certo et infallibiliter prosint? — Sic. 291
Quæres 2. Quænam requiruntur conditiones, ut valeant indulgentiæ pro defunctis. — *Ex parte conferentis*, auctoritas et causa legitima; *ex parte suscipientis* eas pro defunctis: 1° operis executio, 2° intentio, 3° status gratiæ. 292
Articulus V. De Jubilæo. 293
(Sex de eo sunt observanda.)

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

Caput I. De Extremæ-Unctionis natura et institutione. 296
Nota : Extrema-Unctio est Sacramentum a Christo institutum, — quo infirmi de vita periclitantes, — per unctionem olei et orationem Sacerdotis, — obtinent salutem animæ, et sanationem morborum, ubi saluti animarum expedit.)
Conclusio. Extrema-Unctio est verum ac proprie dictum Sacramentum novæ Legis. — *Est de fide* ex Trid., contra Waldenses, Wiclefitas, Lutheranos et Calvinistas.
(Nam Jacob. : *Infirmatur quis*... Unde : 1° est signum sensibile; 2° habet vim producendi gratiam; 3° est a Christo præcepta; 4° est perpetua et constans in Ecclesia. Ergo...)
Objectiones. 298
Quæres: Quo tempore Christus instituerit Extremam-Unctionem? — Plane incertum; probabilius tamen post Resurrectionem. 300

CAPUT II. De materia et forma Extremæ-Unctionis. 301
ARTICULUS 1. De materia Extremæ-Unctionis. 301
Conclusio 1. Materia remota Extremæ-Unctionis est oleum olivarum (est de fide), — quod debet essentialiter esse benedictum ab Episcopo, — vel a Sacerdote ex ejus commissione. 301
(Constat 1 p., nam Jac. : *Ungentes cum oleo.* Hinc Florent. et Trid. — 2 p., nam ex Trid., Florent. et veteribus sacramentalibus liquet. — 3 p. patet ex praxi Græcorum.)
Quæres : Quid sit faciendum, cum oleum ab Episcopo benedictum feria quinta, deficit propter frequentem administrationem hujus Sacramenti ? 303
Conclusio 2. Materia proxima Extremæ-Unctionis est unctio facta a Sacerdote, nam Jac. : *Ungentes.* 304
Quæres 1. Quænam corporis partes inungi debeant? 304
Quæres 2. An ad Sacramenti validitatem, plures unctiones sint necessariæ, vel an unica sufficiat? 304
Quæres 3. Quænam pars corporis sit inungenda, cum unica in necessitate fit unctio ? 305
ARTICULUS 2. De forma Extremæ-Unctionis. 306
Conclusio. Forma Extremæ-Unctionis hæc est : *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (et ita de aliis sensibus) *deliquisti :* est enim præscripta. 306
Quæres 1. Quænam verba in adducta forma sint omnino essentialia ? — Hæc : *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus.* 306
Quæres 2. An forma Extremæ-Unctionis debeat essentialiter esse deprecativa ? — Sic. 306
CAPUT III. De ministro Extremæ-Unctionis. 308
Conclusio. Minister Extremæ-Unctionis est solus Sacerdos. — *Est de fide* ex Trid., contra Lutheranos et Calvinistas. 308
(Nam Jac. : *Infirmatur quis...*)
Quæres 1. An omnis Sacerdos sit minister idoneus hujus Sacramenti ? 309
Quæres 2. Quot requirantur Sacerdotes ad administrandam Extremam-Unctionem ? — Unus sufficit, ut definivit Alex. III. 309
CAPUT IV. De subjecto et necessitate Extremæ-Unctionis. 310
Quæres 1. Quodnam sit Extremæ-Unctionis subjectum ?—Infirmus, de cujus morte timetur, usu rationis aliquando præditus. 310
Quæres 2. Quænam dispositiones requirantur in subjecto Extremæ-Unctionis ? — 1° status gratiæ ; 2° intentio saltem habitualis ; 3. juxta D. Thomam, devotio actualis.
Quæres 3. An hoc Sacramentum sit necessarium ? — Non, necessitate medii ; sic, necessitate præcepti, equidem divini et ec-

clesiastici, infirmis de vita periclitantibus. 311
Caput V. De effectibus et cæremoniis Extremæ-Unctionis. 312
Quæres 1. Quot sint effectus Extremæ-Unctionis? — Sublato obice, quinque : 1° gratia sanctificans...; 2° remissio peccatorum; 3° abstersio reliquiarum peccati; 4° alleviatio animæ infirmi, quæ est gratia sacramentalis; 5° interdum sanitatis corporeæ restitutio. Porro, circa remissionem peccatorum, sit 312
Conclusio. Verisimilius et communius est sacramentum Extremæ-Unctionis, sublato obice, peccata sive mortalia, sive venialia, si quæ remaneant, primo et per se remittere. 313
(Nam D. Jac. et Trid. absolute, et sine distinctione, dicunt remitti peccata.)
Quæres 2. An sacramentum Extremæ-Unctionis sit iterabile? — Sic, positis ponendis. 315

TRACTATUS DE ORDINE.

Caput I. De essentia et existentia Ordinis. 316
Nota : (Ordo sumitur vel *latissime*, vel *late*, vel *stricte*, vel *strictissime*, scilicet pro sacramento, et sic est : Sacramentum a Christo institutum, — quo gratia spiritualisque potestas — traditur Clerico, — ad Eucharistiam consecrandam, — ad consecranti inserviendum, cæteraque munia ecclesiastica rite obeunda.)
Conclusio. Ordo, seu Ordinatio, est verum Sacerdotium, — non omnibus commune, — nec nudum ministerium, sed verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. — *Est de fide* ex Trid. 318
(Constat 1 p., nam Christus instituit verum Sacrificium. Unde Hebr. : *Omnis Pontifex...* — 2 p., nam hi soli sunt Sacerdotes ad quos Christus dixit : 1° *Hoc facite...* 2° *Accipite Spiritum S...* — 3 p., nam 1° est signum sensibile; 2° habet vim producendi gratiam; 3° est a Deo institutus; 4° est perpetuus et constans in Ecclesia.)
Quæres: Quo tempore Christus instituerit Sacramentum ordinis? — In die Cœnæ. 320
Caput II. De variis speciebus Ordinationum. 321
Nota : (Ordines dividundur in *sacros* seu majores, et *non sacros* seu minores.)
Quæres: Quot sint in Ecclesia ordines? — Sunt plures *ex fide* Trid. — sunt septem, sed non est definitum. 321
Conclusio 1. Prima tonsura non est Ordo; nam nullum habet an-

nexum officium circa ministerium altaris, et est ab Ecclesia instituta. 322
Conclusio 2. Episcopatus est Ordo distinctus a Presbyteratu, nam imprimit characterem distinctum. 322
Conclusio 3. Episcopatus est proprie dictum Sacramentum, et a Presbyteratu realiter distinctum. — *Est nunc communis et tenenda.* 323
(Nam : 1° est cæremonia exterior, gratiæ collativa, a Christo instituta, permanens in Ecclesia. 2° De fide est Episcopum esse jure et institutione divina superiorem Presbytero. 3° Eruitur ex S. Leone.)
Objectiones. 324
Conclusio 4. Episcopi sunt Presbyteris superiores (*est de fide*), — jure divino (*est certa*).
(Nam 1° sic SS. Patres, v. g. Epiph. 2° Episcopi jure divino soli sunt ministri tum Ordinis, tum Confirmationis. Hinc Trid.)
Objectiones. 323
Conclusio 5. *De fide* est Presbyteratum esse proprie dictum Sacramentum, ex Trid. 320
Conclusio 6. Certum est Diaconatum esse Sacramentum proprie dictum, nam est cæremonia exterior, gratiæ collativa, a Christo instituta, permanens in Ecclesia. 328
Conclusio 7. Probabilius est Subdiaconatum et Minores non esse Sacramenta; deest enim illis: 1° materia et forma Sacramenti Ordinis; 2° divina institutio. 330
Objectiones. 331
CAPUT III. De materia et forma singulorum Ordinum. 332
§ 1. De materia et forma Episcopatus. 333.
Nota : (In ordinatione Episcopi quatuor cæremoniæ occurrunt.)
Quæres : Quid in ritu a Pontificali præscripto habeat rationem materiæ, et quid rationem formæ? — Essentialis materia est sola manuum impositio a tribus Episcopis facta : forma vero sunt hæc verba : *Accipe Spiritum Sanctum.* 333
§ 2. De materia et forma Presbyteratus. 335
Nota : (1° In Ecclesia Latina, quinque præcipuæ observantur cæremoniæ in ordinatione Sacerdotis; in Græca, tres. 2° Tres sunt opiniones.)
Conclusio. Probabilius est secundam manuum impositionem cum forma verborum ipsi correspondentium, constituere totam essentiam ordinationis Presbyteratus. 336
(Nam : 1° eruitur ex Trid.; 2° Sacræ Scripturæ de sola manuum impositione verba faciunt; 3° Porrectio instrumentorum non reperitur apud Græcos.)

Objectiones. 337
§ 3. De materia et forma Diaconatus. 338
Nota : (In Ecclesia Latina duæ sunt præcipuæ cæremoniæ.)
Conclusio. Materia Diaconatus est tum impositio manus, tum traditio libri Evangeliorum; forma vero sunt verba ipsi correspondentia. 339
§ 4. De materia et forma Subdiaconatus et Minorum. 339
Quæres 1. Quænam sit materia et forma Subdiaconatus ? 339
Quæres 2. Quænam sit materia cujusque minoris Ordinis ? 340
Quæres 3. Quænam sint diversorum ordinum germanæ definitiones ? 341
Caput IV. De ministro Ordinis. 341
Nota : (Certum est de fide solum Episcopum esse ordinarium ministrum sacramenti Ordinis, ex Flor. et Trid.)
Conclusio 1. Simplex Sacerdos potest, ex commissione summi Pontificis, conferre tonsuram et minores, ut constat : 1° ex cap. *Requisivit*; 2° ex Trid. ; — non vero majores. 342
Conclusio 2. Ad consecrationem Episcopi requiruntur tres saltem Episcopi, ex canonibus; — non quidem necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiæ, ut constat variis exemplis, et dispensationibus SS. Pontificum. 344
Caput V. De subjecto Ordinis. 345
Quæres 1. Quinam sit subjectum Ordinis ? — Est homo baptizatus et masculus. 346
Quæres 2. Quid requiratur ad validam Ordinum receptionem ? — In adulto requiritur intentio. 346
Quæres 3. Quot requirantur ad licitam Ordinum susceptionem ? — Novem. 346
Caput VI. De effectibus Ordinis. 347
Quæres : Quot sint effectus Ordinis ? — Quatuor, nempe : gratia sanctificans in augmento, gratia sacramentalis, character, cælibatus. 347
Conclusio 1. Continentiæ lex sacris ministris imposita, est in Ecclesia antiquissima. 349
(Nam fundatur : 1° in exemplo Apostolorum; 2° in consuetudine ab apostolicis temporibus universaliter fere recepta; 3° in sanctionibus antiquissimis Concil. et SS. Pontificum.)
Conclusio 2. Continentiæ lex sacris ministris imposita, est clericali statui convenientissima. 350
(Nam 1° vitæ sanctimoniam præ se fert, utpote sanctissima ratione sui objecti, finis, Dei hominumque sensus; 2° sacris muneribus rite obeundis conducit.)
Conclusio 3. Continentiæ lex sacris ministris imposita, nec juri di-

vino, ut liquet ex præcedenti,—nec naturali repugnat, quia nulla est lex quæ omnes et singulos ad matrimonium cogat. 352
Objectiones. 353

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

CAPUT I. De essentia et existentia Matrimonii. 356
Nota : 1° (Matrimonium dicitur a *Matris munere*, et dicitur *nuptiæ, connubium*, etc. 2° Considerari potest vel *in fieri*, vel *in facto*. 3° Dividitur in *legitimum, ratum* et *consummatum*. 4° Sumitur vel pro contractu, vel pro Sacramento ; contractus autem ad esse sacramentale elevatus fuit a Christo.)
ARTICULUS 1. De existentia Matrimonii. 358
Conclusio 1. Matrimonium est vere et proprie unum ex septem novæ Legis Sacramentis. — *Est de fide* contra Novatores, ex Trid. 358
(Nam 1° Ephes. : *Propter hoc relinquet homo...* 2° Sic SS. Patres, v. g. Chrysost. et Aug. 3° Est signum sensibile, a Christo institutum, gratiæ collativum, constans et perpetuum in Ecclesia. 4° Constat ex præscriptionis argumento.)
Objectiones. 360
Conclusio 2. Matrimonium est solius novæ Legis proprie dictum Sacramentum ; — fuit tamen in veteri late sumptum. 363
Objectiones. 364
Conclusio 3. Licitus est usus matrimonii et honestus. 365
(Nam 1° Hebr. : *Honorabile connubium...* 1 Cor. : *Uxori vir debitum...* et *benefacit qui matrimonio jungit...* 2° Christus benedixit nuptiis in Cana Galilææ.)
Objectiones. 365
Quæres 1. Utrum exstet præceptum contrahendi Matrimonium ? 367
Quæres 2. Quandonam Matrimonium fuit institutum ? 368
Quæres 3. Qua ratione Matrimonium dicatur magnum Sacramentum ? 368
Quæres 4. Utrum Matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, verum sit Sacramentum ? — Duplex sententia. 368
Quæres 5. An inter duos fideles dari possit Matrimonium validum in ratione contractus et non in ratione Sacramenti ? 369
Quæres 6. Utrum Matrimonium infidelium, accedente Baptismo, evadat Sacramentum ? 370
ARTICULUS 2. De materia et forma Matrimonii. 371
Conclusio. Materia remota, seu circa quam, sacramenti Matrimonii, sunt contrahentium corpora, sunt enim materia contractus ; — proxima, seu ex qua, est corporum ad actum conjugalem traditio , est enim applicatio remotæ ; — forma vero est mu-

tuus contrahentium consensus, verbis aut nutibus expressus, materiam enim determinat ad esse tale Sacramentum. 371

ARTICULUS 3. De ministro sacramenti Matrimonii.

Conclusio. Minister sacramenti Matrimonii non est Parochus, sed sunt ipsimet contrahentes. — *Est communis*. 372

(Nam : 1° Ex Florent., causa efficiens illius est mutuus consensus... 2° Ex Trid., clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera sunt, quamdiu Ecclesia irrita non fecit. 3° Sacramentum est essentialiter contractus. 4° Constat ex praxi Ecclesiæ. 5° Trid. non præscribit pro forma verba determinata... 6° Matrimonium validum vel est verum Sacramentum eo tempore quo conficitur, vel tantum ejus materia remota, ut, accedentibus verbis Parochi, fiat sacramentum; atqui posterius dici nequit. 7° Omnes causæ matrimoniales pertinent ad Ecclesiam. Atqui. 8° Thesis contraria ducit ad subripiendum omnino contractum naturalem potestati Ecclesiæ. 9° Constat ex auctoritate Theologorum.)

Objectiones. 376

Quæres : An validum sit Matrimonium inter absentes celebratum ? 379

Nota : (Certe requiritur consensus, et quidem in mutuam et irrevocabilem in corpora potestatem. Unde tantum.)

Conclusio 1. Ad valorem Matrimonii non requiritur consensus in copulam, id est, non requiritur ut intendatur copula carnalis. 381

(Nam : 1° constat ex Matrimonio B. Mariæ Virginis; 2° copula carnalis non est essentialis Matrimonio.)

Quæres : An ad valorem Matrimonii requiratur consensus parentum ? — Non, et *est de fide*. 383

Objectiones. 384

CAPUT II. De Matrimonii bonis et proprietatibus. 388

Quæres 1. Quot sint bona Matrimonii? — Tria, nempe : proles, fides, Sacramentum. 388

Quæres 2. Quot sint proprietates Matrimonii? — Tres, nempe : unitas, indissolubilitas, castitas. 388

ARTICULUS 1. De unitate Matrimonii. 388

Nota : (Huic opponitur Bigamia et Polygamia.)

§ 1. De Bigamia seu Polygamia successiva. 389

Conclusio. Ecclesia secundas et ulteriores nuptias generatim nec persuasim unquam, nec ex voto probavit, a quibus exoptasset ut abstinerent fideles; nusquam tamen eas pro noxiis ac per se illicitis habuit. — *Est de fide* contra Montanistas et Novatianos, ex Florent. 389

(Nam 1° Cor. : *Mulier alligata est legi quanto...* 2° Sic SS. Patres, v. g. Hieron.)

§ 1. De Polygamia simultanea. 390

Nota : (1° Certe biviratus est jure naturæ illicitus. 2° Jus divinum aliud est *naturale*, aliud *positivum*. 3° Inter ea quæ jure naturali prohibentur, alia ad prima principia, alia ad remotiora quædam, seu ex primis deducta, pertinent.)

Conclusio 1. Simultanea uxorum pluralitas adversatur legi naturali, primitivæque Matrimonii institutioni. 391

(Nam : 1° Gen. : *Relinquet homo patrem...* 2° Naturalis æquitas exigit ut in omni contractu servetur æqualitas.)

Conclusio 2. Deus a lege vetante Polygamiam dispensavit cum veteribus Patriarchis et aliis in lege Mosaica, nam illis licita fuit, ut testatur Innoc. III. 393

Conclusio 3. Christus in Lege nova Matrimonium ad suam primævam revocans originem, dispensationem datam veteribus plane revocavit, atque conjunctionem cum pluribus simul uxoribus illicitam fecit et irritam. — *Est de fide* ex Trid., contra Lutherum. 394

(Nam Gen. : *Omnis qui dimittit...* Matth. : *Qui fecit hominem ab initio...*)

Articulus 2 De indissolubilitate Matrimonii. 395

Nota : (Dissolutio Matrimonii alia est *propria*, seu quoad vinculum; alia *impropria*, sive quoad torum, sive quoad habitationem.)

§ 1. De indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum. 395

Nota : (Matrimonia *legitimum, ratum et consummatum*, inter se distant firmitatis gradu.)

Conclusio 1. Quodvis Matrimonium, sive legitimum, sive ratum, sive consummatum, jure divino est indissolubile quoad vinculum. — *Est de fide* ex Trid. 396

(Nam Matth. : *Quod Deus conjunxit....* 1 Cor. : *Iis qui matrimonio juncti...* Luc. : *Qui dimittit uxorem...*)

Conclusio 2. Matrimonium ratum, sed nondum consummatum, jure naturæ non est indissolubile. 396

(Sic enim est de omni contractu, modo nullum inde contra naturam sequatur inconveniens. Atqui...)

Conclusio 3. Matrimonium consummatum jure naturali est indissolubile, nam : 1° adversatur solubilitas primario illius fini ; 2° ex ea nascerentur eadem incommoda quæ ex fornicatione. 397

Punctum 1. Utrum Matrimonium in infidelitate contractum, dirimatur per professionem religionis christianæ? 398

Conclusio. **Infidelium non baptizatorum Matrimonium, etiam consummatum, cum unus conjugum ad fidem convertitur,** ***altero in infidelitate contumaciter permanente,*** dissolvi potest *variis* in casibus, nam Cor. : *Cæteris ego dico, non Dominus...* 398
Punctum 2. Utrum in Lege veteri Matrimonium dirimeretur per libellum repudii? 400
Conclusio. Juxta nos, sic; nam hoc sonant verba legis in Deut. 400
Objectiones. 401
Punctum 3. Utrum vinculum conjugale Christianorum sit omnino indissolubile, ita ut nec per adulterium solvi possit? 402
Conclusio. Dogma catholicum est, ex Trid., Matrimonii vinculum nullo modo posse dirimi, nequidem per adulterium. — *Est contra Græcos* antiquos, *Lutherum et Bucerum.* 403
(Nam Marc. : *Quicumque dimiserit uxorem...* Luc. : *Omnis qui dimittit uxorem...* — Unde rejicienda opinio Launoii dicens decretum Tridentini esse tantum disciplinare.)
Objectiones. 404
Punctum 4. Utrum Matrimonium ratum dissolvi possit per continentiæ votum alterius conjugum? 407
Conclusio 1. Matrimonium ratum, a fortiori consummatum, non dirimitur per votum simplex continentiæ. 407
(Nam 1° constat ex Alex. III; 2° votum simplex est nuda *promissio* ; Matrimonium vero actualis *traditio.*)
Conclusio 2. Matrimonium ratum, non vero consummatum, jure divino dirimitur quoad vinculum per solemnem conjugis professionem in religione a S. Sede approbata. — *Est de fide* ex Trid. 408
(Ita jam definierant Alex. III et Innoc. III. — Ratio a priori est voluntas Christi traditione revelata; ratio a posteriori et convenientiæ est quia professio est mors civilis.)
Objectiones. 409
Punctum 5. Utrum Papa dispensare possit a vinculo Matrimonii rati, nondum consummati? 411
Conclusio. Longe probabilius videtur Papam non posse dispensare a vinculo Matrimonii rati, licet nondum consummati. 411
(Nam inferior nequit dispensare a lege superioris ; et constat ex Alex. III.) 411
§ 2. De divortio. 413
Punctum 1. An conjuges teneantur cohabitare? 413
Conclusio. Tenentur conjuges, *regulariter loquendo*, idque sub gravi peccato, in eadem domo manere, in eadem mensa comedere, in eodem lecto concumbere. 413
(Nam 1° constat ex præcepto divino, ut sibi invicem adhæreant;

2° id exigit natura contractus matrimonialis, debitum conjugale, prolis educatio)
Quæres : Si vir in exilium pulsus fuerit, quid juris? 414
Punctum 2. An divortium sit licitum, quas ob causas, etc. ? 414
Conclusio 1. *Legitima auctoritate* divortium est licitum, ut constat ex Trid. 414
Quæres 1. Quas ob causas licitum sit divortium? — Tres præcipuæ sunt, nempe : 1° culpabile alterius conjugis adulterium moraliter certum ; 2° quodcumque crimen quod vergit in detrimentum sive spirituale, sive corporale alterius; 3° periculum imminens gravis damni corporalis compartis. 415
Quæres 2. Utrum quandoque conjuges ad divortium teneantur? — Sic, præcipue: 1° dum periculum subversionis ita est evidens, ut sit moraliter impossibile ei resistere ; 2° dum conjux pacifice habitans cum conjuge adultera rationabilem suspicionem ingereret, se ejus impudicitiis favere, tegumentum ei præbendo. 416
Quæres 3. Quid juris habeat *innocens* post factum divortium? — Si divortium sit perpetuum, potest mutare statum ; secus, si non perpetuum. 416
Caput III. De impedimentis Matrimonii, eorumque statuendorum potestate. 417
Nota : (Impedimenta alia sunt *impedientia* seu *prohibentia,* alia *dirimentia.*)
Conclusio 1. Ecclesia potestatem habet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia (est contra Protestantes); — et quidem jure proprio, intimo et innato (est contra Launoium). — *Est de fide* ex Trid. 420
(Nam 1° habet Ecclesia potestatem statuendi impedimenta, neque in statuendis erravit ; 2° Ecclesiæ nomine, Tridentinum hierarchiam ecclesiasticam intellexit, non vero principes sæculares; 3° Tridentini judicium fuit doctrinale ; 4° Tridentinum definivit hanc potestatem Ecclesiæ competere jure proprio et innato.)
Objectiones. 423
Conclusio 2. Principes non habent jus statuendi impedimenta quæ, dirimendo contractum civilem, consequenter dirimant sacramentum Matrimonii ob defectum materiæ. — Est certissima. 425
Nota : (Certe 1° Principes possunt irritare effectus civiles contractus. 2° Nihil possunt in Matrimonium, ut est res spiritualis et Sacramentum. 3° Thesis est an possunt contractum civilem, ut contractum, irritare.)

(Nam 1° contractus civilis, ut civilis, non est materia sacramenti Matrimonii.—2° Constat : 1° ex intima Matrimonii natura, juxta Christi dispositionem ; 2° ex constanti Ecclesiæ praxi, sibi soli potestatem dirimendi Matrimonia vindicanti ; 3° ex infaustis adversæ hypothesis consectariis.)
Objectiones. 431
Quæres 1. Utrum principes habeant potestatem statuendi impedimenta dirimentia Matrimonio subjectorum infidelium? — Duplex sententia : sententia negans nobis videtur probabilior probabilitate intrinseca. 433
CAPUT IV. De connubiis mixtis. 434
Quæres 1. Quid sentiendum de Matrimoniis mixtis? 434
(Certe 1° sunt valida, si alias serventur servanda ; 2° graviter illicita sunt ; 3° Rom. Pontifex solus potestatem habet dispensandi cum parte catholica.)
Quæres 2. Quænam conditiones requiruntur ut licite contrahantur Matrimonia mixta? — Tres. 435
APPENDIX 1. Propositiones a SS. Pontificibus damnatæ. 437
APPENDIX 2. Quædam Bullæ SS. Pontificum. 444

FINIS INDICIS ANALYTICI.

LEXICON PHILOSOPHICUM

QUO VERBA SCHOLASTICA EXPLICANTUR,

AD USUM PRÆCIPUE EORUM QUI D. THOMÆ ET ANTIQUORUM DOCTORUM OPERA LEGERE CUPIUNT.

NOTA. ***Difficilis est, et tamen valde desiderata, D. Thomæ, sicut et antiquorum Doctorum, operum lectio; utile igitur duximus hujusmodi Lexicon juvenibus Theologiæ candidatis præbere, quod eis scholasticorum terminorum interpretationem explanet, ita tamen opus nostrum restringentes, ut nonnisi de obscuris, et quidem tantum quoad vocis explicationem, sine ullo ad doctrinæ discussionem respectu, mentionem fecerimus.***

A

ABSOLUTE. Absolute: 1° opponitur τῳ *relative;* 2° tantumdem valet ac *simpliciter*, ex toto, sine omni restrictione, omni modo. Sic attributum aliquod dicitur convenire subjecto absolute, quatenus de eo dicitur simpliciter sine omni restrictione, etc... Sic Deus dicitur absolute bonus : rex in regno absolute summus.

ABSOLUTUM. Absolutum (*ab solvere*) dicitur quasi solutum ab alio. Unde quintuplex est :

— *Absolutum a termino*, id nempe quod non definitur per ordinem ad aliud, v. g. homo. Opponitur *Relativo*.

— *Absolutum a restrictione*, quod opponitur τῳ *secundum quid;* v. g. mens humana absolute est immortalis; homo autem est immortalis secundum quid, hoc est ratione mentis, quæ altera est illius pars.

—*Absolutum a conditione*, quod opponitur *conditionalo:* quo pacto necessitas absoluta opponitur conditionatæ.

— *Absolutum a causa*, quod est independens, et opponitur *Dependenti*, v. g. solus Deus.

— *Absolutum a subjecto*, id nempe quod non est in alio. v. g. Petrus; et sic opponitur ei quod alteri inest, vel ut pars toti, vel ut accidens subjecto, etc. – *V. Terminus*.

ABSTRACTIO. Abstractio (*ab trahere*) seu præcisio, in genere ea est actio qua a se invicem segregantur aut separantur, quæ conjuncta erant et concreta. Est 1° duplex.

—*Realis*, etiam aliquando *physica* dicta, quæ existit independenter ab intellectu, ut separatio animæ a corpore per mortem. Præcisio rei alia est *inconnexionis* seu *indifferentiæ*, quæ denotat rem cum alio non esse necessario connexam; alia *non inclu-*

sionis, quæ denotat rem aliquam *in se* aliud non includere, et ab eo distinctam esse, licet sine eo concipi nequeat.

— *Mentalis*, seu *rationis*, seu *logica*, quæ fit per mentis operationem, v. g. modi a substantia. — Porro ista mentalis est duplex:

— *Simplex*, quæ est expers affirmationis et negationis.

— *Composita*, seu *complexa*, seu *divisionis*, seu etiam aliquando *negativa* dicta, quæ est negatio unius de alio : v. g., cum negatur albedo de corvo.

Porro, abstractio simplex est : 1° vel comparativa, vel mere præcisiva ; 2° vel positiva, vel negativa ; 3° vel confusa, vel distincta, vel confusiva.

1° Abstractio *comparativa* est ea qua noscitur unum per ordinem ad aliud, v g. cognitio hominis per ordinem ad Petrum et Paulum. — *Mere præcisiva*, est cognitio unius pure seorsim ab alio, v. g. notitia humanitatis pure seorsim a Petro et Paulo.

2° Abstractio *positiva* est qua unum concipitur sine altero, tanquam separatum ab ipso, a quo tamen non est realiter separatum : ut cum nigredo corvi concipitur tanquam separata a substantia corvi, a qua tamen non est realiter sejuncta : vel qua unum concipitur tanquam distinctum ab alio, a quo non distinguitur, ut cum concipitur humanitas Alexandri tanquam distincta ab Alexandreitate, a qua non distinguitur. — *Negativa* est ea qua unum concipitur, non concepto altero cum quo est realiter conjunctum ant identificatum ; ut cum nigredo corvi concipitur, non concepta substantia corvi, cum qua est realiter conjuncta ; vel cum humanitas quæ est in Petro concipitur, non concepta Petreitate, cum qua realiter indentificatur.

Abstractio negativa est triplex, nempe abstractio *virtualis*, quæ nihil aliud est quam productio speciei impressæ, humanitatis v. g., non producta specie pariter impressa Petreitatis aut Pauleitatis, etc. Ideoque ejusmodi præcisio dicitur virtualis, quia species impressa (quæcumque demum illa sit) est tantum virtualis repræsentatio objecti, quæ non quidem objectum cognitum, sed intellectum potentem cognoscere solummodo denominat, ipsum scilicet complendo ex parte objecti, cujus species est vicaria. — *Formalis*, quæ est productio speciei expressæ alicujus rei spectatæ in ordine ad quamdam operationem, seu ad quoddam connotatum extrinsecum, non producta specie expressa ejusdem rei spectatæ in ordine ad aliam quampiam operationem, aut ad aliud connotatum extrinsecum. Sic præscinditur formaliter humanitas a Petreitate, cum qua realiter identificatur intrinsece, quando consideratur ut affecta ratiocinatione, non considerata ut affecta terna Christi abnegatione. — *Objectiva*, quæ dicitur actus intellectus, seu conceptus in repræsentando inadæquatus, ita objectum realiter indivisum seu identificatum partiens in plura prædicata se mutuo non includentia, ut unum ex parte objecti prædicatum repræsentetur, alio per actum illum omnino non repræsentato : ita scilicet, ut animal ex parte objecti cognoscatur, non cognito rationali ; natura sine differentiis individuantibus ; et sic de cæteris : animal enim et rationale in homine, sunt quidem una entitas realiter, sed virtualiter multiplex. Unde fit ut intellectus noster habet vim partiendi objectum realiter impartibile, illudque dividendi in duas virtualitates seu formalitates ; ita

ut in ipso objecto cognoscat uno conceptu unam virtualitatem et eodem actu non cognoscat alteram : virtualitatibus se tenentibus, non ex parte operationum aut aliorum connotatorum extrinsecorum, sed ex parte ipsius objecti seu naturæ intrinsecæ. Sic Thomistæ.— Juxta alios, præcisio duplex est : *formalis*, seu actus quo intellectus rem considerat secundum unum connotatum extrinsecum, non considerans eam secundum aliud connotatum : vel actus intellectus considerantis unam rationem objectivam, non considerata altera ; — *objectiva*, seu ipsa res considerata secundum unum connotatum extrinsecum, eadem non considerata secundum aliud connotatum.

3° Abstractio *confusa* est ea qua unum non distincte concipitur, seu quæ diversa repræsentat in diversis ; v. g. dum concipitur *sanum* id quod ordinate se habet ad sanitatem ; nam in animali significat subjectum sanitatis ; in pharmaco, principium ; in pulsu, signum. — *Distincta*, est ea qua quid distincte repræsentatur seorsim ab alio, seu cujus definitio idem significat in diversis ; v. g. animal rationale respectu Petri et Pauli, nam idem in quocumque significat. — *Confusiva*, est ea qua cognoscitur subjectum confuse cum forma, v. g. homo : homo enim hoc pacto significat id quod habet humanitatem ; at *id quod habet*, est subjectum : *humanitas* vero est forma.

Abstractio est 2° triplex .

— *Physica*, quæ est abstractio a materia sensibili singulari tantum ; dicitur physica, quia physicus non corpora quidem singularia, sed corpus naturale in genere contemplatur.

— *Mathematica*, quæ est abstractio a materia sensibili singulari et communi, non re, sed ratione : dicitur mathematica, quia mathematicus quantitatem considerat, non attendendo ad materiam cui inest.

— *Metaphysica*, quæ est abstractio ab omni materia, re et ratione ; dicitur metaphysica, quia competit enti, ut ens est, de quo tractat metaphysicus.

ABSTRACTIVE. Ut opponitur τῳ *intuitive*. V. *Cognitio*. — Aliquando vero *abstractive* seu *præcisive* opponitur τῳ *negative*. *Abstractive* porro rem consideramus, quum in aliqua re spectamus aliquid, alia non considerando. Sic hominem abstractive considerat qui eum quoad animalitatem spectat, rationalitatem non considerando. *Negative* autem aliquam rem consideramus, quando de ea aliquid negamus.

ABSTRAHERE. Abstrahere sumitur vel, ut aiunt, transitive vel intransitive. Transitive sumptum, idem est ac aliquid ab aliquo modo aliquo separare. Intransitive sumptum, accipitur pro abstractum, hoc est, separatum esse, ut cum dicunt : Incorporea omnino abstrahunt a situ. Idem dicendum de verbo *præscindere*.

ABSTRACTUM. Abstractum, si de re intelligatur, est quid simplex et secretum ; neque enim potest concipi abstractum ut sic, quin concipiatur quid unum, distinctum, segregatum ab omni alio, v. g. humanitas respectu hominis. Vocatur *Metaphysicum*. — Si de nomine intelligatur, est illud cujus significandi modus est simplex : concipitur enim per modum formæ a subjecto separatæ. Vocatur *Logicum*, si forma sit accidentalis, cujusmodi est albedo ; *Physicum*, si substantialis, v. g. anima respectu corporis. — *V. Terminus*.

ACCIDENS. Accidens late dici-

tur quasi ad aliud cadens; sumitur autem tripliciter : 1° ut opponitur essentiæ, et sic dicitur quidquid non est de essentia, v. g. vis ridendi respectu hominis, licet ab illius essentia fluat. Hoc accidens vulgo vocatur *Verbale;* 2° ut opponitur necessario, sicque dicitur quidquid alteri inest contingenter, quodque ergo nec est de illius essentia, nec ab illius essentia defluit, v. g. vestis, respectu hominis. Hoc accidens vocatur *Prædicabile*, seu *Commune*, seu etiam *Logicum* et *Notionale*; 3° ut opponitur substantiæ, sicque dicitur illud cui competit esse in subjecto, v. g. albedo. Hoc accidens vocatur *Prædicamentale*, seu etiam *Physicum* et *Reale*.

Accidens *prædicabile* est id quod potest adesse et abesse sine subjecti interitu. Definitur abstracte sumptum : Unum aptum inesse multis specie vel numero differentibus, et prædicari de illis in quale contingenter. Hoc accidens est: 1° vel *genericum*, quod convenit pluribus specie differentibus, v. g. album cretæ et gypso ; vel *specificum*, quod convenit soli speciei infimæ ; — 2° vel *separabile*, quod nempe actu, vere, naturaliter et facile, physice a subjecto incolumi remanente separari potest, ut albedo a pariete, sessio ab homine ; vel *inseparabile*, quod aut nunquam reipsa, aut non facile ab objecto illæso physice sejungi potest, ut color cæsius ab oculo. *V. Prædicabile, Prædicari.*

Accidens *prædicamentale* est duplex, absolutum nempe et modale. Accidens *absolutum* est illud de cujus essentia est quidem aptitudo ad subjectum, non vero actualis inhærentia, v. g. quantitas. Unde a subjecto est supernaturaliter auferibile. Accidens *modale* est illud de cujus essentia est et aptitudo ad subjectum, et actualis inhærentia, v. g. gradus in calore. — Accidens prædicamentale novem ultima complectitur prædicamenta.—*V. Prædicamentum.*

ACCOMMODE. Accommode sumitur universalis propositio, in qua ab universalitate aliquid excipitur, v. g. in ista : Omnes in Adamo peccaverunt, sub intelligitur : exceptis Christo Domino et B. Virgine. Sic τῳ *absolute* opponitur.

ACTUALITER. *Actualiter* opponitur τῳ *virtualiter*, τῳ *habitualiter*, τῳ *interpretative*. Actualiter fit, quod ipso actu fit; virtualiter, quod non actu, sed virtute ex actu præcedenti relicta; habitualiter, quod nec actu, nec virtute fit, sed ad quod operandum est habitus seu facilitas ; interpretative, quod nec actu, nec ex virtute, nec habitu est, sed censetur ex communi æstimatione fieri. Sic vir etiam opulens, interpretative, quamvis de eo nec cogitans, cupit sibi eleemosynam dari, si ad paupertatem redigeretur.

ACTUARE. Actuare idem est ac perficere, actum dare, formare, potentiam passivam implere. Sic anima corpus actuat, in quantum corpus, prius in potentia ad esse viventis, in esse viventis perficit.

ACTUS. Actus idem est ac perfectio : actuare est perficere. Unde actus definitur : Id quo res est aliter quam potentia. Unde forma, sive substantialis, sive accidentalis, vocatur *actus formalis*, seu simpliciter *actus*, quia rem actuat et perficit. Unde etiam *actus informativus* vocatur forma, vel id quod est instar formæ, in aliquo composito, v. g. anima in homine : et huic correlativum est *potentia informabilis*.

Actus est 1° vel primus, vel se-

cundus. — Actus *primus* est intrinsecum operandi principium; estque vel *primus simpliciter*, seu intrinsecum cujuslibet operationis principium, v. g. anima in homine; est enim principium vegetationis, sensationis, ratiocinii; vel *primus secundum quid*, seu intrinsecum alicujus tantum operationis principium. Hocque est vel *insitum*, quod est a natura, v. g. intellectus respectu intellectionis; vel *acquisitum*, quod actuum repetitione comparatur, v. g. liberalitas respectu eleemosynæ.—Actus primus tamen sæpe sumitur antonomastice pro potentia. Unde in actu primo id est, quod potest esse, id operatur, quod potest operari. Aliqui etiam restringunt actum primum ad potentiam proximam. — Actus *secundus* est operatio ipsa, v. g. locutio. Porro actus secundus seu actio est multiplex: nam, ratione principii, actio est: 1° vel *vitalis*, quæ essentialiter est a potentia vitali, v. g. nutritio; vel *non vitalis*, quæ producitur vita non concurrente, v. g. calefactio ignis; 2° vel *naturalis*, vel *violenta*, vel *artificialis*, vel *fortuita*; 3° vel *necessaria*, vel *libera*. Verba patent. Ratione subjecti, est vel *immanens*, cujus terminus manet in principio a quo manat, v. g. intellectio; vel *transiens*, cujus terminus transit extra agens, v. g. calefactio. Ratione termini, est vel *substantialis*, vel *accidentalis*, prout terminus ejus est vel substantia vel accidens. Ratione modi, est vel *instantanea*, vel *successiva*.

Actus est 2° vel perfectus, vel imperfectus.—Actus *perfectus* est ille qui non necessario tendit ad ulteriorem perfectionem, v. g. calor remissus respectu intensioris, ille enim potest esse sine hoc: puta calor in tertio gradu esse sine calore in quarto gradu; unde hic non dicitur actus entis prout est in potentia. Actus *imperfectus* is est qui essentialiter tendit ad ulteriorem perfectionem, v. g. calefactio ad calorem; est enim essentialiter productio caloris. Sicque hæc est actus entis in potentia.

Actus est 3° vel in aliquo vel ab aliquo. — Actus *in aliquo* dicitur qui est in eo cujus est actus, v. g. scientia in sciente. Actus *ab aliquo* dicitur is qui exit extra id cujus est actus, v. g. ædificatio extra architectum.

Actus est 4° vel purus, vel mixtus. Actus *purus* (scilicet a potentia) est ille cui nulla deest perfectio, v. g. Deus solus. Actus *mixtus* (aliqua scilicet potentia) est ille cui deest aliqua perfectio, v. g. omnis creatura, excepta materia prima, in qua, aiunt Thomistæ, nullus est actus. — Attamen aliquando *actus purus* sumitur pro quacumque forma substantiali, v. g. anima respectu corporis humani, quatenus illud perficit et informat.

Actus est 5° vel *respectivus*, seu ens incompletum, id est cui aliquid deest ad totum suum esse, v. g. animal respectu hominis; vel *absolutus*, seu ens completum, id est cui nihil deest ad totum suum esse, v. g. homo, arbor, etc.

Actus est 6° vel *exercitus*, vel *signatus*. V. *Signatus*.

ADHÆSIVE. *Adhæsive* unum dicitur inesse alteri, quod alteri quamvis unitum, illud tamen intime non pervadit, et ab eo sejunctum existere potest. Sic punctum in linea. Opponitur τῳ *informative*, juxta quod unum dicitur alteri inesse, quod alteri inest tanquam forma; τῳ *sustentative*, juxta quod unum dicitur alteri inesse, quod alteri inest tanquam forma dependens a subjecto, ita ut, ut subsistat, ab eo

sustentari necesse sit, v. g. animæ plantarum; τῳ *inhæsive*, juxta quod unum alteri inest, non ut pars, ita tamen ut separatum ab eo, naturaliter existere nequeat, v. g. accidens quodcumque.

AD QUEM. V. *Terminus*.

ÆQUIPOLLENTIA. Æquipollentia est eadem vis, idemque sensus duarum propositionum ex æquivalentia signorum proveniens. Sic æquipollentes sunt propositiones: Non omnis homo est justus : Aliquis homo non est justus.

ÆQUIVOCA. Æquivocum dicitur vel de vocibus, vel de rebus.

Æquivoca æquivocantia, seu voces æquivocæ, sunt voces communes multis in diversa plane significatione, v. g. taurus respectu signi cœlestis et animalis.

Æquivoca æquivocata, seu *Homonyma*, seu res æquivocæ, sunt res æquivoco nomine significatæ, seu quorum nomen est commune; ratio vero essentiæ secundum illud nomen diversa, v. g. aliquod signum zodiaci respectu tauri. — Æquivoca æquivocata.alia sunt *a casu*, cum forte, fortuna, et quasi inscienter eamdem æque primo sortiuntur appellationem, adeo ut ratio reddi non possit cur rebus natura et definitione diversissimis unum idemque nomen sit impositum, v. g. jus respectu jusculi, debiti et fori. Alia sunt *a consilio*, cum scilicet pluribus inditum est nomen commune diversissimis, sed non æque primo, idque certa quadam ratione, ita ut eorum naturas consideranti appareat cur eodem nomine appellandæ sint; sic acutum dicitur de sono, de ingenio, etc.

Æquivoca *a consilio* subdividuntur: 1° in æquivoca *a memoria*, ut cum filio imponitur nomen Patris ad renovandam illius memoriam; 2° in æquivoca *a spe*, ut si quis filium suum Alexandrum vel Cæsarem vocet, quia sperat eum fore bellicosum; 3° in æquivoca *propter proportionem*, ut cum nomen pedis tribuitur fulcro scamnum sustentanti, propter analogiam quam habet cum pede animalis; 4° in æquivoca *ab uno*, cum multa ab uno eamdem denominationem accipiunt, ut cum a medicina hominem et librum et instrumentum medicum vocamus; 5° in æquivoca *ad unum*, cum multa deferuntur ad unum a quo denominationem eamdem accipiunt, ut a sanitate medicina, dieta et alia sana vocantur. Æquivoca a consilio exacte loquendo non sunt æquivoca nisi valde improprie, sed potius *analoga*.

ALIENATIO. Alienatio, dum agitur de terminis, definitur: Usurpatio termini in sensu translatitio et metaphorico; v. g. in hac propositione: Alexander erat *leo*. Unde *alienanter* sumitur vox, cui quædam adjungitur particula alienans,seu destruens propriam nominis significationem.

ALIQUOTUS. *V. Pars*.

AMPLIATIO. Ampliatio, dum agitur de terminis, definitur: Extensio termini a minori ad majorem significationem, v. g.: mansueti hæreditabunt terram : ly *mansueti*, quod solum ex vi prædicati supponit pro futuris, sumitur etiam pro præsentibus et præteritis.

ANALOGA. Analogum dicitur de vocibus, vel de rebus.

Analoga analogantia, seu *voces analogæ*, sunt voces quæ significant rationem simpliciter quidem diversam, aliquatenus tamen similem, seu voces multis communes, partim in eadem, partim in diversa significatione, v. g. sanum respectu pharmaci, pulsus et animalis.

Analoga analogata, seu *Pro-*

portionata, seu *res analogæ*, ea sunt quorum nomen commune est, ratio vero (seu essentia) per nomen significata est partim quidem in illis diversa, partim tamen eadem. — Analoga analogata sunt alia *proportionis*, seu *attributionis*, ea nempe quæ idem nomen sortita sunt ex habitudine ad unum principale cui attribuuntur; unde definiuntur : ea quæ sunt idem secundum terminum, diversa vero secundum modum quo ipsum respiciunt. Id patet in exemplo *sani*, quod dicitur a sanitate quæ quidem principalius reperitur in animali ; cætera vero dicuntur sana eo quod respiciunt sanitatem animalis, v. g. pulsus qui eam indicat. Istud autem principale, de quo supra, vocatur *famosius* et *principalius analogatum*, cætera vero quæ illud respiciunt, *minus principalia analogata*. Alia *proportionalitatis* (etiam ab aliquibus dicta analoga *proportionis*), ea scilicet quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata simpliciter quidem diversa, proportionaliter tamen eadem, id est similis secundum quamdam proportionem. Sic *risus* dicitur analogum respectu hominis, prati et fortunæ. Alia analoga *inæqualitatis*, quorum quidem nomen commune est, ratio vero secundum illud nomen omnino eadem, non æque tamen participata quoad ordinem, vel essentialem formam. Et sic sumpta cum univocis conveniunt. Unde ab aliis dicuntur : ea inter quæ intercedit, non quævis inæqualitas perfectionis, sed essentialis etiam dependentia unius analogati ab alio : cujusmodi est inter substantiam et accidens; accidens enim a substantia dependet.—Nota : *analogum* simpliciter prolatum, supponit pro præcipuo analogato. —V. *Æquivoca*.

ANIMA. Anima est forma constitutiva viventis, ut vivens est. Anima alia est *vegetativa* seu *vegetans*, quæ est principium nutriendi, crescendi et generandi, v. g. anima quercus est principium radicale quo hæc nutritur, augetur, et potest producere sibi simile. Alia est *sensitiva*, quæ est belluis propria, et est actus primus corporis potestate proxima vitam sentientem habentis. Definitur : Radicale principium sentiendi et appetendi, item et sese loco movendi. Anima maxime vim habet movendi. Hinc animatum, ab inanimato, motu ab intrinseco, et sensu differt. Alia est *rationalis*, quæ definitur : Substantia cogitans finita, cum corpore humano organico hominem constituens, aut constituere apta : vel anima *rationalis* est imago et similitudo hominis cum Deo. Ipsius quippe entitas divinam naturam sua spiritalitate refert; virtus motiva, patrem divinum, facultas intelligendi, Verbum æternum; voluntas vero, Spiritus sancti personam nobis repræsentat.

ANTECEDENTER. *Antecedenter* velle, est aliquid velle, non consideratis circumstantiis; sic Deus vult omnes salvari; *consequenter* velle ergo est aliquid velle, consideratis circumstantiis; sic Deus vult morientes in peccato mortali damnari.

Antecedenter necessarium aut impossibile, id est quod absolute tale est; *consequenter*, quod non est tale nisi hypothetice.

ANTEPRÆDICAMENTA. Antepraedicamenta sunt prænotiones necessariæ ad categoriarum notitiam. Puta, *definitiones et divisiones terminorum communium*, *æquivocorum scilicet*, *univocorum* et *denominativorum*; tum et *divisiones rerum*, *regulæ prædicationis* et *differentiarum*. Di-

cuntur *anteprædicamenta*, quia ab Aristotele ante prædicamenta tradita fuerunt velut præviæ notiones.

ANTIPERISTASIS. Antiperistasis significat proprie resistentiam contra obsidens; definitur vulgo: actio qua agens, a contrario obsessum et oppugnatum, colligit veluti spiritus et fortius evadit ad retundendas contrarii agentis vires: unde ad eam requiritur ut agens obsessum et activius evadat et intensius.

APPELLATIO. Appellatio est applicatio unius termini supra alium, v. g. Deus est bonus; ly *bonus* supra Deum applicatur. — Dividitur in materialem et formalem. *Materialis* est quando prædicatum cadit supra materiale subjecti, v. g. medicus cantat. *Formalis* est quando prædicatum cadit supra formale subjecti, v. g. medicus sanat.—*Vide Significatum.*

APPETITUS. Appetitus est cujusque rei inclinatio ad prosequendum bonum et fugiendum malum.

Dividur 1° in naturalem, sensitivum, et rationalem.

Appetitus *naturalis* est cujusque rei inclinatio in id quod est naturæ suæ conveniens, absque propria cognitione, et consequenter fugiens quod est disconveniens. Appetitus *sensitivus* sive *animalis* est potentia animæ prosequens bonum sensibile juxta apprehensionem imaginationis, et consequenter fugiens malum sensibile, et hic duplex est: *concupiscibilis*, seu potentia animæ prosequens bonum sensibile, delectabile juxta apprehensionem imaginationis, et consequenter fugiens malum sensibile; *irascibilis*, seu potentia animæ prosequens bonum sensibile arduum, et fugiens malum sensibile arduum juxta apprehensionem imaginationis. Appetitus *rationalis* est potentia animæ prosequens bonum in universali, juxta apprehensionem intellectus.

Dividitur 2° in appetitum innatum et elicitum.

— *Innatus* est pondus a natura inditum, seu facultas orta ab essentia, qua res ferri *potest* in id quod sibi conveniens est, et illud quod disconveniens est aversari. *Elicitus* est *actualis* inclinatio in bonum vel aversio a malo.

A PRIORI, A POSTERIORI, V. *Demonstratio*.

ARBOR PORPHYRIANA. Arbor Porphyriana, seu *scala prædicamentalis*, seu *linea prædicamentalis*, est figura tribus constans lineis, a scholasticis ficta, ad constituendam seriem prædicatorum essentialium a supremo genere usque ad individualia, quæ constituunt prædicamenta. Linea media dicitur *recta*; quæ vero sunt in lateribus *collaterales* seu *indirectæ* vocari solent. Porro, in recta ponuntur individua, species infimæ et genera omnia intermedia usque ad summum; v. g. in prædicamento substantiæ Paulus, homo, animal, vivens, corpus, substantia, hocque a nonnullis vocatur *profunditas prædicamenti*; in collateralibus ponuntur differentiæ tam dividentes quam constituentes ea quæ in recta linea ponuntur. Sit ad exemplum:

SUBSTANTIA.
Corporea. *Incorporea.*
CORPUS.
Animatum. *Inanimatum.*
VIVENS.
Sensitivum. *Non sensitivum.*
ANIMAL.
Rationale. *Irrationale.*
HOMO.
Hic. *Ille.*
PAULUS.

ARETOLOGIA. Aretologia es

est pars philosophiæ moralis, qua quid virtus, et quæ virtuti quærendæ comparata sint adminicula, exponitur.

ARGUMENTATIO. Argumentatio est oratio in qua unum ex alio infertur; duplex est : *materialis*, quæ vi solius materiæ concludit; concludere autem vi solius materiæ dicitur, quando ex vi quidem formæ nihil colligitur, sed tamen consequentia talis est ut, assumpta tali materia, semper in eadem forma recte concludatur. Ut hæc argumentatio : homo est animal, ergo est sensus particeps: est materialis; quia ob solam rerum significatarum inter se affectionem recte concludit. Si enim, retenta eadem forma, aliam dissimilem materiam assumas, dicendo : homo est animal, ergo est hinnibilis, vitiose concludes. *Formalis*, quæ ex vi formæ concludit, id est cujus formam modumve colligendi si retinueris, in quavis materia, etiam impossibili, apte concludes. Ut hæc argumentatio : omnis homo est animal, omne animal est vivens, ergo omnis homo est vivens, est formalis; quia, retenta eadem forma, et accepta materia impossibili, recte concludes hoc modo : omnis homo est lapis, omnis equus est homo, ergo omnis equus est lapis.—Argumentatio vulgo est sextuplex, nempe : 1° exemplum, 2° inductio, 3° sorites seu gradatio, seu *argumentatio a primo ad ultimum*, 4° dilemma ; 5° enthymema, 6° syllogismus.

ASCENSUS. Interdum a terminis inferioribus ad superiorem fit quædam progressio, quæ vocatur *ascensus* ; et a superiori ad inferiores, quæ vocatur *descensus*. Est autem quadruplex ascensus et descensus terminorum, juxta divisionem termini communis, nempe: *distributivus*, *copulatus*, *determinatus*, *confusus*. —Ascensus distributivus est cum dico, v. g.: hic ignis est calidus, iste ignis est calidus, et ille est calidus, et ita de reliquis ; ergo omnis ignis est calidus. Descensus vero cum dico : omnis ignis est calidus, ergo hic et iste et ille ignis est calidus. — Ascensus copulatus est cum dico : terra, aqua, et alia elementa simul sumpta sunt quatuor; ergo omnia elementa sunt quatuor. Descensus copulatus vero cum dico: omnia elementa sunt quatuor ; ergo terra, aqua et alia elementa simul sumpta sunt quatuor. — Ex his facile est intelligere ascensum et descensum determinatum et confusum.

B

BEATITUDO. Beatitudo definitur a Boetio : Status omnium bonorum agregatione perfectus : unde duo sunt in beatitudine, scilicet summum bonum, quod vocatur *beatitudo objectiva* ; et ejus possessio, quæ vocatur *beatitudo formalis*. Porro, beatitudo formalis alia est *essentialis*, sive immediata unio cum summo bono, scilicet Deo ; et alia *integralis*, seu quidquid pertinet ad beatitudinis integritatem.

BONITAS. Bonitas est convenientia resultans ex perfectione rei et complemento requisitorum. — Bonitas est triplex : *metaphysica*, seu *transcendentalis*, seu *realis*, seu *entis*, seu *entitativa*, seu *in genere entis*, seu *essentialis*, nihil aliud est quam perfectio, sive integritas essentialis rei, seu potius congruentia entis cum voluntate ea (divina scilicet) a qua esse approbationis habet. *Physica* seu *naturalis*. qua ens aliquod omnia habet

quæ pertinent ad ipsius bene esse, ad secundam perfectionem, ac ad omnes operationes exercendas. *Moralis* seu *in genere moris*, seu *ethica*, id est, conformitas cum dictamine rectæ rationis et sancta Dei legislatoris voluntate. Unde patet quid sit *bonum metaphysicum*, *physicum* et *morale*.

BONUM. Bonum in genere est ens conveniens sibi alterive. Unde duplex bonum, bonum *sibi* et bonum *alteri*. Bonum ulterius est : 1° vel bonum *per se*, seu ens sui, non alterius, gratia appetibile, et bonum *propter aliud*, seu ens non sui, sed alterius gratia appetibile ; unde cum utili coincidit ; — vel 2° bonum per *essentiam*, seu ens independens, habens plenitudinem bonitatis, vi solius essentiæ suæ ; et bonum per *participationem*, seu ens dependens habens bonitatem non ab essentia sua totam, sed partim ab ea, partim ab ei superaddita perfectione; — vel 3° bonum *sui*, quod ad suam cujusque naturam conservandam et perficiendam confert ; et bonum *communionis*, seu quidquid ad tuenda et augenda societatis commoda sectari virtutis officio convenit.

C

CATEGOREMA. V. *Prædicamentum*.

CATEGOREMATICUS. V. *Terminus, Infinitum*.

CATEGORIA. V. *Prædicamentum*.

CATEGORICE. Idem est ac in certo genere entis, et opponitur τῳ *transcendentaliter*. V. *Transcendens*.

CAUSA. Definitur causa, ad quam sequitur esse alterius; seu, ex cujus esse sequitur aliud; vel : causa est principium influens esse in aliud.

Dividitur in *Virtualem* et *Actualem*.

— *Virtualis*, quæ realiter non distinguitur ab eo cujus dicitur causa (seu ab effectu), v. g. rationalitas respectu virtutis admirandi.

— *Actualis*, quæ realiter distinguitur a suo effectu. Hæc est vel *per accidens*, vel *per se*.

Causa actualis per accidens est ea cui accidit conjungi cum effectu producto. Sic dum aliquis effodiendo sepulchrum invenit thesaurum, dicitur causa per accidens inventionis thesauri, quia talis inventio fuit accidentaliter conjuncta effossioni, quam per se intendebat.

Causa actualis per se, ea est quæ producit effectum quem intendit, v. g. quercus glandem. Definitur : Principium influens in aliud esse quod intendit, v. g. architectus respectu ædificii (influere esse simpliciter est dare essentiam et existentiam).

Illa est : 1° *Totalis* vel *partialis*. 2° *Interna* vel *externa*. 3° *Adæquata* vel *inadæquata*.

1° Causa per se *totalis*, est quæ secundum se par est toti effectui producendo, v. g. sol respectu diei. — Causa totalis est: totalis totalitate causæ vel totalis totalitate effectus. Causa *totalis totalitate causæ* est ea quæ aliam excludit in productione effectus, v. g. Deus in creatione Angeli. Hæc vocatur *totaliter* producens. Causa *totalis totalitate effectus* est quæ vel totaliter, vel saltem totum producit effectum, v. g. Deus respectu Angeli est causa totalis *totaliter* et totum producens ; arbor vero respectu ad fructus est tantum causa totalis producens totum ; nihil est enim in fructu ad quod arbor non concurrat : sed non totaliter, quia Deus con-

currit. — Causa per se *partialis*, est quæ seorsim non sufficit toti effectui producendo, v. g. anima et corpus sunt causæ partiales tantum individui, quia neutra seorsim sumpta sufficit ad individuum. Causa per se partialis est *partialis partialitate causæ*, vel *partialis partialitate effectus*. Causa *partialis partialitate causæ* ea est quæ indiget societate alterius causæ ad producendum aliquem effectum, v. g. quum plures equi rhedam trahunt, quilibet est causa partialis. Causa *partialis partialitate effectus*, est ea quæ tantum producit partem effectus, v. g. latomus qui unam partem domus producit, non alteram, est causa partialis partialitate effectus respectu hujusmodi ædificii.

2° Causa actualis per se iterum, alia est *interna*, alia *externa*. — Causa *interna*, quæ est in effectu tanquam pars, v. g. anima, in vivente. Interna alia est *materialis*, alia *formalis*.

—Causa *interna materialis*, *vide materia*; interna formalis, *vide forma*.

—Causa *externa* quæ est extra effectum quem producit. Externa alia est *finalis*, alia *exemplaris*, alia *efficiens*.

— Externa finalis. V. *Finis*.

— Exemplaris. V. *Exemplar*.

— Efficiens, ex Arist. defin. : principium extrinsecum, a quo primo profluit motus, seu rei productio.

Causa efficiens dividitur 1° in *univocam—æquivocam*; 2° *physicam — moralem*; 3° *principalem — instrumentalem*; 4° *publicam — privatam*; 5° *primam — secundam*; 6° *proximam — remotam*; 7° in causam *ut quod* — causam *ut quo*.

1° Causa efficiens *univoca*, est quæ producit effectum ejusdem secum rationis, v. g. ignis, ignem generans; *æquivoca*, quæ producit effectum diversæ naturæ a se, v. g. equus, mulum.

2° *Causa physica*, est quæ agit per verum motum, v. g. ignis est causa physica comburendi domum. Porro *causa physica* in *physicis*, ea est quæ per se immediate, aut virtute a se diffusa producit effectum, v. g. gallina respectu ovi a se editi; *in ethicis*, ea est quæ producit effectum, nulla mediante causa rationali, v. g. is qui hominem gladio peremit, dicitur causa physica talis occisionis, quia eam patrat, mediante instrumento ratione destituto.

Causa *moralis*, est quæ solum cooperatur excitando, v. g. qui consuluit domum comburendam est causa *moralis* combustionis domus. Porro in *Ethicis*, est ea quæ producit effectum, mediante causa rationali, v. g. qui imperio, minis, pecunia, hortatione, vel precibus movet ad agendum, v. g. qui aliquem pecunia inducit ut suum inimicum occidat. In *physicis*, causa *moralis* est ea ad quam sequitur effectus, quem nec per se, nec virtute a se diffusa producit; v. g. gallina alterius ovo incubans, respectu pulli ex tali ovo exclusi est causa moralis productionis pulli. In *metaphysicis*, causa moralis est ea ad cujus præsentiam ponitur effectus, alio concurrente; v. g., ait Godartius, aqua baptismalis respectu sanctificationis animæ; etenim dum illa corpus abluit, Deus animam sanctificat.

3° *Causa principalis* seu *princeps*, quæ propria virtute producit effectum sibi proportionatum, v. g. sol, diem.

Causa instrumentalis, ea est quæ *agit* in virtute causæ principalis; dixi, quæ *agit*, ut distinguatur instrumentum a medio; medium enim dicitur quod defert

calis *passiva*, secundum quam locus circumscribitur a locato; localis *resultans*, quæ ex utraque resultat : et hæc creditur esse prædicamentum *ubi*.

COACTIO. Coactio est motus ab extrinseco contrarius inclinationi resistentis cognitione præditi. Unde, proprie loquendo, vis dicitur de solis cognitione destitutis, coactio vero de solis cognitione præditis.

COACERVATIO. Idem est ac sorites.

COGNATA. Cognata sunt ea quæ inter se conveniunt. Id potest fieri, 1° *categoria*, 2° *causis*, 3° *partibus*, 4° *accidentibus*, 5° *adjunctis*. — 1° Cognata *categoria* ea sunt, quæ conveniunt genere, vel specie, etiam infima. Sic homo et bestia genere conveniunt, quod uterque sit animal; Petrus et Paulus conveniunt specie, etiam infima, quod uterque sit homo. — 2° Cognata *causis* ea sunt quæ conveniunt *causis*: sive *causa finali*, v. g. pauper et dives, qui propter gloriam æternam creati sunt, conveniunt causa finali; sive *causa efficiente*, v. g. mens et corpus, quæ a Deo conservantur, conveniunt causa efficiente; sive *causa materiali*, v. g. omnia corpora mixta quæ ex iisdem elementis concreta sunt; sive *causa formali*, v. g. res corporales, quarum forma est apta elementorum compositio. — 3° Cognata *partibus* ea sunt, quæ sunt paria, aut æqualia; paria quidem ut bis bina : æqualia, ut duæ decempedæ.—Cognata *accidentibus*, ea sunt quæ sunt similia, ut Æthiops et corvus, qui nigrore conveniunt. — Cognata *adjunctis*, ea sunt quæ conveniunt circumstantia vel objecto; *circumstantia* quidem, nimirum loco et tempore; sicut præceptor et auditores qui eadem schola continentur : *objecto* vero, ut omnes discipulorum mentes, qui eidem philosophiæ student.

COGNITIO. Cognitio est vitalis objecti repræsentatio.

Dividitur cognitio in *materialem* seu *sensationem*, et *spiritalem* seu *intellectionem*.

Cognitio spiritalis, seu *intellectio*, est objecti repræsentatio in mente; v. g. conceptio solis in mente.

Cognitio spiritalis seu intellectio dividitur :

1° In *directam* et *reflexam*.

Directa, seu cognitio rei distinctæ ab operatione mentis, v.g. conceptio solis. Illa est : 1° *perfecta*, si fit cum mentis examine, v. g. cum adverto animal esse genus proximum hominis; rationale autem esse ejus differentiam maxime propriam; 2° *imperfecta*, si fit sine mentis examine, v. g. dum prima fronte cognosco animal rationale.—*Reflexa*, quæ est cognitio cognitionis, v. g. examen definitionis.

2° In *matutinam* et *vespertinam*.

Matutina cognitio est ea, qua Beati in essentia divina vident res secundum esse ideale, quod in ea habent, seu qua vident res creatas in Deo, tanquam in speculo res omnes nitidissime repræsentante. Beati enim omnia vident in Deo.

Vespertina cognitio, est ea qua Beati vident res, secundum naturam propriam, quam habent extra essentiam divinam. Prima dicitur matutina, ratione claritatis rerum in Verbo, tanquam sole æterno; secunda vespertina, ratione minoris claritatis.

3° In *abstractivam* et *intuitivam*.

Abstractiva cognitio ea est qua unum per aliud cognoscitur, v. g. causa per effectum, puta Deus per creaturas.

Intuitiva cognitio ea est qua

res in se videtur. Illa est : 1° vel *apprehensiva*, vel *comprehensiva*.

Cognitio *apprehensiva*, qua res ad modum cognoscentis finiti percipitur v. g. visio beatifica, qua Deus ab intellectu angelico noscitur (cognoscibilitas enim Dei superat infinite vim cognoscitivam creaturarum, ideoque ei nequit adæquari). — *Comprehensiva* cognitio, qua res cognoscitur in quantum in se est cognoscibilis, v. g. cognitio qua Deus seipsum intelligit; adæquatur enim rei cognitæ; cognoscit quippe suam essentiam in quantum ipsa est cognoscibilis.

Intuitiva est 2° *quidditativa*, vel non *quidditativa*.

Cognitio *quidditativa* est omnium in objecto cognoscibilitatum penetratio; vel ea qua omnia prædicata essentialia usque ad ultimas causas cognoscuntur : atque sic coincidit cum cognitione comprehensiva. Quandoque autem sumitur pro ea cognitione quæ attingit ipsam entitatem objecti, ut in se est physice : quo modo intuitio quædam est. Quandoque etiam sumitur pro ea cognitione quæ rei alicujus essentiam percipit abstractam a conditionibus individuantibus, ex genere et differentia specifica cum proprietatibus illam consequentibus. Patet ex hoc quid sit cognitio non quidditativa.

COHÆRENTIA. Cohærentia aut *cohæsio*, in logica dicitur de argumentis quorum unum arguit alterum vi solius connexionis. Est etiam cohærentia in logicis, extremorum, vel propositionum, vel partium methodi connexio. Est autem legitima, cum ratio aliqua afferri potest cur conclusio præcedentibus propositionibus attexatur; est autem vitiosa, cum nullum vinculum est quod membra conjungat.

COLLECTIO. Collectio logicis est illatio, deductio; ideo hæ voces solent usurpari : hinc colligo, apertissime colligo, etc.

COLLECTIVE. *Collective*, seu *copulatim*, seu *conjunctim* sumitur vox, quæ pro suis significatis *simul* sumptis sumitur, ut *Apostoli*, quando dico : Apostoli sunt duodecim. Opponitur τῳ *distributive*, seu *copulative*, seu *divisim*. V. *Sensus*.

COMMEMORATIVUM. V. *Signum*.

COMMUNICABILITAS. Communicabilitas duplex distingui solet, *quidditativa* scilicet, et *effectiva*.

Quidditativa nonnullis duplex est : *vel* enim est eorum quæ sese habent ad invicem ut superius et inferius, atque hæc conjuncta est cum multiplicitate ad inferiora; et sic pertinet ad naturam universalem, quæ dicitur de pluribus inferioribus per multiplicationem inferiorum, v. g. dum homo prædicatur de Petro et Paulo; *vel* est plurium non multiplicatorum in inferioribus essentialiter, quia non sunt inferiora; hæcque admitti potest a parte naturæ singularis : ita divina essentia singularis, eaque sola, de pluribus prædicatur in quid, citra sui multiplicationem.

Effectiva indistincte omnibus singularibus applicari potest ; qualis est, quando causa singularis sese communicat effectui, eum producendo; sive id agat efficienter (quæ communicatio in specie *effectiva* appellatur), sive ad instar partis concurrendo ad compositi constitutionem, quæ communicabilitas *ut quo* appellari solet.

COMPARATIO. Comparatio est actus intellectus unum cognoscentis in ordine ad aliud, vel cum alio. Hæc autem dicitur *simplex*, quando aliquid apprehenditur in ordine ad aliud,

absque affirmatione aut negatione; *composita* vero est, quando intellectus actu affirmat unam inesse alteri, ut: homo est animal.

COMPLEXE. *Complexe* consideratur, quod cum aliquo attributo spectatur, v. g. homo doctus: secus *incomplexe*, v. g. homo. — *Complexe* voces significant, quarum unico conceptu non possunt concipi significata, v. g. homo doctus; secus *incomplexe*, v. g. homo, Petrus, animal rationale. —*Complexe* necessarium est propositio necessario vera; *incomplexe* necessarium est res necessaria, v. g. Deus.

COMPLEXUM. *Complexa* sunt quæ plura simul comprehendunt, ut homo albus. *Incomplexa* sunt, quæ aliquid simplex exprimunt, ut homo, virtus, albedo, etc.

COMPOSITIO. Compositio est unio plurium rerum, ex quibus unum resultat.

Dividitur 1° in mentalem et realem. — *Mentalis* est quæ non præcedit mentis operam, v. g. compositio ex genere et differentia, et hæc vocatur a multis compositio *metaphysica*. *Realis* est ea quæ præcedit mentis operam; et hæc duplex est: *moralis*, quæ fit ex pluribus discretis v. g. compositio exercitus. *Physica*, quæ est plurium partium realiter distinctarum et separabilium unio, ex quibus fit unum per se; et hæc iterum duplex est: *entitativa*, quæ ex iis emergit quæ sunt ejusdem naturæ, v. g. ex duabus aut pluribus aquæ guttis; *essentialis*, quando duæ res diversæ conjunguntur, et novam essentiam constituunt a singulis partibus diversam: sic ex materia prima et forma.

Dividitur 2° in compositionem *ex his* et compositionem *cum his*. Compositio *cum his* est ea, quæ fit ex rebus naturaliter distinctis, quæ inter se nullam habent habitudinem actus et potentiæ ad aliquod totum constituendum: vulgo dicitur compositio *per modum numeri;* numerus enim multitudinem importat unitatum; v. g. Christus est compositus compositione *cum his*, adest enim in eo humanitas et divinitas ex quarum unione efficitur Christus.—Compositio *ex his*, est ea quæ fit ex partibus proprie dictis, quæ inter se mutuam dicunt habitudinam actus et potentiæ ad aliquod totum efficiendum : v. g. compositio hominis ex anima et corpore. Vulgo vocatur compositio *per modum partium*.

COMPREHENSIVE. V. *Cognitio.*

CONCEPTUS. Duplex distinguitur conceptus objectivus nempe et formalis.

Conceptus *objectivus* seu intentio objectiva nihil aliud est quam res concepta.

Dividitur 1° in conceptum *rei repræsentandæ*, seu res repræsentanda, v. g. vultus regis; et in conceptum *rei faciendæ*, seu res facienda, v. g. imago regis delineanda.

Dividitur 2° in intentionem *primam* et intentionem *secundam*.— Intentio *prima*, est res cognita secundum esse quod habet independenter a mente, ut dum homo dicitur bipes, vestitus, pictus, etc. Intentio *secunda*, est res concepta secundum formam ei, dependenter a mente, cum aliquo fundamento advenientem, v. g. dum animal dicitur genus; homo, species; Paulus, individuum. Sicque homo sumitur *secundo intentionaliter;* dum vero dicitur bipes, sumitur *primo intentionaliter*.

Conceptus *formalis* seu *intentio formalis* nihil aliud est quam rei conceptio.

Dividitur 1° in conceptum seu intentionem formalem *rei repræsentandæ*, puta cognitio ipsius exemplaris, v. g. cognitio vultus

regis. ; vel in conceptum *rei faciendæ*, v. g. cognitio regiæ imaginis exarandæ.

Dividitur 2° in conceptum univocum, analogum et æquivocum. — Conceptus *univocus* est ille qui distincte repræsentat plura secundum unam rationem perfectionis, quæ in inferioribus ex æquo reperitur. Estque unus et secundum rem, et secundum rationem. Secundum rem, quia est unus numero in intellectu cogitante conceptus. Secundum rationem, quia res objecta eodem modo repræsentatur, vel repræsentatur ut simpliciter una, id est, sub eadem ratione et natura communi.—Conceptus *analogus* est ille, qui immediate plura repræsentat, secundum aliquam similitudinem proportionalem. Ergo in repræsentando non absolute unus est, sed tantum secundum quid.—Conceptus *æquivocus* est ille qui immediate repræsentat plura, quatenus sunt talia, exclusa omni ratione communi, tam simpliciter quam secundum quid. —Uterque conceptus, tum objectivus, tum formalis, *præcisus* dici posse creditur, vel re, vel ratione. Conceptus *re præcisus* est, cum actus mentis, quoad conceptus formales inferiorum et superiorum, realiter sunt diversi : ut si alius in mente sit conceptus, quo concipio ens in genere et quo concipio substantiam aut accidens. Conceptus *præcisus ratione* dicitur, cum in ratione superioris nihil includitur, quod sit in conceptu inferiorum, a quibus præscinditur.

Dividitur 3° in conceptum proprium ex propriis seu stricte proprium, et in conceptum proprium ex communibus.

Conceptus *proprius ex propriis* est ille quo res ut est in se, sine ope symboli, vel exempli, citra negationem concipitur; sic concipimus arborem quam videmus. Conceptus *proprius ex communibus* est ille quo res per communia prædicata concipitur, et ope negationis vel symboli, vel exempli, limitatur ad tale objectum ut aliis non conveniat. Ita res spirituales concipimus.

Dividitur 4° in conceptum ultimatum et non ultimatum. Conceptus dicitur *non ultimatus*, quando concipitur vox aliqua aut scriptura, sed non res per illam significata ; ut si quis., audita voce *leo*, non capiat quid per illam denotetur. *Ultimatus* vero quando res ipsa significata mente percipitur, ut cum, audita prædicta voce, cogitatio statim fertur in illud animal quod per eam significari solet.

CONCRETUM. Concretum spectari potest vel ex parte nominis seu termini concreti, vel ex parte rei concretæ.

Concretum *logicum*, seu nomen concretum, quod alias *paronymum* vocatur, illud est quod compositum habet significandi modum ; significat enim subjectum, et illud a quo subjectum quasi afficitur et denominatur, ut homo, doctus. Concretum quidem *accidentale* significat simul aliquo modo formam et subjectum, v. g. album. Concretum autem *substantiale* significat naturam prout affectam personalitate seu subsistentia, v.g. Petrus.

Concretum *reale* seu res concreta, vel habet formam a subjecto inseparabilem, sicut in homine humanitas, et hoc vocatur *metaphysicum;* vel habet formam a subjecto separabilem. Tunc si forma sit propria corpori naturali, sicut in animato anima, dicitur concretum *physicum ;* si vero forma conveniat etiam spiritualibus, v. g. intellectio respectu intelligentis, vocatur etiam concretum *metaphysicum.*

CONFUSE. V. *Collective, Abstractio, Suppositio.*

CONNOTARE. Connotare, est præter id quod directe sive in casu recto (id est nominativo) significatur, aliud quiddam indirecte sive in obliquo (id est accusativo seu alio, præter nominativum, casu) importare : sicut dives in recto hominem, in obliquo divitias significat.

CONNOTATIVA. Connotativa vox est, quæ significat aliquid adjacens alteri, ut adjacens : ut, v. g. togatus, justus, pius; illis enim vocibus et toga et justitia et pietas ut adjacentes significantur. Itaque non vox quæ togam, justitiam, etc., in se notat, sed quæ adjacentiam harum rerum significat connotativa est.

CONNOTATUM Connotatum est id ipsum, quod ut adjacens et indirecte sive in casu obliquo significatur : ut vestis est connotatum vestiti. Observandum tamen est quod connotatum interdum est substantia, quæ proprie dicitur *adjacens*, v. g. vestis : interdum accidens, quod dicitur potius *inhærens* sive *dependens*, v. g. pietas.

CONSECUTIVE. Consecutive ex adverso respondet interdum τῳ *antecedenter*, interdum τῳ *effective*, vel causaliter; sic enim loquuntur scholastici : generatio unius est corruptio alterius, non quidem effective, sed consecutive; id est, cum materia via naturæ, sine formis esse non possit, necesse est ut corruptionem unius generatio alterius insequatur.

CONTACTUS. Contactus sumptus pro eo per quod causa suum effectum attingit, duplex est, nempe : contactus *suppositi*, quo scilicet substantia agentis tangit substantiam patientis, v. g. substantia Dei tangit substantiam creaturæ; contactus *virtutis* quo agens attingit patiens per virtutem a se diffusam, v. g. sol plantas producens.

CONTIGUITAS. Contiguitas vulgo dicitur esse contactus corporum superficiebus propriis distinctorum, seu modus corporum quo extrema eorum sunt simul. Duplex distinguitur: *mathematica* scilicet, quando extrema corporum simul sunt secundum rem; ideoque non differt a continuitate physica : quæ enim secundum sensum tantum unum sunt, illa secundum rem simul sunt. *Physica*, quando extrema simul sunt ad sensum. Subjectum hujus sunt quælibet corpora naturalia, quæ ita sunt collocata, ut ubi extrema unius desinant, ibi extrema alterius incipiant.—Unde *contiguum* est corpus quod alteri applicatum extremitates suas servat diversas.

CONTINERE. Continere, in metaphysica, pertinet ad causas, quarum quædam dicitur affectio. Porro, causa continet suum effectum—vel *formaliter*, id est secundum propriam rationem; sic homo continet prudentiam, quia ipsa secundum suam naturam, puta quatenus est recta ratio agendorum, proprie est in homine; —vel *virtualiter* : idque continet vel instar causæ principalis, vel instar instrumentalis. Porro, continere virtualiter *instar causæ principalis*, est rem in se habere præstantiori modo quam formaliter, sed cum defectu ; sic Angelus habet prudentiam; eam enim habet sine deliberationis successione, sed non sine limitatione seu defectu. Continere virtualiter *instar causæ instrumentalis*, est rem possidere imperfectiori modo quam formaliter; sic serpens continet prudentiam; hanc enim habet absque ratiocinii perfectione qua præditus est homo. Nota igitur causam virtualem et continere virtualiter non esse

uid idem, nam rationalitas est ausa virtualis respectu virtutis dmirandi quam continet formaler; —vel *eminenter*, et est rem ex e imperfectam absque limitaione possidere. Sic Deus habet rudentiam, nam eam continet bsque ulla limitationis umbra.

Scotistæ præterea continentiam *mitivam* fingunt; atque hæc orum esse dicitur, quæ sunt mum realiter, seu idem identiate reali, distinguuntur tamen ormaliter: sic ens continet quaslam proprietates unitive, quia ontinet unum, verum, bonum, quæ cum ente et invicem reciprocantur, distinguuntur tamen et ab ente et a se invicem formaliter.

CONTINUITAS. Continuitas vulgo dicitur immediata partium in eodem quanto cohærentia. Duplex distinguitur: mathematica nempe et physica. Continuitas *mathematica* est mere fictitia, nam ibi cogitatur esse ubi nullæ sunt partes physicæ seu reales. Continuitas vero *physica* est extensi cujuslibet physici, quatenus illius extrema sunt unum ad sensum, aut quatenus omnes illius partes mutuo implicantur, adeo ut singularum partium extremitates notari nequeant — *Physica* est duplex: *Homogenea*, cum sensus nullarum partium terminos dignoscit; hæcque competit aeri, aquæ, metallis; et *heterogenea*, quando sensus extrema quidem quarumdam partium notat, observat tamen easdem partes arctissime inter se necti ratione vel situs, vel figuræ, etc.; hæc potissimum tribuitur corporibus plantarum et animalium.

CONTRADICTIO. Contradictio est affirmatio et negatio ejusdem de eodem secundum eadem omnia, v. g. Homo non est homo.

CONTRARIA. Contraria dicuntur opposita positiva, quæ sub eodem genere maxime distant, eidemque subjecto susceptibili vicissim insunt, a quo se mutuo expellunt, nisi alterum eorum insit a natura, v. g. calor et frigus.

Contraria sunt vel immediata, seu sine medio, vel mediata, seu medium habentia. Contraria *immediata* circa proprium, naturale et utriusque susceptibile subjectum ita se habent, ut alterutrum eorum ipsi semper ex necessitate subjecti inhæreat; sic sanum et ægrum. Contraria *mediata* sunt inter quæ medium aliquod intercipitur; ideoque necessum non est illorum alterum inesse subjecto capaci. Sic albedo et nigredo.

Contraria mediata dividuntur vel secundum rem vel secundum nomen.

Secundum *nomen*, mediata sunt vel *nominata*, quorum media nomen habent; sic viriditas, rubedo, etc..., sunt media inter albedinem et nigredinem; vel *innominata*, seu quorum media nomine carent, sed per periphrasim, negatione utriusque extremi, definiuntur aut describuntur; ut medium quod est inter bonum et malum, dicitur quod neutrum est, seu indifferens.

Secundum *rem*, mediata sunt duplicia; alia enim habent medium per participationem extremorum, alia per eorum abnegationem. *Medium per participationem extremorum* est forma composita ex extremis, quæque ita ab utroque extremo differt, ut tamen utriusque naturam participet, v. g. tepor relative ad calorem et frigorem; fit enim partim e calore, partim e frigore. *Medium per abnegationem extremorum* est aliqua forma media, non composita ex extremis, sed utriusque negationem obtinens: ita se habent omnes virtutes inter vitia positæ iisque oppositæ,

CONVERSIO. Conversio est inversio propositionis, ita ut, retenta veritate, ex prædicato fiat subjectum, et ex subjecto prædicatum. Dividitur in conversionem simplicem, per accidens, et per contrapositionem. — Conversio *simplex*, seu *universalis*, est mutatio prædicati in subjectum, servata eadem quantitate, id est universalitate aut particularitate. — Conversio per *accidens*, seu *particularis*, est mutatio prædicati in subjectum, variata quantitate, ita ut ex universali propositio fiat particularis.—Conversio per *contrapositionem* est mutatio prædicati in subjectum, mutatis terminis finitis in infinitos (terminus autem infinitus est qui afficitur particula negativa, ut, non homo, non lapis).

CONVERSA. Conversa, scilicet propositio, ea dicitur cujus termini commutantur; quamque, ante conversionem, rectius *convertendam* dixeris.

CONVERTENS. Convertens, scilicet propositio, ea est quæ ex tali terminorum commutatione fit et infertur.

CONVERTENTIA. Convertentia idem est ac reciprocatio.

COPULATE, COPULATIVE. V. *Collective*.

CORRELATUM. Correlatum est illud ad quod tendit relatio, atque tunc vocatur ejus *terminus ad quem*, et simpliciter etiam *terminus*. *Correlatum* autem dicitur quatenus a relatione denominatur, et concrete cum ea consideratur; sicque est subjectum oppositæ relationis : v. g. in relatione *patris*, id, quod pater respicit, est ipsa substantia filii, non autem ipsa relatio filii. Et quemadmodum *relatum* est quod refertur ad aliud, scilicet ad suum correlatum; seu quod in recto casu effertur, ut pater : ita *correlatum* est quod respectum habet ad suum relatum; seu est id ad quod aliud refertur, quodque in obliquo effertur, ut filius, cum dico : *pater est filii pater*. In eo etiam differunt relata et correlata, quod relata dicuntur ea omnia quæ ad aliud referuntur, ut pater et dominus; correlata vero, quæ ad se invicem referuntur, ut dominus et servus.

D

DEFECTUS. Defectus est duplex *privativus*, nempe : carentia perfectionis requisitæ, v. g. in professore philosophiæ, ignorantia artis syllogisticæ; et *negativus*, nempe : carentia perfectionis sibi indebitæ, seu non possessio omnis omnino perfectionis, v. g. in angelo carentia omnipotentiæ, quæ in illo non requiritur.

DEFINITIO. Definitur definitio: oratio explicans naturam rei.

Dividitur 1° in essentialem et descriptivam.

Essentialis est quæ rem explicat per principia ipsam rem constituentia; *descriptiva* est quæ rem explicat per ea quæ sunt ipsi adventitia. — Porro, essentialis est duplex : *Physica*, quæ datur per partes rei physicas (puta materiam et formam); *metaphysica*, quæ datur per partes metaphysicas (puta genus et differentiam). —Descriptiva est triplex : *propria*, quæ rem explicat per suas proprietates; *accidentalis*, quæ notificat rem per quædam accidentia, quæ divisim sumpta conveniunt aliis, conjunctim tamen soli definito congruunt; *causalis*, quæ rem explicat per causas extrinsecas, nempe finalem, exemplarem et efficientem.

Dividitur 2° *in positivam*, quæ fit terminis positivis, ut : homo est animal rationale; et *negativam*, quæ fit terminis negativis,

v. g. : homo non est lapis, non est arbor, etc.

DEMONSTRATIO. Demonstratio est ratiocinatio, procedens ex primo veris, immediate vel mediate; sive est argumentatio ex primo veris, aut iis, quæ per primo vera suæ cognitionis principium sumpserunt. (Primo vera sunt ea quæ non per alia, sed per seipsa fidem habent).

Dividitur 1° in demonstrationem *a priori*, per quam probatur effectus per causam, v. g. admirativum, de homine, per rationale; et hæc definitur: syllogismus constans propositionibus veris, primis, seu immediatis, notioribus, et causis conclusionis; et in demonstrationem *a posteriori*, per quam probatur causa per effectus; v. g. existentia Dei per creaturas; effectus enim necessario deducere potest ad notitiam suæ causæ.

Dividitur 2° in demonstrationem ὅτι seu *quia*, qua probatur causa per effectum, v. g. rationale, per admirativum; aut effectus per causam remotissimam, ut si quis probaret aliquem dare eleemosynam quia vult salvari; et in demonstrationem διότι, seu *propter quid*, quæ sola demonstrationum apicem tenet, quia, ea parta, mens quiescit: offert enim immediatam rei causam.

Dividitur 3° in *perfectam*, quæ vulgo dicitur: syllogismus pariens scientiam ex principiis veris, necessariis, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis; ab aliis vero, quæ constat propositionibus de omni, per se, et universaliter primis; attamen sæpe illa putatur perfecta demonstratio, in qua probatur conclusio per propositiones evidentes et necessarias necessitate metaphysica seu essentiali; et in *imperfectam*, in qua nempe deest aliqua ex conditionibus in perfecta recensitis; vel ea est in qua probatur conclusio per propositiones evidentes et necessarias necessitate physica seu naturali, aut duntaxat morali, cujus adeo certitudo vel est tantum naturalis, vel moralis, id est, quæ potest falli vel fallere, quanquam raro et difficile.

Dividitur : 4° in demonstrationem *ostensivam*, et ea est in qua directe et via naturali demonstratur evidentia conclusionis per præmissarum seu principiorum evidentiam; et in demonstrationem *per impossibile*, in qua indirecte demonstratur veritas principiorum e veritate conclusionis; prior est præstantior.

DEMONSTRATIVE probatur, quod probatur argumento certo; *dialectice*, quod argumento probabili.

DEMONSTRATIVUM. V. *Signum*.

DENOMINATIO. Denominatio active sumpta, actionem denotat, qua nomen rei imponitur; passive autem spectata, uti solet, passio est per quam una res accipit nomen a nomine alterius, propter aliquam relationem unius ad alteram; vel dicitur, vocabulum quo aliquid propter aliquam formam, est appellatum.

Duplex est denominatio : *interior*, ea est quæ forma interiori fundatur, vel quæ a forma intrinseca provenit; sic Paulus denominatur doctus ob doctrinam, qua intrinsecus afficitur; *exterior*, ea est quæ forma exteriori fundatur, vel quæ a forma extrinseca provenit. Sic paries dicitur visus a visione (quæ est extrinseca parieti) quæ circa eum exercetur; Paulus dicitur honoratus, ex honore, qui non est tam in honorato quam in honorante. Hinc :

DENOMINANS est nomen abstractum, vel substantivum, quod significat formam accidentariam a qua subjectum denominatur,

ut albedo, a qua subjectum dicitur album.

DENOMINATIVE unum aliud affici, quod illi aliquam denominationem tribuit; sic albedo afficit parietem, a qua dicitur albus.

DENOMINATIVUM est concretum sive adjectivum accidentarium sumptum, a forma denominante, ut albus ab albedine.—A scholasticis autem, præeunte Aristotele, in antepraedicamentis denominativa dicuntur ea quæ ab aliqua forma nomen habent solo vocis casu diversum, ut a grammatica dicitur Grammaticus : et hoc modo substantia denominatur ab aliis prædicamentis, ut a quantitate, quanta; a qualitate, qualis, etc.

DENOMINATUM est ipsum subjectum sive res, quæ a forma denominatur, ut cycnus, qui denominatur albus ab albedine.

DEPENDENTIA. Dependentia est quædam quasi exigentia, et quidem prœexigentia in τῷ esse.

Dividitur 1° in dependentiam *a priori*, sive causati a sua causa, quæcumque demum illa sit; et in dependentiam *a posteriori*, causæ scilicet ab effectu, vel unionis ab extremis.

Dividitur 2° in dependentiam subjectivam, objectivam, et effectivam. Dependentia *subjectiva* accidentibus propria est, ut qui soli ab alio dependent tanquam a subjecto; dependentia *objectiva* quæ ab aliis *terminativa* dicitur, illis omnibus competit, quæ quacumque ratione terminantur ad aliud, quæque censentur habere potentiam aliquam objectivam; cujusmodi creduntur esse relativa omnia, qua talia. Verum posterior hæc dependentia ab aliis rejicitur, quia non est realis, sed rationis tantum unum ad alterum referentis; dependentia *effectiva*, quæ a nonnullis dicitur *causalitatis* dependentia, singulis entibus, uno excepto Deo, competit : est enim quodlibet illud ens ab alio, puta a Deo, productum. Plures etiam celebrantur causæ, nempe secundæ, quæ rebus aliis aliquale largiuntur esse; eoque nomine ab istis etiam dependent effective, quæ ab iis vel sunt, vel fiunt — Subdividitur 1° in actualem et virtualem. Dependentia *actualis*, est vel subordinatio causarum ad causas realiter a se distinctas; aut causæ, ad causam ejusmodi distinctam, v. g. dependentia quercus a sole, ut glandes producat; vel subordinatio effectus ad causam realiter a se distinctam, v. g. dependentia glandis a quercu; dependentia *virtualis*, est subordinatio vel inter causas a se invicem non realiter distinctas, v. g. dependentia intellectus ab anima ut intelligat, vel inter effectum inseparabilem a causa; v. g. dependentia virtutis admirandi, a rationalitate. — Subdividitur 2° in dependentiam causalitatis et in dependentiam mutuæ connexionis; dependentia *causalitatis*, seu *quoad operari*, est ea, qua una causa exigit consortium alterius, ut influat; v. g. dependentia qua causa materialis eget formali, ut constituat compositum; dependentia *mutuæ connexionis*, seu *quoad esse*, est ea qua unum nequit esse sine alio, et vicissim; estque vel inter realiter distincta, quali dependentia relata, v. g. dicuntur simul natura, puta, dependentia inter duplum et dimidium, vel quali unum identificatur cum alio; v.g. dependentia inter rationalitatem et vim admirandi — Subdividitur 3° in essentialem et in accidentalem. *Essentialis* ea est qua quid ab alio ita dependet, ut impossibile sit ab alio produci, esse, vel operari; v. g. dependentia creaturæ a Deo. *Accidentalis* ea est, qua quid ita ab aliquo accipit esse,

ut saltem divinitus independenter ab isto possit existere, et operari; v. g. Alexander respectu Philippi. — Subdividitur 4° in dependentiam simpliciter, et in dependentiam secundum quid. Dependere *simpliciter*, est accipere ab alio essentiam, saltem numero diversam; sic Alexander pendet a Philippo; non autem Verbum a Patre, cui est consubstantiale; ideo est genitum, non creatum; dependere *secundum quid*, est accipere accidens ab alio; sic aer dependet a sole, a quo accipit lumen.

DESCENSUS. V. *Ascensus*.

DETERMINATIO. Determinatio est propensio in unum potius quam in aliud. Alia est determinatio ad *speciem* seu in *actu primo*, quæ in necessariis est ea qua quid, positis omnibus ad agendum prærequisitis, addictum est producendo effectui, vel actui talis speciei; v. g. determinatio quercus ad glandem; in liberis, est vis electiva, qua quis vult efficaciter effectum, vel actum talis speciei producere potius quam alium; v. g. amare, potius quam odisse.— Alia est determinatio *ad exercitium*, seu *in actu secundo*, quæ est hic et nunc actum vel effectum producere; sic lapis appensus, resecto obice, decidit.—Alia est determinatio ad *individuum*, quæ est hunc numero actum, vel effectum producere, potius quam alium; puta hanc numero glandem quam aliam.— Alia est demum determinatio *ad modum actus*, quæ est, intense vel remisse, lente vel prompte, actum elicere; v. g. amare ardenter vel tepide, vehementer aut languide.

DICI *reciproce* seu *ad convertentiam*, idem est ac reciprocari; —dici *simpliciter*, est dici sine restrictione; v. g. Homo est animal;—dici *secundum quid*, est dici cum restrictione, v. g. Cadaver est animal mortuum.

DICTUM. Dictum in modali propositione dicitur ipsa propositio absoluta; v g. in ista: Paulus nunc scribit, *nunc* est modus, *Paulus scribit*, dictum.

DIFFERENTIA. Differentia generalissime, est id per quod unum ab alio differt; sic filiatio dici potest differentia filii, per ipsam enim a quovis alio differt; late, est id per quod unum differt ab alio vel a seipso, sicque est 1° vel *communis*, seu accidens separabile quo quis differt ab alio vel a seipso; v. g. vigilia qua Petrus differt a seipso, vel ab alio dormiente; vel *propria*, quæ est accidens inseparabile vel quidem divinitus, v. g. risivum ad homine, estque proprium, quarto modo (V. *Proprium*); vel naturaliter, v. g. nigrum a pariete, estque accidens commune; vel est *maxime propria*, seu essentialis (quæ cogitatur adjacere generi, ut proprium toti essentiæ, vel ut accidens toti entitativo, seu integranti); est ea qua unum differt essentialiter ad alio; hæcque, quæ est tertium universale, definitur: unum aptum inesse multis specie vel numero differentibus, ut pars essentiæ minus communis formæ respondens, et de iis prædicari in quale quid univoce, et divisim. V. *Prædicari*.

Est 2° differentia *simplex* vel *complexa*, secundum quod una voce exprimitur, v. g. animatum, vel pluribus effertur vocabulis, v g. impar primum, respectu ternarii.

Est 3° differentia *reciproca*, quæ cum specie convertitur, seu reciprocatur, v. g. sensitivum respectu animalis; vel non *reciproca*, quæ latius patet specie, v. g. bipes, licet enim omnis homo sit bipes, non tamen e converso.

Est 4° differentia *generica*, quæ

constituit essentialiter genus, v. g. sensitivum, animal; *specifica*, quæ constituit speciem infimam. v. g. rationale, hominem; *numerica*, seu *individuatio*. — Differentia essentialis vocatur *divisiva*, *constitutiva*, *distinctiva*, secundum quod dividit genus, constituit speciem, et speciem distinguit a cæteris.

DIMINUTIO. Diminutio in logicis est, cum per additionem fit ut significatio termini ex absoluta fiat secundum quid, ut cum dico : Æthiops est albus secundum dentes.

DISCIPLINA. Disciplina est scientiæ receptio, seu acquisitio, ope magistri. Hæc sæpe scientia dicitur.

DISJUNCTIM. DISJUNCTIVE. *Disjunctim* seu *confuse* seu *indeterminate* sumitur vox communis, quæ sumitur pro aliquo suo significato indeterminato. Sic *oculus* in hac proportione : oculus est necessarius ad videndum. Unde patet quid sit *ascensus disjunctus* seu *confusus*.—*Disjunctive* e contra accipitur pro aliquo vel aliquibus tantum significatis determinatis; seu, ut communius dicitur, disjunctive sumitur vox, cujus significata enumerari debent per disjunctionem *vel* disjungentem integras proportiones. Unde patet quid sit *ascensus disjunctivus* seu *determinatus*. Sed hæc melius infra explicabuntur. V. *Suppositio*.

DISPOSITIO. Dispositio quandoque sumitur pro certa positione partium in loco; v. g. quod quis stet, jaceat, etc., sicque confunditur cum situ.—Sumitur etiam non raro pro præparatione requisita ad aliquid.—Sumitur denique sæpius, et proprie, prout distinguitur ab habitu. — V. *Habitus*.

DISTINCTIO. Distinctio est negatio identitatis.

Dividitur 1° in distinctionem realem et rationis.

Distinctio *realis* est quæ præcedit mentis operam, estque major, vel minor, vel virtualis. Distinctio realis *major* est distinctio rei a re; sic Petrus distinguitur a Paulo; vocatur etiam *absoluta* et a Scotistis *entitative realis*, sive *absolute et stricte realis*;—distinctio realis *minor* est distinctio rei a modo quo afficitur, id est a tenuissimis quibusdam entitatulis, quæ proprie non obtinent nomen rei propter suam exiguitatem, atque adeo dicuntur modi : sic distinguitur linea a sua obliquitate : hæc distinctio solet etiam dici *modalis*;—distinctio *virtualis* seu *minima*, non est tam distinctio quam fundamentum distinctionis; et est in illa re quæ, unica in se, æquivalet pluribus; ideoque præbet fundamentum, ut eam distinctis actibus cognoscamus, diversasque in ea formalitates distinguamus : sic numerus aureus habet quidem unicum valorem, scilicet librarum sex circiter; attamen ille unicus valor æquivalet duplici valori duorum nummorum argenteorum; ideoque illum distinguere possumus in duos valores partiales. Virtualis alia est *impropria* seu *extrinseca*, quæ est unius rei indistinctæ pluribus rebus distinctis æquivalentia, sed non qua distinctis, adeoque non ut prædicata contradictoria verificantibus, et hæc cum fundamento distinctionis rationis ratiocinatæ coincidit; alia est *propria* seu *intrinseca*, quæ est æquivalentia unius rei indistinctæ pluribus rebus distinctis, quatenus distinctis et verificantibus contradictoria prædicata, v. g. animal et rationale hominis, licet sint unum et idem, tamen intrinsecam virtutem et capacitatem habent, ut alterum dicatur et sit

a parte rei simile bruto, alterum non simile, perinde ac si forent duo subjecta realiter distincta. His Scotus adjungit *distinctionem formalem ex natura rei* quæ est, non quidem inter rem et rem, aut rem et modum, sed inter duas formalitates ejusdem rei: ut inter animalitatem et rationalitatem, quarum una ante omnem mentis operationem non sit formaliter altera, neque de intrinseco constitutivo alterius, quamvis utraque non sit nisi unica res; sicuti in lapide triangulari tres anguli sunt unus et idem lapis.

Distinctio *rationis*, est ea quæ non præcedit mentis operam; seu distinctio ejusdem a seipso.

Est-que 1° major, vel minor, vel minima. Distinctio rationis *major* est, dum ratio nostra entitatem virtualiter multiplicem distinguit in varios conceptus perfecte distinctos, quorum unus nullo modo includitur in alio; ut dum distinguimus humanitatem, in animalitatem et rationalitatem; nam conceptus animalitatis nullo modo continet actu conceptum rationalitatis; ideoque attribui potest rebus etiam irrationabilibus; Distinctio rationis *minor* est, cum intellectus eamdem rem distinguit in varios conceptus, quorum unus explicite quidem non continet alium, id est ipsum formaliter non exprimit; implicite tamen ipsum involvit et includit: ut dum distinguimus in ente verum, bonum, et unum; siquidem conceptus boni continetur implicite in conceptu veri, nam omne bonum est verum.—Distinctio rationis *minima* est, dum absque ullo fundamento, ex solo beneplacito, vel ex infirmitate sua, intellectus dividit rem unicam in varios conceptus: ut si quis distinguat vestimentum ab indumento.

Est 2° distinctio rationis alia *ratiocinantis*, seu sine fundamento, quæ propter suam inanitatem, *nugatoria* appellatur, v. g. distinctio Petri a Petro; Petrus enim hic distinguitur a seipso eodem modo spectato; ista dicitur etiam : distinctio rationis *penes implicitum et explicitum*.—Alia *ratiocinatæ*, dicta etiam *virtualis*, et quandoque distinctio *formalis*, quæ est distinctio ejusdem a seipso cum *fundamento*.

Dividitur 2° in *adæquatam* quæ inter totum et totum datur, v. g. inter Petrum et Paulum; et in *inadæquatam*, quæ inter totum et ejus partem datur, v. g. inter corpus et unum ex membris ejus, hæc dicitur etiam distinctio *includentis et inclusi*.

DISTRACTIO. Distractio, in logica, est quando terminus refertur tantum ad aliud tempus, ut cum dico : cæci vident : sensus enim est eos qui de præsenti vident, non quidem jam esse cæcos, cum vident; sed tempore præterito cæcos fuisse.

DISTRIBUTIVE. V. *Sensus, Suppositio. Ascensus.*

DIVISIO. Divisio, generatim, est distributio totius in partes.

Dividitur 1° in *realem* quæ fit independenter a mente, v. g. separatio animæ a corpore; et in *mentalem*, quæ fit dependenter a mente, vocaturque divisio *logica*, v. g. divisio cœli vel terræ in quinque zonas.

Dividitur 2° in divisionem vocis, et in divisionem rei. — Divisio *vocis* est oratio explicans vocis comprehensionem, vel extensionem. Comprehensionem quidem, si vox fuerit ambigua; extensionem vero, si vox fuerit universalis; divisio *rei* est oratio explicans quantum sit illud, quod voce significatur. Subdividitur in actualem, potentialem et accidentalem. — *Actualis* est quæ totum dividit in partes *ex quibus*

actu, seu de facto, constat; et continet *essentialem*, seu qua dividitur in partes essentiales, v. g. genus et differentiam; et *integrantem*, seu qua dividitur in partes integrantes, v. g. partitio corporis humani in caput, truncum, et artus.

Accidentalis est quæ distribuit totum in partes quas *cum se* habet, seu qua vel subjectum dividitur in sua accidentia vel accidens in accidentia. *Potentialis* est quæ distribuit totum potentiale in partes quas *sub se* continet, seu universale in sua particularia. Porro potentialis 1° alia est *universalis*, seu totius universalis in sua inferiora, v. g. divisio animalis in rationale vel irrationale; alia est *causalis* seu causæ in suos effectus, v. g. divisio potentiæ artificis in sua opera. Porro 2° alia est *univoca* quando universale, seu totum potentiale, eodem modo convenit suis inferioribus; alia est *analoga*, quando non eodem modo, sed per quamdam proportionem.

DURATIO. Duratio proprie est permanentia rei in suo esse; et sic definita vocatur duratio *intrinseca*. Motus vero primi mobilis a quo duratio intrinseca mensuratur, scilicet tempus circulationis primi mobilis, quæ perficitur spatio viginti quatuor horarum, dicitur duratio *extrinseca*.

E

EDUCTIO. Eductio dicitur passive de formis substantialibus, quæ de novo producuntur in materia, in qua præfuisse, sed latuisse tamen vulgo dicuntur. Opponitur proprie *creationi*.

EFFECTUS FORMALIS est effectus causæ formalis. Duplex est: *intrinsecus* seu *primarius*, qui est compositum concretum, vel denominatio resultans ex forma unita subjecto capaci; *extrinsecus* seu *secundarius*, qui est quicumque effectus sive positivus, sive negativus, qui ex unione formæ cum subjecto ita resultat, ut adæquate distinguatur a forma, sive ut formæ maneat extrinsecus. Sic caloris quo aqua caletit, effectus intrinsecus est aqua ipsa calida, extrinsecus est v. g. expulsio frigoris.

ELEMENTUM. Elementum philosophice sumptum est id, unde res causatur, non quomodocumque, sed per modum partis intrinsece componentis: et ideo definitur elementum ab Aristotele: id ex quo res componitur primo, et est in ea. Sic litteræ sunt elementa syllabarum, et corpora simplicia sunt elementa mixtorum.

ELENCHUS. Elenchus præcipue denotat argumentum fallax et vitiosum; specie verum quidem apparens, at reipsa decipiens. Dicitur etiam: Syllogismus in quo infertur contradictoria conclusionis concessæ; ita ut qui hanc concessit conclusionem, ejus etiam cogatur contradictoriam admittere. V. *Fallacia*.

EMINENTER. Eminenter idem est ac supra omnem mensuram, supra omnes gradus; quandoque sumitur contradistincte ad *το virtualiter*. Quatenus hoc, de sola creatura dicitur, cum scilicet continet aut possidet rem perfectiori modo, quam formaliter, sed cum defectu; sic Angelus dicitur habere prudentiam virtualiter, cum eam habeat perfectiori modo, quam est in homine, in quo est formaliter; quippe habet eam sine deliberationis successione; sed tamen non habet sine defectu, quandoquidem, in eo est cum limita-

tione. Illud vero nempe *eminenter*, de solo Deo dicitur cum scilicet perfectionem aliquam possidet illimitate et supra omnes gradus; prudentiam puta, etc.— Quandoque *eminenter* sumitur contradistincte ad τo *formaliter*, de quo alibi. Atque tunc quod eminenter continet aliud, duo requirere vulgo dicitur: primo, ut continens sit præstantioris naturæ, quam contentum: secundo, ut id quod minus præstans est, aliquo modo in illo præstantiori reperiatur.

ENS. Ens aliud est 1° *reale*, seu quidquid existit vel existere potest independenter a mente; vel *rationis*, porro ens rationis latissime dicitur quidquid spectat ad rationem. His positis,—Ens reale est 1° vel *actuale* vel *possibile*; 2° vel *per essentiam*, illud nempe quod vi essentiæ suæ habet existentiam, non aliunde communicatam; vel *per participationem*, illud nempe quod habet existentiam aliunde communicatam, et non ab essentia sua. — Ens rationis est vel *effectivum*, quod est effectus a ratione procedens, velut a causa efficiente, v. g. cognitio. Si non repræsentatur ab eadem mente dum fit, id est si non cognoscitur, dicitur *mere effectivum*; vel *subjectivum*, seu quævis forma recepta in mente tanquam in subjecto, v. g. scientia; vel *objectivum*, sive quidquid objicitur menti: estque vel *non purum*, seu quid reale conceptum, v. g. hic vel alter mundus; vel *purum*, seu ens rationis proprie, quod nec est, nec esse potest independenter a mente, v. g. alter Deus, et sic opponitur enti reali.

Ens aliud 2° est *categoricum*, seu quod unius categoriæ, id est prædicamenti, limitibus continetur; vel *transcendens*, seu quod categoriæ limitibus non coarctatur.

ENTELECHIA. V. *Actus*.

ENTITAS. Entitas *proprie* dicitur: multitudo partium dissimilium; cujusmodi est entitas domus, mundi, etc. *Stricte* vero dicitur: multitudo partium similium; cujusmodi est entitas aquæ, caloris, etc. *Late* autem dicitur: quævis realitas; sic dicitur entitas Dei, substantiæ, etc.

ENTITATIVE. Entitative, seu secundum entitatem, dicit omnimodam præcisionem circumstantiarum a re quæ consideratur; adeo ut res dicatur sumi *entitative* quatenus spectatur nude et præcise, secundum id quod habet de se, absque ullo extrinseco.

ENTITATIVUM. Entitativum sumitur in scholis contradistincte ad *possibile*. Hinc sæpius audias peripateticos loquentes de actu *entitativo* quem competere aiunt iis omnibus, quæ jam in rerum natura existunt, seu quæ non sunt nihil; atque huic respondere dicunt potentiam objectivam seu esse rei possibile, nondum extra causas positum.

ENUNTIATIO. Enuntiatio, seu *propositio*, seu *interpretatio*, est oratio enuntians unum de alio: vel: oratio susceptiva veri et falsi.

Enuntiatio alia est 1° *finita*, quæ determinatum quid de subjecto enuntiat: sive cujus subjectum et prædicatum exprimuntur nomine finito, cui scilicet nulla præponitur negatio, ut: homo est bipes, homo non est lapis; vel *infinita*, quæ vel alterius, vel utriusque termini (subjecti puta et prædicati) loco nomen habet infinitum, seu cui negatio præponitur; adeoque indeterminatum quid significat, ut: non-homo est albus, non-homo est non-albus, etc.

Enuntiatio alia est 2° *directa*, quæ secundum alios dicitur ea in qua superius prædicatur de

inferiori, ut: homo est animal; aliis vero dicitur ea in qua subjectum se habet per modum materiæ recipientis, prædicatum vero se habet per modum formæ receptæ, ut: homo est doctus; vel *indirecta*, quæ ab aliis dicitur ea in qua inferius prædicatur de superiori, ut: animal est homo; ab aliis autem dicitur ea, in qua subjectum se habet per modum formæ et prædicatum per modum materiæ, ut: doctus est homo.

Enuntiatio alia est 3° *absoluta* seu *de inesse*, quæ simpliciter enuntiat unum de alio et non exprimit modum quo attributum inest vel non inest subjecto, ut: homo est animal; vel *modalis* quæ exprimit modum quo prædicatum convenit vel non convenit subjecto, utrum necessario vel contingenter, possibiliter vel impossibiliter: unde est quadruplex: *necessaria*, *contingens*, *possibilis* et *impossibilis*. Ad modalem referunt philosophi propositiones exponibiles de quibus infra.

Enuntiatio modalis est: 1° vel *composita modalis*, vel *divisa modalis*, prout modum, quo prædicatum convenit subjecto, exprimit vel adverbialiter, v. g., Petrus est contingenter albus; vel nominaliter, v. g., Petrum esse album est contingens. Hujus distinctionis magni momenti ratio est, quia composita modalis facit sensum compositum, et divisa divisum. V. *Sensus*. — Est 2° vel *modalis de dicto*, in qua totum dictum subjicitur et modus prædicatur, ut: Paulum currere est possibile; vel *modalis de re*, in qua modus in exponitur dicto, ut: Paulum possibile est currere. — V. *Dictum*.

Enuntiatio alia est 4° *de tertio adjacente*, in qua verbum tertio jacet loco, seu fungitur vice copulæ tantum, ut: gratia mea tibi *est*; sufficiens vel *de secundo adjacente*, in qua verbum secundo jacet loco, seu fungitur vice copulæ et attributi, v. g. gratia mea tibi *sufficit;* vel *de primo adjacente*, in qua attributum primo jacet loco, seu cujus verbum fungitur vice subjecti, copulæ et attributi, v. g. *sufficit*.

Enuntiatio alia est 5° *simplex* seu *categorica*, in qua unum de uno tantum affirmatur vel negatur, v. g. Deus est charitas; vel *hypothetica*, seu *complexa*, seu *composita*, in qua vel unum de multis affirmatur aut negatur, vel plura dicuntur de uno, vel plura de pluribus prædicantur.— Enuntiatio complexa alia est *implicite* complexa, ea scilicet in qua complexio latet, vocaturque *exponibilis*, quæ propter aliquam dictionem sensum reddit obscurum, ideoque indiget explicari per aliam clariorem, quæ vocatur *exponens;* et triplex est: *exclusiva*, quæ afficitur particula excludente, ut sunt: duntaxat, tantum, solum; *exceptiva*, quæ afficitur particulis exceptivis, ut sunt: præter, extra; *reduplicativa*, quæ afficitur particulis reduplicantibus, quales sunt: in quantum, formaliter ut, reduplicative ut, ut sic. Alia est *explicite* complexa, seu ea in qua complexionis nota expresse apparet; estque quintuplex: *conditionalis*, *rationalis*, *causalis*, *copulativa*, *disjunctiva*, secundum quod propositio unitur particula vel conditionali, v. g., *si*, vel rationali, v. g., *ergo*, vel causali, v. g., *quia*, vel copulativa, v. g., *et*, vel disjunctiva, v. g., *vel*.

ESSATUM. V. *Esse*.

ESSE. Esse idem est quod essentia, potissimum actualis seu actu existens: hinc dicitur vulgo ultima vel potius prima rei actualitas. Ab esse fit *essatum*, significans id quod est essentia aut natura præditum, affectum alterius virtute.

Esse aliud dicitur *reale*, et est ipsa res vere existens vel rei actualis existentia; aliud *intentionale*, seu *objectivum*, seu *intelligibile*, seu *cognitum*, et est rei species in sensibus et intellectu nostro existens. — Est et aliud esse, quod vocant *esse volitum*, quod non est nisi rerum absentium et futurarum, quatenus hæ fieri decernuntur; concipiuntur igitur res futuræ quasi jam existentes in decreto, aut in mente eas volente.

Esse primum rei, *ultimum esse rei*, *primum non esse rei*, *ultimum non esse rei*, V. *Instans*.

ESSENTIA. Essentia rei duplici significatione sumitur. Prima est cum notat omnem entis essentialem perfectionem, adeoque entitatem cum attributis intrinsecis seu essentialibus et necessariis simul sumptam et sic definitur: *totum* illud per quod res est, et est id quod est. Hanc moderni vocant *essentiam physicam*. Secunda est quæ attributum rei notat ex omnibus præcipuum et intimum; quodque tali rei omni, soli, semper, et ita convenit, ut nihil eo prius mens attenta percipere possit; et definitur: quid *primum* in re, radix omnium illius proprietatum; hanc moderni vocant essentiam *metaphysicam*.

EVIDENTIA. Evidentia duplex est: alia *objectiva*, et est objecti ipsius claritas et perspicuitas, seu ipsum objectum quod ex se tale est ut clare et distincte naturaliter cognosci possit. Potest autem aliquod objectum clare cognosci vel *immediate*, ex sola videlicet terminorum propositionis explicatione; vel *mediate*, id est, clare et distincte attingi potest per medium aliquod. Alia *formalis*, et est ipse actus intellectus, quatenus clarus est et distinctus; atque hæc iterum vel est *immediata*, qualis est in axiomatibus; vel est *mediata*, quæ medium aliquod postulat, quod attributum cum subjecto propositionis conciliet.

EX SE. Ex se sæpe idem est, quod *ex natura sua*, *ex naturali sua constitutione*, *conditione*, etc.; sic aiunt: Materia *ex se* est informis. — Ex se interdum significat *a se*, seu *a principio interno*: sic vulgo corpus naturale dicitur mobile ex se, hoc est, habet motus sui principium internum.—Ex se etiam sumi solet pro reduplicatione, adeo ut significet *qua tale*, aut *ratione sui*: sic corpus dicitur ex se dividuum, id est, qua corpus, quia sic est extensum, habetque partes ex se invicem positas in quas dividi potest. — Ex se quandoque etiam præcisionem seu abstractionem notat: sic natura humana ex se potest prædicari de Petro, Paulo, etc., hoc est, abstracte considerata, præcisa a conditionibus individuantibus.

EXEMPLAR. Exemplar, seu *causa exemplaris*, (hæc duo non differunt, nisi in hoc quod *exemplar* dicitur relative ad agens, *causa* vero *exemplaris* relative ad effectum,) est forma quam effectus imitatur ex intentione agentis, v. g. statua S. Pauli.

Exemplar est, vel *naturale*, seu forma quam effectus imitatur ex intentione agentis ad unum determinati, v. g. *ignis producens*, respectu ignis producti; vel *dianoëticum*, seu *intellectuale*, et est forma quam effectus imitatur ex intentione agentis sibi determinantis finem. Estque vel *externum*, quod est extra opificem, v. g. characteres in charta descripti quos tyro imitari conatur, vel *internum*, quod est intra opificem, v. g. idea domus in mente architecti.

EXEMPLATUM. Exemplatum est res quæ fit juxta exemplar.

EXERCITUS *actus*. V. *Signatus*.

EXPOSITIO. Expositio, sive *syllogismus expositorius*, *seu sensibilis demonstratio*, est, cum sub medio syllogismi communis assumitur aliquid singulare, cui attribuendo utrumque conclusionis extremum, eamdem quam in syllogismo imperfecto, inferimus conclusionem, v. g. in hoc syllogismo: omnis homo est animal, omnis homo est corpus; ergo aliquod corpus est animal, si pro voce *homo* ponatur Petrus, tunc idem concluditur, et adest expositio. Unde expositio locum tantum obtinet in syllogismis quorum conclusio est particularis, nam ex medio singulari non potest inferri conclusio universalis.

EXTREMA. Extrema in *syllogismo* sunt duo conclusionis termini extremi, prædicatum scilicet et subjectum; prædicatum vocatur *majus extremum*, et subjectum vocatur *minus extremum*.

F

FALLACIA. Fallacia idem est ac sophisma.

Alia est *in dictione*, argumentatio scilicet captiosa, quæ ratione dictionis seu verborum apparentiæ causam habet, et est sextuplex:—*æquivocationis*, dum quis in argumento utitur voce æquivoca; — *amphiboliæ*, seu *amphibologiæ*, quando oratio habens duplicem sensum aliter sumitur in majori propositione, aliter in minori; ut cum dico: Quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; atqui hæc logica est *Aristotelis*, ergo possidetur ab Aristotele;—*compositionis vel divisionis*, seu *sensus compositi aut divisi*, dum quis arguit a sensu composito ad divisum, vel e contra: ut si dicas: Qui habet potentiam ambulandi, potest de facto ambulare; sed Petrus sedendo habet potentiam ambulandi, ergo sedendo potest ambulare;—*accentus*, quando scilicet ob accentus aut pronuntiationis varietatem deceptio contingit:—*dictionis* seu *figura dictionis*, dum ab uno genere ad aliud fit transitus, ut: omne corpus visibile est coloratum: sed paries est visibilis, ergo paries est coloratum; nam ibi variatur genus masculinum in neutrum.

Alia est *extra dictionem*, seu quæ ex parte rerum per verba significatarum causam habet apparentiæ, et sextuplex est: — fallacia *accidentis*, seu *prædicati*, quando scilicet id quod accidentaliter tantum competit attributo, tribuitur subjecto, seu quando prædicatum variat suppositionem, ut si quis dicat: Risibile est proprietas, atqui homo est risibilis, ergo homo est proprietas;—*dicti secundum quid, et simpliciter*, dum scilicet quis arguit ab eo quod simpliciter verum est, ad secundum quid, vel e contra;—*contradictionis* seu *ignorationis elenchi*, est enim elenchus syllogismus inferens contradictorium ejus quod admissum est; unde quando non infertur verum contradictorium, sed tantum apparens, tunc dicitur fallacia ignorationis elenchi, ut si dicas: Major es Petro et minor Paulo, ergo es major et minor, ergo in te contradictio est; — *petitionis principii*, cum scilicet quis aut arguendo aut respondendo assumit conclusionem probandam pro medio vel solutione;—*consequentis* quando quis arguit conversim in his quæ non convertuntur, ut: si est homo, est animal; ergo si non est homo, non animal;— *non causæ ut causæ*,

quando scilicet quis tribuit effectum ei a quo non causatur, ut: inebriari est malum : sed vinum inebriat, ergo vinum est malum;— *interrogationis*, dum quis de oppositis simul unam pro utroque responsionem elicit, ut si quis ita quærat: virtus et iniquitas estne bona? si enim respondeatur, bona; inferet: ergo iniquitas est bona; et si respondeatur, mala; inferet: ergo virtus est mala.

FALSITAS. Falsitas alia est 1° vel rei, vel signi. *Falsitas rei* est hujus difformitas cum principiis ejus cujus speciem præ se fert; v. g. hæresis. *Falsitas signi* est difformitas signi cum re significata; v. g. si quis dicat duos esse soles.

Falsitas alia est 2° formalis, vel objectiva. *Formalis* est actus intellectus repræsentans rem aliter quam est; estque ideo nihil aliud quam enuntiatio falsa, aut falsum de re aliqua judicium. *Objectiva* vulgo dicitur objectum actus aut judicii falsi, vel ipsæ enuntiationes falsæ, atque ideo est illud quod cognoscitur aut cognosci potest aliter quam est.

Falsitas alia est 3° entitativa, vel transcendentalis. *Entitativa* tribui solet enti quod apparet id quod non est, atque sic fundat probabiliter cognitionem falsam sui; sic aurichalcum est falsum entitative, eo quod apparet aurum; *transcendentalis* seu *metaphysica* est omnimoda cum essentia ipsamet et essentialibus repugnantia; quæ nequidem concipi potest et opponitur veritati transcendentali.

FIGURA. Figura syllogistica est terminorum dispositio, seu apta dispositio medii cum extremis ad concludendum, estque triplex: *Prima*, in qua medium est subjectum in majori, et prædicatum in minori; *secunda*, in qua medium in utraque præmissarum est prædicatum; *tertia*, in qua medium est subjectum in utraque præmissarum. Alii addunt *quartam*, in qua scilicet medium est in majori prædicatum, et subjectum in minori; hæc vocatur figura *Galeni*.

FINIS. Finis, seu *causa finalis*, est id cujus gratia aliquid fit.

Alius est 1° *operantis*, seu quem sibi proponit agens ut agat; vel *operis* seu *physicus*, seu id ad quem opus natura sua tendit.

Alius est 2° *proximus*, seu qui immediate obtinetur; vel *remotus*, seu qui, alio mediante, obtinetur.

Alius est 3° *cui*, seu subjectum in cujus commodum cedit aliquod bonum; vel *cujus*, et est bonum quod volumus.

Alius est 4° *qui*, seu *objectivus*, et est res quam volumus; vel *quo* seu *formalis*, et est actus quo possidemus rem volitam.

Alius est 5° *intermedius*, seu *subalternus* cujus gratia fit aliquid, et qui est propter aliud; vel *ultimus*, seu *summus* ad quem cætera referuntur, nec ipse tendit ulterius; estque ultimus 1° vel *secundum quid*, ad quem omnia in *aliquo* genere referuntur, v. g. sanitas in medicina; vel *simpliciter* seu *omni* genere, vocaturque beatitudo; 2° ultimus *materialiter*, estque res determinata cui convenit ratio finis ultimi, v. g. honor respectu ambitiosi. A quibusdam etiam vocatur *beatitudo distincta* et in particulari; vel *formaliter*, estque forma per quam res constituitur in ratione finis ultimi; vocaturque a quibusdam *beatitudo in confuso* et *in communi*; sicque definitur satietas appetitus orta e carientia omnis mali et sufficientia omnis boni.

FORMA. Forma generalissime sumpta est id quod dat *esse*, seu id quo res est id quod est; voca-

tur etiam εντελεχεια, *actus*, *species*, seu *idea*.

Est 1° vel *extrinseca*, quæ scilicet vel dat esse extrinsece et moveri, v. g. Deus creaturis; aut moveri tantum, v. g. nauta navi: et hæc vocatur *assistens*; vel determinat agens ad certum effectum, v. g. vultus regis ad sui ipsius imaginem, et hæc vocatur causa *exemplaris* relative ad effectum, *exemplar* vero relative ad agens; vel *intrinseca* seu *constitutiva*, ea scilicet quæ rem in suo esse constituit, ut anima rationalis est forma intrinseca hominis qui per eam in esse humano constituitur.

Est 2° vel *subsistens*, ea scilicet quæ per se subsistit, absque eo quod sit in aliquo subjecto: sic Angeli sunt formæ subsistentes; formæ quidem quia determinantur ad specialem essendi modum; subsistentes vero, quia non recipiuntur in aliqua materia; vel *informans*, quæ in aliquo subjecto recipitur, ut: forma equi quæ recipitur in ejus materia.

Forma *informans* dividitur in *substantialem*, quæ constituit substantiam in suo esse, seu quæ dat esse simpliciter, id est, primum esse quod nullum aliud supponit: sic anima equi tribuit ipsi esse substantiale, ipsumque in rerum natura primum constituit; vel *accidentalem*, quæ supervenit rei jam in suo esse substantiali constitutæ, ipsique tribuit aliquod esse secundum quid, id est secundarium, ut fortitudo et velocitas sunt formæ accidentales equi.

Forma *metaphysica* nihil aliud est quam differentia specifica.

Forma *syllogistica* est dispositio terminorum, vel propositionum ad concludendum idonea. Illa vocatur figura syllogistica; hæc modus syllogisticus.

FORMALIS. Vox illa, logice aut metaphysice sumpta, dicitur de eo omni quod aliqualem habet rationem formæ sive essentialis sive accidentalis, saltem in conceptu nostro. Sic sæpius audias philosophos loquentes de objecto formali scientiæ, de ratione formali alicujus rei, etc.

Formalis causa est ea per quam res est id quod est, et a cæteris distinguitur. Non distinguitur a forma ut sic, nisi quia causa formalis dicitur respectu effectus, forma vero ratione subjecti; sic anima rationalis est causa formalis respective ad hominem: ei quippe dat esse; forma autem per ordinem ad corpus humanum, in eo quippe recipitur.

FORMALITAS. Fc[illegible] in genere dicitur omni[illegible]o seu notio qua concipitur aliquid; vel est ratio quælibet in objecto, quatenus dicit habitudinem ad actum intellectus, per quem potest præscindi ab alia.

Formalitates metaphysicæ idem sunt ac gradus *metaphysici*.

FORMALITER. Formaliter præsertim dicitur 1° prout opponitur ei quod alicui est virtualiter vel eminenter, de quo V. *Continere*; 2° prout idem est ac essentialiter; sic animalitas inest formaliter homini, quia ipsi inest essentialiter; essentia quippe est forma totius; 3° prout idem est quod secundum formam spectari; sic album formaliter, est ipsum secundum formam, puta penes albedinem, consideratum; et sic æquivalet τῳ *ut sic*, *reduplicative*, etc.

FUTURITIO. Futuritio est id per quod res est futura, ut futura; unde definitur: Existentia alicujus rei in tempore aliquo sequenti, connotando negationem existentiæ in instanti præsenti.

G

GENUS. Genus, logice sumptum, est primum universalium; definitur unum aptum inesse multis specie differentibus et prædicari de illis in quid incomplete; id est per modum prædicati essentialis substantive enuntiati, et totam essentiam non explicantis.

Genus aliud est 1° *supremum*, seu *summum*, seu *generalissimum*, quod ita genus est ut nequeat esse species, seu quod supremum in sua classe et categoria locum tenet, ita ut nihil sit quod eo aut superius aut communius esse queat; vel *subalternum*, seu *interjectum*, seu *intermedium*, quod inter genus summum et speciem infimam interjectum, modo generis, modo speciei subit rationem.

Genus aliud est 2° vel *proximum*, seu quod immediate de speciebus potest prædicari; vel *remotum*, quod alio mediante potest prædicari

GRADATIO. Gradatio idem est ac *sorites*.

GRADUS METAPHYSICI. Gradus *metaphysici* seu gradus *essentiales*, seu *formalitates metaphysicæ*, sic vocantur quia complectuntur attributa rerum essentialia, eo ordine disposita, ut alia sint suprema, alia media, alia infima; qualia exhibentur in arbore porphyriana. V. *Arbor porphyriana.*

H

HABITUDO. Habitudo est entitas qua aliquid est ad aliquid. Hinc oritur phrasis *se habere*. Hinc etiam intelligitur distinctionis sensus : *quoad entitatem*, *quoad habitudinem*. Quando spectatur in re essentia, tunc res consideratur quoad entitatem; quando spectatur relatio, potentia, seu capacitas ad aliquid, tunc consideratur quoad habitudinem. — Habitudo alia est entis quasi quiescens et stans, quæ dicitur *respectus*; respicere enim est se ad aliquid habere ratione situs, itemque ratione emissæ et receptæ similitudinis seu imaginis. Alia est entis, quasi se movens et fluens, quæ dicitur *relatio*; referri enim est se habere ad aliquid ratione motus, quasi tendere ad aliquid. Alia est entis, id quasi terminans et figurans quasi perficiens et complens; hæcque vulgo vocatur *modus*.

HABITUS. Habitus *qualitativus* qui vulgo dicitur primæ speciei qualitas, est qualitas *difficile mobilis*, determinans subjectum ad bene vel male se habendum secundum se vel ad operationem; sicque contradistincte secernitur a dispositione, quæ est qualitas *facile mobilis* determinans subjectum ad bene vel, etc. — Unde habitus (et idem dicendum de dispositione) dividitur in *entitativum* et *operativum* : seu in eum qui determinat ad bene vel male essendum, et eum qui determinat ad bene vel male operandum.

HYPOTHETICA PROPOSITIO. V. *Enuntiatio.*

HYPOSTASIS. V. *Substantia.*

I

IDEATUM. Ideatum est vi ideæ productum, seu est ideæ effectum; hinc scholasticis solemne est dicere : idea est exemplar ad quod agens per intellectum respiciens producit *ideatum*.

IDENTICE *prædicari.* — *Identice inesse*. V. infra verba *Prædicari* et *Inesse.*

IDENTIFICARI. Identificari cum aliquo est esse quid unum et idem, seu unam eamdemque entitatem obtinere cum eo : sic in mente humana intellectus et humana voluntas identificantur.

IDENTITAS. Identitas est quasi eadem entitas. Duplex est : *realis* seu *physica*, est quæ independenter ab operatione mentis rebus convenit, ut ea quæ convenit attributis Dei ; *logica*, seu *rationis*, seu potius similitudo, est quæ a mentis quodam actu procedit, vel in actu isto consistit ; v. g. quando eamdem Pauli et Petri concipimus naturam, quamvis habeant naturam realiter distinctam.—Identitas etiam alia est *numerica*, alia *specifica*, alia *generica*. V. *Unitas*.

IGNORANTIA. Ignorantia apud logicos duplex est : puræ scilicet negationis, et pravæ dispositionis. Ignorantia *puræ negationis* est nescientia. Ignorantia *pravæ dispositionis* est error.

ILLATIO. Illatio idem est ac conclusio.

ILLATIVUS. Illativus syllogismus dicitur ille qui solius formæ vi concludit.

IMMEDIATIO. Immediatio est vel contactus, vel indistantia aut præsentia. Duplex est : *suppositi* scilicet et *virtutis*. V. *Contactus*.

IMMORTALITAS. Immortalitas duplex est : ab *intrinseco* scilicet et ab *extrinseco*. Prima idem est ac incorruptibilitas, secunda idem est ac annihilationis impossibilitas.

IMPERFECTIO. Imperfectio duplex est : *negativa*, qua res dicitur imperfecta in collatione cum aliis, seu qua ens ea destituitur perfectione, cujus non est capax ; vocatur etiam *comparata* et *respectiva*; *privativa*, qua res caret perfectione sibi debita, et cujus per naturam est capax.

IMPLICARE. Aliquando idem est ac includere : aliquando idem ac contradicere.

IMPOSITIO. V. *Terminus*.

IMPRESCINDIBILE. Imprescindibilis est res de qua non potest fieri præcisio seu abstractio. V. *Abstractio*.

INCOMPLETUM. Incompletum dicitur quandoque de *parte una* seorsim sumpta : quo modo corpus humanum et mens, sigillatim si sumantur, incompleta dicuntur; atque sic, incompletum idem est quod pars. Incompletum etiam tribuitur *toti*; idque vel in fieri vel in facto esse. Incompletum *in fieri* dicitur totum, quatenus ipsi adhuc quædam partes sunt adjungendæ : ita incompletus est tractatus, cui nondum extrema manus est addita; estque sic idem quod inchoatum. Incompletum *in facto esse* dicitur totum cui partes quædam desunt per privationem, quæ adesse debebant. Atque ita idem est quod mutilum, defectuosum, etc.

INCOMPLEXUM. V. *Complexum*.

INDIVIDUATIO. Individuatio vel sumitur *active*, et sic est actio qua res fit singularis seu individua; vel sumitur *inactive*, et est rei singularitas ipsamet, quam Scotistæ vocant *hæcceitatem*, vel *ecceitatem*, id est in quo unum quodque dicitur *hoc* aut *hæc* res ; vel quo fit ut dici queat : *Ecce* ista res.

INDIVIDUUM. Individuum duobus modis spectari potest, vel *primo intentionaliter*, id est secundum ea quæ ex natura rei illi conveniunt; vel *secundo intentionaliter*, id est quatenus subjicitur intellectus conceptui, qui secunda intentio vocari solet : sicut enim in natura specifica homo, taurus, etc., sunt nomina primæ intentionis; et species, universale, prædicabile, nomina secundæ : ita in natura individuali, Plato, Socrates, hic ho-

mo, etc., sunt nomina primæ intentionis : at vero individuum, singulare, particulare et similia, sunt nomina secundæ. Hoc posito, dico :

Individuum spectatum primo intentionaliter definitur : quod constat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in aliquo alio eadem esse potest. Proprietates autem quæ simul sumptæ constituunt individuum, hoc versu comprehendi solent :

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

Individuum spectatum secundo intentionaliter definitur : quod de uno tantum definitur, seu quod ultimo subjicitur speciei.

Individui variæ sunt divisiones, inter quas præcipua hæc eminet : scilicet in certum seu *determinatum*, et *vagum* seu incertum seu *indeterminatum*. — Individuum *certum* illud dicitur, cujus certa est significatio : et hoc triplex est : nempe : *signatum*, seu ex propria appellatione, v. g. Socrates : *demonstrativum*, quando per pronomen demonstrativum, ut, hic homo : *per periphrasim designatum*, ut Sophronici filius, supposito quod alium non generet : quod etiam vocatur individuum *ex hypothesi*, seu *ex suppositione*. Individuum *vagum* illud dicitur cujus incerta est significatio, v. g. aliquis homo. Hoc enim ex vi modi significandi non magis denotat Petrum quam Paulum.

INDIVISIBILE. Indivisibile *absolute*, seu *simpliciter*, illud est quod non habet partes in quas possit dividi, et sic est ens simplex. Indivisibile *secundum quid* est quod, etsi partibus constet, in quas dividi potest, non tamen ita potest dividi ut idem maneat : quo modo mensura et numerus dicuntur indivisibiles ; si enim a numero ternario, v. g. aliquid tollatur, non erit amplius ternarius.

INESSE. Inesse *identice* est unum alteri identificari, seu esse unum et idem cum ipso, vel ratione sui, cum duo sunt una eademque entitas : sicut animalitas et rationalitas sunt una eademque humanitas ; vel ratione subjecti, quæ scilicet habent idem subjectum; sic albedo et dulcedo in lacte identificantur.

INEXISTENTIA. Inexistentia est existentia unius in alio, quæ duplici modo contingere potest : formaliter scilicet, et objective. Illud dicitur inexistere *formaliter* seu inesse alteri, quod per suam realem entitatem ibi reperitur ; sic cognitio formaliter est in intellectu. Illud dicitur inexistere *objective*, quod inest tantum per modum objecti cogniti, et per imaginem suam ; sic res cognita est objective in intellectu.

INFINITUM. Infinitum est quod caret termino; seu ex quo secundum quantitatem (molis vel virtutis) accipientibus, remanet semper aliquid accipiendum extra id quod sumitur. — Infinitum est duplex : categorematicum scilicet et syncategorematicum.

Infinitum categorematicum est illud quod secundum id quod in se actu continet, termino caret. Hocque est infinitum, vel *per essentiam*, seu *simpliciter*, seu *extra genus*, seu *in perfectione*, seu *in omni genere*, quod sine defectu possidet actu omnium perfectionum genera, v. g. solus Deus ; vel *per participationem*, seu *secundum quid*, seu *in aliquo genere*, quod actu continet in se omnes alicujus generis perfectiones.

Infinitum syncategorematicum, seu *infinitum potentia* est id quod nequit unquam suæ infinitatis habere complementum, v. g. om-

nis creatura, quia Deus semper potest ei perfectiones addere, at nunquam potest evadere actu infinita. Estque infinitum vel *per detractionem*, a quo indifferenter potest aliquid detrahi, quin ad finem detractionis seu divisionis accedi possit; et hoc vocatur *infinitum secundum minimum;* vel per additionem, scilicet cui aliquid semper potest adjici, quin ad finem deveniatur; et hoc vocatur *infinitum secundum maximum*.

INFORMATIVE. V. *Adhæsive*.

INHŒSIVE. V. *Adhæsive*.

INSTANS. Instantia sunt indivisibilia temporis. Instantia autem sunt duplicis generis : *continuativa* et *terminativa*, secundum quod tempus continuant aut terminant. Instantia autem terminativa dupliciter se habere possunt ad rem incipientem et desinentem, scilicet intrinsece et extrinsece : si enim illa res quæ incipit aut desinit, salvetur secundum suam essentiam in instantibus illis terminativis, talia instantia dicuntur *intrinseca*, eo quod res sit intra ipsa : si vero talis res non sit secundum essentiam suam in instanti terminanti ejus inceptionem aut desitionem, sed totum fuerit toto tempore præcedenti illud instans, vel futura sit toto tempore sequenti, tunc tale instans, sive inceptionis sive desitionis, vocatur *extrinsecum;* eo quod ita incipiat vel finiat rem, ut tamen res non sit in illo; sed solum in toto tempore vel sequenti, si res incipiat, vel præcedenti, si res desinat. — Instans ergo inceptionis duplex est : *intrinsecum*, id est; in quo jamjam res primo est, vocatur *primum esse rei*, eo quod res sit in illo primo, cum non esset toto tempore præcedenti; *extrinsecum*, dictum *ultimum non esse rei*, eo quod res in illo quidem nondum sit, sed toto tempore sequenti post illud instans futura sit. Instans desitionis pariter duplex est : *intrinsecum*, dictum *ultimum esse rei*, quia in illo quidem res adhuc salvatur, sed ultimo, ita ut tempore sequenti amplius non existat; *extrinsecum*, dictum *primum non esse rei*, quia res in illo quidem amplius non est, sed primo, quia toto tempore præcedenti illud instans existebat, sed in illo instanti incipit primo non existere.

INSTRUMENTUM. V. *Causa*.

INTELLECTIO. V. *Cognitio*.

INTELLECTIVUS. In genere hoc verbum dicitur de omni intelligente; specialiter vero sumitur ad designandum ens quod intelligit sine discursu.

INTELLECTUS. Intellectus est potentia spiritualis cognoscitiva veri, seu intelligibilis quatenus intelligibile est. In homine duplex est intellectus : intellectus *agens*, ille scilicet qui species rerum a phantasmatibus abstrahit, et dicitur : facultas animæ rationalis per quam ad præsentiam phantasmatum, rerum cognoscendarum fabricantur imagines et species impressæ; scilicet intellectus, quia penitus a materia segregatus, ideo a phantasmatibus corporis adeo improportionatis ad parturiendam cognitionem fecundari non potest : unde proportionatas sibi species proprio marte elaborare tenetur; irradiando phantasmata reddit ea intelligibilia, efficiendo ut ex ipsis resultent species; quamobrem dicitur agens. Intellectus *patiens passibilis*, seu *possibilis*, est is qui imagines ab intellectu elaboratas recipit, et cum ipsis verbum concipit internum, seu vere intelligit. Unde patet non dici patientem quasi non agat, sed quia species intellectuales ab agente productas recipit suo sinu, qui-

bus fœcundatus concipit et parturit ideam.

INTENTIO. Intentio logicis idem est quod notio seu conceptus. V. *Conceptus*.

INTENTIONALE ESSE. V. *Esse*.

INTENTIONALITER. *Intentionaliter primo* res sumitur prout in se est a parte rei, et non vestita quasi aut affecta intentione aliqua aut cognitione et cogitatione intellectus nostri : ideoque tunc convenit rei aliquid *primo intentionaliter*, quando non convenit propter actum aliquem et cognitionem intellectus circa illam exercitam ; sic quando dico : Lapis est durus, τo lapis sumitur primo intentionaliter. — *Intentionaliter secundo* res sumitur quando simul cum cognitione accipitur ; et tota ratio quare prædicatum, quod illi subjecto cognito tunc tribuitur, conveniat subjecto, est quia subjectum illud præcessit aliqua intellectus actio : v. g quando dico : Homo est species, τo homo accipitur intentionaliter secundo.

INTRANEITAS. Intraneitas sumitur vel 1° ut id per quod res constituitur in ratione intrinseci, vel 2° prout idem est ac essen ia.

INTRANSITIVE. Intransitive usurpatur ubi de distinctione agitur. Aliquid autem *intransitive* distinctum dicitur, quando illi nova virtus dicitur convenire ratione alterius, ad quod ex natura ordinatum consideratur ; quæ virtus in re est idem cum illo altero, sed tamen concipitur tanquam distinctum quid. Sic homo, sub ratione animalis, non est discursivus ; interim rationale, sub quo est discursivus, non est transitive distinctum ab homine. Differentia etiam constitutiva a sua specie intransitive tantum distincta est. — Unde intransitive distinctum idem est *ac realiter non distinctum*. — Unde *intransitive* sumitur vox, quæ non significat aliquid distinctum ab eo, cui tribuitur Sic vox *virtus*, quando dico : Virtus pietatis. *Transitive* vero, qui significat aliquid distinctum ab eo cui tribuitur; sic vox *virtus*, si dicam : Virtus Petri. — Accipitur etiam cum agitur de communicatione, v. g. cum dicitur communicationem rei et alterius fieri intransitive, id est proprietate alterius naturæ in alteram non transeunte ; unde verbum (v. g. sto) intransitivum est illud cuius actio non transit in aliud ; et illi opponitur transitivum, scilicet *activum*, v. g. amo.

INTRINSECUM. Intrinsecum designat vel 1° quod est alicui essentiale ; vel 2° quod intra subjectum continetur, vel habetur ad intra, ut locatum ratione loci ; vel 3° illud quod subjecto inhæret, eique infixum est, tanquam substrato : quo sensu accidentia subjecto sunt intrinseca.

J

JUDICIUM. Judicium est actus mentis quo unum affirmat vel negat de alio. Unde propositio nihil aliud est quam enuntiatio judicii. Ergo V. *Enuntiatio*.

L

LOCUS. Locus apud logicos est sedes argumenti seu promptuarium e quo argumenta eruuntur, et vocatur *locus topicus* seu *dialecticus*. Est 1° *inartificialis*, qui est locus testimonii sive divini sive humani ; v. g. Scriptura sacra et traditio ; *artificialis*, et est locus rationis, v. g. axiomata. — Est 2° vel *maxima* seu propositio e cujus *comprehensione* plures eliciuntur, v. g. hæc : simile simili

gaudet : vel *differentia maxima*, seu vox indicans differentiam maximæ e qua educitur argumentum, v. g. hæc vox : a simili, a contrario, etc. Unde argumentum e differentia maximæ educitur quoties conclusio non includitur in comprehensione maximæ.

Locus apud physicos duplex est : *externus* scilicet seu *extrinsecus*, qui est superficies concava corporis locatum circumscribentis; *intrinsecus*, seu *internus*, qui est spatium corpore repletum, et a locato occupatum intervallum. — Locus autem extrinsecus est *mediatus* vel *immediatus*, prout mediate vel immediate superficies, quæ dicitur locus, continet corpus : sic superficies vasis aquæ est locus aquæ extrinsecus et immediatus, quia nihil inter superficiem et aquam intercedit; urbs vero est civium locus mediatus; intercedit enim inter cives et ambitum urbis.

LOGICA. Logica est scientia sermonis et rationis directiva, seu habitus mentis quo intellectus operationes diriguntur in ordine ad verum cognoscendum et exprimendum. Ut rationis directiva vocatur *rationalis*; ut sermonis directiva dicitur *vocalis*. — Celebris est apud philosophos logicæ divisio in utentem et docentem. Vocatur logica *docens*, quatenus tradit præcepta definiendi, dividendi et argumentandi; *utens* vero, quatenus definitiones, divisiones et argumentationes conficit juxta præcepta a docente tradita. Logica docens potest duobus modis considerari : vel in actu primo, vel in actu secundo. Logica docens *in actu primo*, est ipse habitus logicæ quo intellectus habet internam facilitatem ad tradendas regulas artificiosas, quæ in constructione definitionis, etc., observandæ sunt. Logica vero docens *in actu secundo*, est operatio ab illo habitu elicita, qua de facto dirigimur ad recte difiniendum, etc. Unde logica docens actualis non est miscenda cum logica utente, cum hæc sit operatio ab illa regulata, ac proinde ab illa distincta.

LY. Ly, defectu articuli latini, est a scholasticis assumptum ut articulus demonstrativus, et æquivalet verbo græco τo : unde aliquando cadit in terminum ut terminum, aliquando vero in ideam a termino significatam, v. g. ly *esse* gallice significat vel *le mot* esse, vel *le etre*.

M

MALIGNANTIS NATURÆ. Malignantis naturæ dicitur esse enuntiatio seu propositio negativa.

MATERIA. Materia generatim est illud in quo recipitur vel ex quo fit, aut circa quod aliquid versatur.

Materia alia est 1° *in qua*, quæ et simpliciter subjectum appellatur et est ea in qua forma recipitur, v. g. voluntas respectu justitiæ; vel *circa quam* et nihil aliud est quam objectum; vel *ex qua*, illud nempe ex quo aliquid efficitur, ut lapis respectu domus. — Porro materia ex qua est 1° *prima*, quæ est subjectum omnium formarum expers, et ad eas indifferens. Attamen a peripateticis intelligitur principaliter de subjecto omnium formarum naturalium experte et ad eas indifferente, et sic definitur ab eis : Primum uniuscujusque rei subjectum, ex quo inexistenti omnes res naturales fiunt; seu, quod idem est : materia est primum subjectum ex quo cum insit, aliquid fit primo, et non secundum

accidens. Vel *secunda*, seu jam affecta aliqua forma per quam determinatur ad hoc vel illud esse, et ut sic cum aliis elementis aliam formam induere potest. Materia ex qua est 2° vel *compositionis* (quæ et simpliciter materia appelatur), et est ea ex qua aliquid componitur, v. g. corpus humanum ex quo componitur homo; vel *eductionis*, et est ea ex qua forma educitur, v. g. marmor ex qua eruitur figura. Corpus humanum ergo est causa compositionis hominis, sed non eductionis, quia anima de illo non educitur.

Materia alia est 2° *individualis*, et sunt ipsa individua, v. g. Petrus, Paulus, hæc planta, hæc albedo. *Sensibilis*, seu affecta qualitate sensibili, v. g. homo, quatenus videlicet est calidus, humidus, etc. *Intelligibilis*, quæ est partium divisibilitas; v. g. materia circuli geometrice considerati; circulus enim a geometria spectatur ut est divisibilis, non ut sensibilis. *Metaphysica*, quæ est rei perfectibilitas, seu capacitas recipiendæ perfectionis; v. g. capacitas beatitudinis in Angelo.

Materia *analogica* est omne quod dicitur materia per analogiam. Sic genus dicitur materia analogica, quia est subjectum differentiarum ex quo fit species.

Materia apud logicos est in propositione vel *proxima*, seu *ex qua*, seu termini extremi, scilicet subjectum et prædicatum, vel, *remota* seu *circa quam* id est res ipsæ de quibus fit propositio; — in syllogismo est vel *proxima* seu e qua proxime syllogismus componitur et sunt ejus tres propositiones, puta major, minor et conclusio; vel *remota*, seu ea e qua syllogismus remote componitur, nempe major, minor et medius terminus, et hæc duæ vocantur materia *ex qua*; vel *remotissima* seu *circa quam*, seu potius res ipsæ de quibus fit syllogismus.

MATERIALITER. Materialiter spectari, est sumi ratione subjecti, vel materiæ, et dicitur de re pure in se seu citra omnem formam spectata; sic in hac propositione : Album est dulce, ly album sumitur materialiter, quia, nulla habita ratione albedinis quæ hic spectatur tanquam forma, ei competit dulcedo; competit scilicet albedinis subjecto.

MATERIATUM. Materiatum dicitur illud quod a materia tanquam a causa sua intrinseca pendet.

MAXIMUM, MINIMUM. *Maximum quod sic* est summus gradus magnitudinis quem res possit recipere; v. g. supposito quod arbor possit attingere ad altitudinem centum graduum, et non ultra, hæc altitudo centum graduum erit *maximum quod sic* arboris. Minimum quod sic est minimus gradus magnitudinis quem res possit recipere; v. g. supposito quod arbor non possit recipere minorem altitudinem quam quinque graduum ut remaneat arbor, ista altitudo quinque graduum erit *minimum quod sic* arboris; dicitur etiam *minimum naturale*.

Maximum quod non est gradus qui magis appropinquat ad minimum quod sic. In allato exemplo, altitudo quatuor graduum respectu ad arborem esset *maximum quod non*, nempe quæ magis accedit ad quinque, quod est minimum quod sic. *Minimum quod non* est gradus qui minus superat maximum quod sic. In allato exemplo, maximum quod sic est centum respectu ad arborem; *minimum quod non* erit centum et unum.

MEDIUM. Medium (gallice *milieu*) est 1° vel *rei* seu *arithmeti-*

cum; est, ait Chavinus, quod æque distat ab utroque extremo, seu quod æqualiter excedit numerum minorem et exceditur a majori secundum excessum quantitatis, non secundum proportionem, v. g. novenarius numerus medius dicitur inter senarium et duodenarium, quia tribus unitatibus ab utroque distat; vel *geometricum ;* illud est in quo servatur eadem ratio majoris termini ad medium, et medii ad extremum; vel cum unum exceditur ab alio secundum eamdem proportionem, quæ sit proportio proprie dicta secundum quam excedit; sic sex dicitur medium geometricum inter tria et duodecim, quia sex excedunt tria in proportione dupla, et exceduntur a duodecim in eadem proportione dupla; et hoc est illud medium quod a virtute servari aiunt, et in ea vocatur *medium rationis* seu *personæ;* quando agitur de virtute definitur : medium quod præscribitur judicio viri prudentis, scilicet habita ratione circumstantiarum.

Medium est 2° *participationis*, seu *compositum*, illud scilicet quod ex utroque extremo vel formaliter vel virtualiter componitur, v. g. tepor respectu caloris et frigoris; vel *negationis* seu *remotionis;* illud est de quo ambo extrema plane negantur, v. g. actio indifferens respectu ad virtutem et vitium; vel etiam dicitur: subjectum illud quod utriusque extremi recipiendi capax est, neutrum tamen necessario habet, et potest utroque carere; sic intellectus dicitur medius respectu scientiæ et erroris.

Medium est 3° *quod* seu *suppositi*, et est cum inter agens et patiens mediat suppositum, quod prius recipit actionem agentis quam perveniat ad patiens; ut aer est medius inter ignem agentem, et manum patientem; vel *quo*, et est forma per quam agens producit effectum; ut calor vulgo dicitur medium quo ignis agit in manum; vel *sub quo*, et est id quod potentiam perficit ad agendum in generali, eam non determinans ad objectum speciale; ut lumen dicitur medium sub quo percipit oculus colorem quemlibet; vel *in quo* et est id per cujus inspectionem producitur potentia in alterius rei notitiam; ut in speculo cernitur res objecta, et in imagine res repræsentata.

Medium *morale* est id quod assumitur ab agente ad beatitudinem consequendam, actio scilicet virtutis.

Medium *logicum*, vel *medium syllogismi* idem est ac *medius terminus*, ille scilicet qui ratio est propter quam discurrendo aliquid affirmamus vel negamus, et est ille qui in utraque præmissarum invenitur, nunquam vero reperitur in conclusione.

MENSURA. Mensura est id unde dignoscitur rei quantitas; hinc duplex est : 1° *molis*, seu unde expenditur quota res sit vel quam extensa; *virtutis*, seu unde rei perfectio dignoscitur.

Mensura 2° alia est *activa*, seu *externa*, et est regula per quam dignoscantur quotæ vel quantæ res sint, v. g. *ulna* respectu panni. Alia est *passiva* seu *interna*, quæ est potius fundamentum mensurabilitatis seu id a quo fit ut multitudo vel magnitudo possit mensurari.

METHODUS. Methodus est modus ordinatus procedendi in veritatis inquisitione vel dispositione seu ordo discendæ docendæque disciplinæ.

Methodus alia est 1° *synthetica* seu *compositiva*, quæ etiam *methodus a principiis* appellatur, et est ea quæ a simplicioribus proce-

dit ad a compositiora, ut ab universali ad particularia; vel *analytica* seu *resolutiva*, quæ et dicitur *methodus ad principia*, et est progressio a compositioribus ad simpliciora, v. g. a toto ad partes, a fine ad media. Aliqui addunt *methodum solvendæ finitionis*. Non proprie distinguitur ab aliis, sed solum superaddit aliquid, et adjungitur methodo compositionis, quando quis traditurus aliquam scientiam; non solum incipit ab universalioribus, sed etiam in ipso principio tradit quamdam generalem doctrinam, sive definitionem et compendium ipsius scientiæ, postea illam partitur usque ad ultima ejus membra.

Methodus alia est 2° *inventiva*, qua occulta et obscura detegimus; vel *dispositiva*, qua inventa in debitum sciendi ordinem digerimus.

MODUS. Modus *sciendi* principaliter sumitur pro eo quod tradit clariorem rerum notitiam, sive scientificam sive non, et definitur : oratio ignoti manifestativa. Oratio autem brevis est sermo ex duabus vel pluribus vocibus compositus. Triplex est : definitio, divisio et argumentatio.

Modus *cogitandi* est attributum sine quo substantia esse nequit; alias vocatur attributum essentiale et inseparabile.

Modus ut opponitur substantiæ. seu *entitas modalis*. V. *Accidens*,

Modus syllogisticus, V. *Forma syllogistica*.

Modi prioris et posterioris. V. *Prius*, *Posterius*.

Modi simul. V. *Simul*.

MOTUS. Motus latissime significat actum ; late autem est mutatio seu transitus ab uno statu ad unum statum, v. g. illuminatio ; proprie autem est mutatio successiva, seu, cum philosopho, actus entis in potentia prout est in potentia. — Motus *simplex* ille dicitur qui ab una tantum pendet causa ; *compositus* vero qui a duabus vel pluribus pendet causis.

Motus, cum agitur de potentiarum animæ actibus, triplex est : *primo primus*, qui est potentiarum animæ actus indeliberatus ; *secundo primus*, qui est potentiarum animæ actus, præveniens plenam deliberationem, non autem semi-plenam, v. g. in semi-vigilia ; *secundo secundus*, qui est potentiarum animæ actus cum plena deliberatione.

N

NATURA. Naturæ nomen variis modis sumitur apud philosophos, sed duobus præcipue; primo late pro cujusque rei essentia, et quidditate, quomodo de rebus omnibus, tam spiritualibus quam corporeis, tam substantialibus quam accidentalibus dicitur. Secundo stricte, pro entitate intrinseca compositi substantialis; qua ratione per res naturales non solent intelligi substantiæ spirituales, sed tantum corporeæ, et sic definitur : natura nihil aliud est quam principium et causa motus et quietis ejus in quo est primo et per se, et non secundum accidens ; ita Aristoteles : seu principium insitum motus et quietis a seriei causarum motu dependens.

Deus vocatur *natura naturans :* creatura vero *natura naturata*.

NECESSARIUM. Necessarium dicitur illud quod non potest non esse, aut aliter sese habere.

Necessarium est 1° vel *necessarium in causando*, et adest in causa a qua necessario fluit effectus, seu, qua posita, necessarium est poni effectum ; vel *necessarium in prædicando*, et adest quando

datur necessitas enuntiationis, seu in enuntiatione, scilicet quando talis est connexio inter prædicatum et subjectum, ut prædicatum de illo non potest negari : vel *necessarium in essendo*, et dicitur de re quæ non potest non esse, seu quæ habet essentiam semper exercitam, et istud etiam vocatur necessarium absolute et simpliciter.

Necessarium est 2° vel *logicum*, cui ex terminis repugnat non esse ; sic necessarium est hominem esse rationalem ; vel *physicum*, quod ex causis naturalibus tale est ; vel *metaphysicum* quod ex essentia tale est ; vel *morale*, illud sine quo quamvis absolute fieri possit effectus, nunquam tamen vel raro fit.

NECESSITAS. Necessitas est 1° vel *simplex* seu *absoluta*, et est qua res, nulla facta suppositione, ita necessaria est, ut ejus oppositum includat contradictionem; vel *hypothetica* seu *ex suppositione*, et ea est quæ oritur ex aliquo præsupposito ; vocatur etiam necessitas *consequens* seu *consequentiæ*.

Necessitas est 2° vel *disjunctionis*, quæ oritur ex suppositione determinata, per descensum disjunctivum, seu determinatione, explicanda (V. *Ascensus*, *Disjunctim* et *Suppositio*), ut : si necesse est aliquem hominem esse regem, necesse est Philippum esse regem, vel Alexandrum, etc. ; vel *disjunctorum*, et ea est quæ oritur ex suppositione confusa, per descensum disjunctum, seu confusum, exponenda : ut : quia oculus est ad videndum necessarius, dexter vel sinister est necessarius inderminate.

Necessitas est 3° vel necessitas *quoad specificationem*, et est ea qua potentia circa suum objectum, unius tantum speciei actum, et non oppositum potest elicere : ut intellectus circa verum clare propositum actum assensus elicit ; vel necessitas *exercitii*, et est ea qua potentia circa suum objectum, unius speciei actum, non potest non elicere : ut apertus oculus non potest in luce constitutus, non videre.

NEGATIO. Negatio *neganter* accepta ea est quæ, præfixa signo vel verbo in enuntiatione, totum quod ipsam sequitur destruit, et ejus oppositum efficit : ut : nullus homo est lapis ; quoddam accidens non est qualitas. — Negatio *infinitanter* accepta seu *infinitans*, est negatio, quæ addita voci simplici, ejus tantum significationem negat, et omnia alia dicit : ut, non-homo ; de formali negat naturam humanam, et de materiali dicit equum, leonem, bovem, etc.

NIHILUM, seu non ens, est quidquid nullum esse reale habet, et sua natura negative concipitur, estque negative solum nomine dignum.—Nihilum stricte sumptum est impossibile, seu potius est incompossibile, quod implicat contradictionem, adeoque simul affirmat et negat, habetque attributa contradicentia.—Nihilum late acceptum dicitur tam impossibile quam possibile, dum est in statu quem vocant possibilitatis. — Nihilum, seu non ens, est vel negativum sic stricte dictum, vel privativum. *Nihil negativum* est absentia entitatis seu realitatis alicujus in quovis subjecto ; alias dicitur *nihilum simpliciter*, et *pura negatio negans*. *Nihil privativum* est absentia entitatis alicujus in subjecto hujus capace, seu est negatio entitatis debitæ inesse sive adesse subjecto capaci ; alias dicitur *privatio*.

NON. Non est triplex : negans, negativum et infinitum. *Non negans* est quod immediate ponitur

ante copulam principalem, illamque negat : ut : homo non est lapis. *Non negativum* dicitur illud quod ponitur ante copulam minus principalem, scilicet ante τo *est* ad subjectum vel prædicatum pertinens, intacto *est* principali, ut : Aristoteles est philosophus qui non est comparabilis ; est propositio affirmativa de prædicato negativo. Qui non est fallax, ille non est laude dignus ; est propositio affirmativa de subjecto negativo. *Non infinitans* dicitur illud quod immediate nomini præponitur, ut : non-ens non est homo : leo est non-equus. V. *Negatio.*

NOTIO. Notio proprie conceptum mentis denotat, diciturque imago qua aliquid in mente repræsentatur; unde V. *Conceptus.*

NOTIONES COMMUNES. Notiones communes, alias prænotiones dictæ, idem sunt ac axiomata.

NUMERUS. Numerus est multitudo mensurata per unum, seu unitatum acervus.

Numerus est 1° *transcendens*, qui convenit enti generatim ut est multiplex, v. g., angelorum multitudo. Sic dicitur, quia nullis categoriæ limitibus coarctatur; vel *categoricus*, seu *quantitativus*, qui convenit rebus quantis, v. g., acervus lapidum.

Numerus est 2° vel *numerans* seu *abstractus*, et ille est quo intellectus utitur ad res numerandas, seu notio illa numerorum quam formamus in mente, et quam exprimimus notis arithmeticis, v. g., binarius, ternarius, etc.; vel *numeratus* seu *concretus*, et est multitudo rerum quæ ab intellectu numerantur, v. g., binarius vel ternarius hominum.

Numerus est 3° vel *materialis*, id est res ipsæ numeratæ, v. g., homines; vel *formalis*, seu forma quæ advenit rebus eo quod sint tot; puta dualitas, trinitas, etc.

O

OBJECTUM. Objectum in genere illud esse dicitur circa quod versatur potentia, actus aut habitus. Unde objectum scientiæ est id circa quod potentia cognoscitiva, illius habitus vel actio potest occupari.

Objectum aliud est 1° per *accidens*, illud scilicet quod propter aliud consideratur, v. g., vitium in morali propter virtutem; vel *per se* quod sui gratia spectatur. —Objectum per se est *adæquatum* seu *totale*, quod alias dicitur *per se primo* aut *primarium*, et est id quod nec latius nec angustius patet; vel *inadæquatum* seu *partiale*, quod etiam dicitur objectum *per se*, *secundo* aut *secundarium*, et est pars objecti totalis.

Objectum aliud est 2° *communitatis*, quod prædicatur in recto de omnibus quæ in disciplina considerantur, v. g., ens physicum in physica; vel *attributionis*, seu id quod in recto de speciebus, in obliquo autem prædicatur de cæteris, puta principiis, causis, proprietatibus, quæ considerantur; definitur : id quod primo per se consideratur a disciplina, et ad quod cætera quæ in ea tractantur referuntur, ut principia, proprietates, etc., et a quibusdam appellatur *res tractanda*. Illi opponitur objectum *attributum*, cujus cognitio per se ordinatur ad cognitionem objecti attributionis.

Objectum aliud est 3° *materiale*, ea scilicet res quæ consideratur, v. g. corpus humanum respectu medicinæ; vel *formale* seu ratio sub qua consideratur objectum materiale in disciplina, v. g. corpus humanum, quatenus sanandum.

Objectum aliud est 4° *objectum quod* vel *quo*. Objectum *quod* est illud omne quod attingit scientia,

conclusiones nempe et res de quibus est conclusio. Porro conclusiones vocantur *objectum quod complexum*, res vero de quibus sunt, vocantur *objectum quod incomplexum*; v. g. hæc conclusio: *Ergo ignis tendit sursum*, est objectum quod complexum partiale physicæ: *ignis* vero, seu subjectum illius conclusionis, est objectum quod incomplexum partiale ejusdem physicæ. Objectum *quo*, est medium per quod scientia attingit suas conclusiones, scilicet antecedentia, seu præmissæ ex quibus eruuntur; et res quæ illarum præmissarum est medius terminus. Unde præmissæ seu antecedentia vocantur *objectum quo complexum*; res vero quæ illarum sunt medii termini, vocantur objectum quo incomplexum; v. g., in hoc syllogismo: Omne leve tendit sursum : at omnis ignis est levis; ergo omnis ignis tendit sursum; duæ præmissæ sunt objectum quo complexum partiale physicæ; *leve* vero, quod est medium quo probatur ignem tendere sursum, est objectum quo incomplexum partiale ejusdem physicæ. Nota autem quod per ly *conclusiones* et *præmissæ*, non intelligimus verba earum, sed ideas quæ in eis continentur.

Objectum aliud est 5° *Proximum*, quod immediate attingitur ab actu; sic color est objectum proximum visus, quia immediate ab organo visus attingitur. *Remotum*, quod, mediante proximo, attingitur ab actu; sic paries est objectum remotum visionis, quia nonnisi mediante colore videtur.

OBLIQUE. Seu in obliquo. V. *Prædicatio*.

OPERATIO. V. *Actus*.

OPPOSITIO. Oppositio est vel *disparata* quæ intercedit inter ea quæ ita inter se pugnant, ut simili ratione cum aliis pugnare possint, v. g. oppositio bovis cum leone, ita enim potest pugnare cum tigre; vel *simplex* seu *propria* quæ intercedit inter ea quæ ita inter se pugnant, ut simili modo cum aliis pugnare nequeant.

Opposita sunt vel *relativa*, vel *contraria*, vel *privativa*, vel *contradictoria*. V. hæc verba.

Oppositio, dum agitur de propositionibus, definitur : Affirmatio et negatio ejusdem de eodem; seu : repugnantia inter duas propositiones eodem prædicato et subjecto constantes. — Dividitur in contradictoriam, contrariam, subcontrariam, et, juxta aliquos, in subalternam. *Contradictoria* est repugnantia inter duas propositiones quarum una est universalis, et altera particularis, vel utraque singularis; una affirmativa et altera negativa. *Contraria* est repugnantia inter duas propositiones universales quarum una est affirmativa et altera negativa. *Subcontraria* est repugnantia inter duas propositiones particulares, quarum una affirmat et altera negat. *Subalterna* est inter duas affirmativas, aut duas negativas, quarum una est universalis, et alia particularis.

ORATIO. Oratio logicis est vox ex instituto significans, cujus aliqua pars separatim significat, ut dictio, non ut affirmatio aut negatio, v. g. Deus est bonitas; nam hæc vox Deus, est dictio, aliquid significans sine affirmatione vel negatione; item et bonitas. — Oratio breviter est : sermo ex duabus vel pluribus vocibus compositus.

Oratio alia est 1° *perfecta*, quæ completum ingenerat sensum animis auditorum, v. g. : invidus est ignarus; vel *imperfecta*, quæ perfectum sensum non ingenerat animis auditorum, v. g. :

quos ego... Alia est 2° vel *enunciativa*, quæ affirmat aut negat, et est idem ac propositio; vel *non enunciativa*, quæ nec affirmat nec negat, v. g. sol lucidus.

P

PARONYMA. Idem est ac denominativa. V. *Denominatio*, et *Denominativum*.

PARS. Pars est illud ex quo totum constat.

Pars est 1° vel *potentialis*, quæ in toto continetur, non actu, sed potestate tantum; et duplex est : *effectiva* scilicet, quæ convenit effectui ut est in causa, v. g. creaturæ respectu Dei ; vel *subjectiva* seu *logica* (seu inferius respectu superioris), et ea dicitur quæ alicui universali subjicitur; sic species sunt partes generis. Vel *actualis*, et ea est ex qua actu componitur totum; seu philosophice: id quod est in aliquo, et præter quod est aliquid quod sit ejusdem; eaque est vel *essentialis*, sine qua res accurate nequit concipi, vel *integralis*, scilicet quæ ad integritatem totius inservit. — Porro pars essentialis duplex est : *Metaphysica*, quæ et *logica* dicitur, puta genus et differentia, v. g. animalitas et rationalitas respectu hominis; vel *physica*, quæ componit totum physicum, puta materia et forma.

Pars est 2° vel *aliquota*, quæ scilicet multoties repetita totum absumit, v. g. binarius respectu denarii; quinquies enim repetitus absumit denarium; vel *non aliquota*, quæ scilicet nequit adæquare totum, v. g. ternarius respectu denarii.

Pars est 3° vel *entitativa*, quæ componit entitatem rei; vel *quantitativa*, qua res extenditur, seu una realiter est extra aliam.

PARTICIPATIVE. Participative sumitur in oppositione ad τo essentialiter; nimirum illud dicitur esse tale participative, quod essentiam suam, et quæ in illa reperiuntur, ab alio accepit; seu quod esse habet dependenter ab alio.

PASSIO. Nomen passionis diversimode sumitur: 1° pro proprietate essentiam consequente; sic dicimus lucem esse passionem solis et duritiem adamantis; 2° pro receptione cujuslibet effectus, et sic constituit sextum prædicamentum, quod definitur: actus secundus potentiæ passivæ, seu accidens per quod subjectum constituitur actu recipiens effectum ab agente; 3° pro receptione alicujus afflictivi; sic Christus dicitur propter nos duram passionem sustinuisse; 4° pro motibus appetitivis quibus animal fertur ad bonum et fugit malum; sic amor, odium, etc.; 5° ut est tertia qualitatis species, et definitur : qualitas transiens, alterationem sensibilium causans, vel ab alteratione sensibili causata; et per hoc quod sit transiens differt *a patibili qualitate* quæ est diu perseverans; ejus exemplum sit pallor causatus ex metu; patibilis autem qualitatis exemplum sit pallor ex melancholico temperamento.

PERFECTIO. Perfectio quandoque sumitur transitive seu effective pro actu efficientis seu perficientis, quo res fit et redditur perfecta; Quandoque autem sumitur possessive seu subjective pro actu formali seu habitu, quo res intrinsece et formaliter est perfecta, quandoque autem pro quacumque realitate, seu entitate.

Perfectio est 1° *simpliciter simplex*, quæ omnem excludit imperfectionem, et oppositionem cum majori, aut æquali perfectione; seu quæ in unaquaque re,

melior est ipsa quam non ipsa, v. g. sapientia; vel *simplex*, quæ omnem excludit imperfectionem, non vero oppositionem cum alia sibi æquali; v. g. paternitas divina; habet enim oppositionem cum filiatione Verbi æterni; vel *secundum quid*, quæ includit imperfectionem, v. g. ambulare, quod limitationem importat; puta pedes, etc.

Perfectio est 2° *formalis*, vel *virtualis*, vel *eminens*, secundum quod continetur vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter. V. *Continere*.

PERICHORESIS. Idem est ac circumincessio, et est mutua inexistentia personarum divinarum in se mutuo.

PER SE. PER ACCIDENS. Quatuor modis accipi solet per se Peripateticis.

I. Modo per se convenit alicui, quod est de essentia illius, ut homini esse rationalem.

II. Modo per se convenit alicui quod defluit ex natura illius, ut homini esse risibilem.

III. Modo per se dicitur quod est ens per se subsistens, sive substantia, ut homo.

IV. Modo per se convenit alicui, quod est propria operatio illius; sic medico per se convenit sanare. Per accidens convenit, quod convenit, sed nullo ex his dictis quatuor modis; ut homini esse album, medico canere, etc.

PERSEITAS. Perseitas vulgo dicitur modus entis quo substantia per se existit. V. *Substantia*.

PERSONA. V. *Subsistentia*.

PERSONALITAS. Personalitas est quasi forma aut ratio formalis personæ. V. *Subsistentia*.

PERTINERE. Pertinere ad aliquod dicitur vulgo vel *præsuppositive* seu *antecedenter*, sicut operationes virtutum pertinent ad beatitudinem; vel *concomitative*, seu *consecutive*, sicut delectatio ad beatitudinem pertinet; vel *ministerialiter*. sicut divitiæ beatitudini inserviunt; vel *essentialiter*, sicut visio Dei ad beatitudinem pertinet.

PHANTASIA. Idem est ac *imaginatio*.

POSSIBILE. Possibile, quatenus opponitur enti propre et participialiter sumpto (quod idem est ac existens et quidem actu), dicitur id quod non actu existit, sed potest existere, ut nova quædam stella, alter mundus: aliterque dicitur *possibile physice et proxime*.—Quatenus vero opponitur impossibili, dicitur illud quod potest esse, quod est non repugnans, quod non involvit prædicata contradictoria, sive actu existat, sive non; ut homo, ignis. Aliter dicitur *possibile logice et remote*.

Possibile aliud est 1° *internum*, scilicet quod in se non repugnat; vel *externum*, scilicet ad quod producendum existit aliquod ens capax.

Possibile aliud est 2° *futurum*, cujus productio est certo decreta et determinata; vel *in potentia*, quod revera latet in suis causis; vel *merum*, cui non repugnat existere, etsi nunquam sit futurum.

Possibile aliud est 3° *metaphysicum*, quod virtute saltem supernaturali et divina fieri potest; vel *physicum*, quod virtute naturali fieri potest; vel *morale*, quod fieri posse censetur a viris prudentibus, seu quod recta ratione et juxta leges fieri potest.

Possibile aliud est 4° possibile *simpliciter*, alias dictum *possibile fundamentale*, quod indeterminate ad aliquam potentiam dicitur, ob solam non repugnantiam terminorum rei essentiam constituentium : ut volare, præscindendo et non determinando cu-

jus potentiæ respectu possibile dicitur; vel *possibile alteri*, alias *possibile formale* et *respectivum*, quod determinate ad aliquam solum potentiam attinere dicitur; ut volare dicitur tantum possibile respectu avium, non item hominis, equi, etc.

POSTERIUS. Posterius est quod aliud quocumque modo sequitur; totidem autem modis dicitur, quot *Prius*. V. *Prius*.

POST-PRÆDICAMENTA. Hoc nomine vocantur affectiones seu proprietates quædam generales, quæ ex comparatione prædicamentorum inter se oriuntur, vel modi sunt, qui prædicamenta consequuntur, et ad multa sæpe pertinent; quorum ideo cognitio ad perfectam prædicamentorum cognitionem haud parum adfert adjumenti : scilicet quid sit esse *opposita*, esse *prius*, esse *simul*, quid sit *motus*, quid sit aliquid *habere*.

POTENTIA. Potentia dicitur quod est agendi vel patiendi capax.

Unde potentia est 1° activa, vel passiva; *activa* seu *operativa* est per quam aliquid constituitur potens ad agendum: ut ignis ad calefaciendum; *passiva* vero seu *receptiva*, per quam aliquid potest in se formam aliquam recipere, ut aqua calorem. —Potentia passiva potest dividi in *objectivam* et *subjectivam* ; objectiva, quam aliqui *logicam* vel *metaphysicam* appellant, est rei capacitas ad existendum; quo modo mundus, antequam a Deo crearetur, erat in potentia ad existendum. Potentia vero subjectiva seu *physica*, est capacitas rei existentis ad recipiendam aliquam formam, ut in pariete ad recipiendam albedinem. — Cum potentia dicatur per ordinem ad actum, cuilibet potentiæ jam dictæ respondet suus actus. Et quidem potentiæ activæ respondet actio seu operatio, ut potentiæ ignis calefactivæ, calefactio; objectivæ actus *entitativus*, seu entitas rei actu existens : subjectivæ vero actus *formalis*, seu forma sive substantialis sive accidentalis. — Utraque potentia est vel naturalis vel supernaturalis.

Potentia *activa naturalis* est quæ producit effectus non superantes naturæ vires, hocque vel vita concurrente, vocaturque simpliciter *potentia vitalis ;* hæcque est propria viventi, ut vivens est, v. g. intellectus, sensus, facultas nutrix; vel vita non concurrente, vocaturque simpliciter *potentia naturalis;* hæcque propria est rei vita destitutæ, v. g. potentia illuminandi, soli. Potentia *activa supernaturalis ;* est ea quæ producit effectus superantes naturæ vires; hæcque est vel in Deo, et dicitur *simpliciter potentia supernaturalis* v. g. virtus productiva sanctitatis; vel in creatura, et appellatur simpliciter potentia *obedientialis*. Hæc autem est mobilitas qua creatura nata est obedire et subservire Deo ad producendos vel recipiendos quosvis effectus superantes naturæ vires nullam contradictionem implicantes, v. g. virtus aquæ baptismalis, ad producendam sanctitatem ; vel capacitas animæ ad eamdem recipiendam.

Potentia *passiva naturalis* est potentia receptiva formæ non excedentis naturæ vires, v. g. docilitas, respectu scientiæ acquisitæ; potentia *passiva supernaturalis* est potentia receptiva formæ excedentis naturæ vires; v. g. capacitas intellectus creati ad visionem intuitivam Dei, estque *obedientialis*.

Potentia passiva iterum est vel *mere receptiva*, quæ solum formam recipit, v. g. corpus huma-

num respectu animæ rationalis; hæc enim est substantia de foris adveniens; vel *eductiva*, quæ tum formam recipit, tum passive ad illius productionem concurrit, v. g. lignum respectu ignis; hic enim magnus est pro multo ligno: parvus pro pauco.

Potentia est 2° *positiva*, quæ actui conjungitur, v. g. facultas loquendi in eo qui actu et de facto loquitur; *negativa*, quæ est mera indifferentia ad actum; v. g. indeterminatio ad loquendum in tacente; in eo enim est pura negatio determinationis ad locutionem: vel *privativa*, nempe; potentia separata ab actu cum idoneitate ad illum; hæcque est: vel *activa*, seu facultas sese ad actum determinandi, v. g. facultas loquendi in tacente; vel *passiva*, seu idoneitas actus recipiendi, v. g. capacitas marmoris inelaborati, ad recipiendam figuram.

Potentia est 3° *proxima*, quæ unica agentis actione, et patientis receptione, potest ad actum reduci; v. g. potentia loquendi in tacente; *remota*, quæ, ut ad actum reducatur, eget multiplici saltem patientis mutatione, v. g. capacitas loquendi in humano cadavere, quod nempe indiget restitutione animæ et multarum aliarum facultatum ut possit actu loqui.

Potentia est 4° *consummabilis*, quæ suum actum totaliter sortiri potest, v. g. visus, visionem; *inconsummabilis*, quæ suum actum nequit unquam complete sortiri, v. g. visus respectu cujuslibet visionis. Sic numerus potest semper crescere et nunquam crevisse; nullus enim numerus adeo magnus, quo duplo major excogitari nequeat.

PRÆCISIO. V. *Abstractio*.

PRÆCISITAS. Præcisitas seu singularitas, prout ea spectatur in philosophia morali, aliquando in malam partem accipitur, et tum intelligitur actus animi quo, in indifferentibus alteram partem eligendo, eidem tam stricte adhæret, ut alteram partem itidem non malam, aversetur. Aliquando in bonam partem sumitur, et tum dicitur virtutis affectio qua virtus ab eo proficisci concipitur, qui exacte præstare intendit id quod cum recta ratione maxime convenit. Hæc ex propria vi et natura virtutis fluit, hancque inseparabiliter afficit et comitatur.

PRÆDICABILE. Prædicabile illud est quod de alio vel de aliis aptum est prædicari, ut homo, lupus, etc. V. *Universale* et *Terminus*.

PRÆDICABILITAS. Prædicabilitas est aptitudo unius ut de multis dicatur. Triplex est: *remotissima*, et est ipsa natura in individuis a parte rei multiplicata, seu ante abstractionem. *Remota* est eadem natura jam per simplicem apprehensionem abstracta, sicque paulo propius accedens ad aptitudinem proximam ut possit de individuis prædicari. *Proxima* est natura eadem abstracta, prout in ea per actum aliquo modo reflexum consideratur convenientia quam cum individuis habet, a quibus abstrahitur. Hæc autem proxima prædicabilitas est de essentia universalis logici. V. *Universale*.

PRÆDICABILITER. Prædicabiliter dicitur de modo quo unum alteri convenit. Sic materia a scholasticis dicitur de facto unita formæ per accidens, prædicabiliter; ut nimirum removeatur conceptus accidentis prædicamentalis: atque sic τo *prædicabiliter* opponitur τῳ *prædicamentaliter*.

PRÆDICAMENTUM. Prædicamenta, seu *categoriæ*, seu *categoremata*, sunt suprema genera

eorum quæ prædicantur de prima substantia : seu series rerum prædicabilium sub uno genere coordinatarum. Porro decem rerum sunt suprema genera : unde decem prædicamenta, nempe : *substantia*, *quantitas*, *relatio*, *qualitas*, *actio*, *passio*, *quando*, (tempus), *ubi* (locus), *situs*, *habitus* (vestis), in his versibus comprehensa :

Arbor, sex, servos, fervore, refrigerat, ustos.
Cras, ruri, stabo, sed tunicatus ero.

PRÆDICARI. Prædicari proprie est aliquid affirmari vel negari de aliquo.—Prædicari *absolute* et *simpliciter*, est dici sine ordine ad aliud, ut homo. — Prædicari *connotative* est affirmari per ordinem ad aliud, v. g. discipulus dicitur de Aristotele per ordinem ad Platonem aut Socratem. — Prædicari *in quid*, est prædicari per modum prædicati essentialis, et substantivi, ut, dum dico : Petrus est homo, homo substantive et essentialiter prædicatur de Petro. — Prædicari *in quale*, est prædicari per modum adventitii et accidentalis, ideoque adjective expressi, ut, dum dico: Petrus est doctus, doctus est prædicatum adventitium et accidentale Petro, et exprimitur per nomen adjectivum. Prædicari *in quale quid*, ex utroque temperatur; est enim prædicari quidem per modum alicujus essentialis, tamen adjective expressi, ut dum dico : Angelus est spiritualis, homo est rationalis, spiritualis et rationalis sunt quidem de essentia Angeli et hominis; attamen enuntiantur per nomina adjectiva.

PRÆDICATIO. Prædicatio est vera unius de alio affirmatio vel negatio.

Prædicatio 1° est vel *in obliquo* id est extra nominativum, v. g., dum dicitur : Filius est patris; vel *in recto* seu in nominativo, v. g., Deus est bonus —Prædicatio in recto est vel *causalis*, dum causa de effectu affirmatur, v. g. dum dicitur : Concupiscentia est peccatum, id est effectus peccati; vel *effectualis*, cum scilicet effectus affirmatur de causa, v. g. dum dicitur : Deus est natura, id est causa naturæ; vel *per concomitantiam*, cum ea quæ sese comitantur de se invicem prædicantur, v. g., dum dicitur : Lucrum unius est damnum alterius; vel *identica*, seu *formalis* in qua attributum idem est cum subjecto. Unde patet quomodo unum dicitur esse aliud in *causali*, in *effectuali*, in *formali*, in *concomitativo* sensu. — Porro prædicatio in recto identica est vel *nugatoria*, in qua attributum idem est, eodemque modo sumitur ac subjectum, v. g. dum dicitur: Animal est animal; vel *categorica*, in qua attributum aliquid significat distinctum a subjecto. — Prædicatio in recto categorica est vel *directa*, in qua affirmatur superius de inferiori, forma de subjecto, differentia vel proprium de specie; hinc recte dicitur: Homo est animal, homo est risivus; vel *indirecta*, in qua inferius de superiori, subjectum de forma affirmatur. Hinc indirecte solum dicitur: Aliquis homo est Petrus, aliquod album est paries; vel *neque directa*, neque *indirecta*, v. g. dum dicitur : animalitas est rationalitas; hic enim nec superius de inferiori, etc , nec inferius de superiori, etc., affirmatur.

Prædicatio 2° est vel *identica simpliciter*, in qua significatur attributum idem esse mere realiter ac subjectum, v. g. dum dicitur : Misericordia Dei est justitia; vel *formalis*, in qua attributum est de conceptu essentiali

subjecti, v. g. dum dicitur : Homo est animal.

Prædicatio 3° est *naturalis*, ea nempe qua intellectus attribuit rei seu subjecto quod ei convenit, ut : animal est sensitivum; vel *non naturalis*, quæ rei aut subjectæ naturæ non convenit; eaque est vel contra, vel præter naturam.

Prædicatio 4° est *essentialis*, in qua totum prædicatum est de essentia subjecti; ut : animal est vivens sensitivum; vel *non essentialis*, in qua totum prædicatum, vel ejus pars non est de essentia subjecti.

Prædicatio 5° est *propria*, in qua tam verbum quam prædicatum in sua propria significatione sumuntur, ut : homo est rationalis; vel *impropria*, in qua verbum vel prædicatum in significatione impropria sumuntur, ut : prata rident.

Prædicatio 6° est *intrinseca*, in qua prædicatum subjecto realiter inest, sive essentialiter, sive accidentaliter; ut : homo est animal : vel *extrinseca*, in qua prædicatum subjecto non inest, sed ei tantum convenit per extrinsecam denominationem; ut : paries est visus; animal est genus.

Prædicatio 7° est *exercita*, in qua verbum *est*, genuinam nativamque retinet significationem, ut : justitia est virtus; vel *signata*, quæ fit per hæc verba, significo, prædicor, dicor, et similia secundarum intentionum verba; vel per verbum *est* loco ipsorum positum, ut : hic liber est Virgilius.

PRÆMISSÆ sunt partes antecedentis complexi in quolibet argumento, v. g., duæ primæ propositiones in syllogismo.—Porro præmissæ sunt vel æquales, vel inæquales.— *Æquales* sunt, quarum neutra seorsim sufficit inferendæ conclusioni, vel utraque in solidum sufficit, ut hic : *Sto et loquor, ergo quidam stans loquitur;* præmissæ sunt æquales, quia, licet ambæ simul et conjunctæ inferant conclusionem, neutra tamen seorsim hoc potest; hic item præmissæ sunt æquales : *Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, quia ambæ seorsim et singulæ ex æquo inferunt conclusionem. — *Inæquales* sunt, quarum una seorsim infert conclusionem, altera tantum applicante antecedens ad conclusionem, ut hic : *Omnis homo est bos, Petrus est homo, ergo Petrus est bos* : ibi enim sola prior præmissa infert conclusionem, posterior tantum applicat priorem præmissam ad conclusionem.

PRÆNOTIO. Prænotio, seu *præcognitio* est cognitio aliam præcedens, cum relatione prioris ad posteriorem.—*Prænotio quid nominis*, seu *quid orationis*, est præcognitio qua quid significet vocabulum percipitur.—*Prænotio an sit*, vel *quod rei*, est qua an res existat vel possit existere dignoscitur. — *Prænotio quid rei* est qua penetratur rei quidditas, explicata nimirum ejus definitione.—*Prænotio quid sit principiorum*, est qua cognoscuntur veræ esse demonstrationis præmissæ.

PRÆSCINDERE. V. *Abstrahere.*

PRÆSUPPOSITIVE. *Præsuppositive* requiri idem est ac præsupponi. Sic *præsuppositive* oportet primo aliquid novisse, antequam illius obliviscatur.

PRIMARIO rem consideramus, cujus essentialia spectamus; sic primario hominem considerat, qui eumdem considerat ut animal rationale. Secundario rem consideramus in qua spectamus aliquid extra essentiam rei. Sic secundario hominem considerat qui in eo considerat quantitatem, figuram, etc...

PRIMUM. Primum dicitur id quo nihil est prius; estque primum vel *positive*, seu ante quod nihil est et post quod sunt cætera, v. g. Deus post quem sunt creaturæ; vel *negative*, seu ante quod nihil est, et nihil postea. Sic Adam ante Evam conditam erat primus hominum.

PRINCIPIUM. Principium sumitur vel pro *initio*, vel ut idem sit quod primum in aliqua serie, et ab alio originem in eodem genere non ducens: vel tandem, prout est id unde aliquid est, fit aut cognoscitur; et sic, principium duplex est: *principium rei*, seu essendi; et *principium cognitionis*, seu cognoscendi.

Principium rei est: 1° vel *productionis*, seu *in fieri;* vel *compositionis*, seu *in facto esse*, seu unde res producitur vel componitur; 2° vel *originationis*, illud nempe a quo aliquid procedit reipsa idem cum suo principio; vel *dependentiæ*, sive causalitatis, ut est causa erga causatum, sive inhærentiæ, ut est subjectum erga accidentia; 4° *quod*, et est id quod producit; *quo*, et est virtus qua res producitur.

Principium cognitionis est vel incomplexum vel complexum. Principium *incomplexum*, seu *simplex* est illud quod uno effertur vocabulo, vocaturque *signum*. Principium *complexum* est illud quod pluribus effertur vocabulis; sic axiomata, definitiones, etc.

PRIUS. Prius dicitur altero, quod ipsum antecedit. Hocque est: — *Tempore*, quod est altero antiquius. v. g. imperium Græcorum fuit prius imperio Romanorum. — *Ordine*, seu *dispositione*, quo unum prius ponitur altero, v. g. exordium prius narratione, narratio confirmatione, hæc demum peroratione. Aliquid potest esse prius vel ordine intentionis, vel ordine executionis. *Prius ordine executionis* est, quod prius in executione, sive quod prius assumitur ad finem assequendum. Hoc modo media præcedunt finem, v. g. Studium, scientiam, quam intendimus. *Prius ordine intentionis* dicitur illud quod prius intendimus. Sic prior ordine intentionis est finis, quam media Hoc modo prius intendimus scientiam, quam studium ad eamdem acquirendam requisitum. — *Dignitate*, quod alterum excellentia præcellit, v. g. Archiepiscopus, episcopo. — *Existendi consequentia;* seu id unde non valet consecutio, seu quo proposito aliud non sequitur, v. g. animal respectu hominis, nequit enim recte inferri homo ex aminali.—*Origine;* est is qui prius altero debet enumerari, v. g. Pater divinus, Filio; quia Verbum a Patre oritur, non vice versa. — *Causalitate*, seu *natura*, cum unum dependet ab alio. Porro prioritas naturæ est vel *a quo* vel *in quo*. Prioritas *in quo* est inter ea quorum unum dat esse alteri, a quo non dependet in suo esse: sic sol dat esse suæ luci, a qua non dependet. Prioritas *in quo* est inter ea quæ a se mutuo pendent in diverso genere causæ; sic forma dependet a materia, et rursus materia a forma. — *Dignitate* seu *perfectione*, quæ competit eis quæ sunt nobiliora. — Tot modis dicitur *posterius*, quot modis dicitur *prius*, v. g. imperium romanum posterius imperio græco; narratio posterior exordio, episcopus posterior archiepiscopo; uno verbo, vice versa in exemplis allatis.

PRIVATIO *physica* est carentia futuri habitus, seu futuræ perfectionis; — *logica* est carentia perfectionis quæ fuit vel quæ esse debuit, sive interim hæc privatio

sit absoluta perfectionis remotio, sive diminutio, sive depravatio.

PRIVANTIA. Privantia, seu *privativa*, aut *privative opposita* sunt opposita, quorum unum dicit negationem alterius in subjecto apto : ita opponuntur habitus et privatio ; visus, v. g. et cæcitas, lux et tenebræ. Hinc alterum privativorum est negativum.

PROPASSIO. Propassio est inchoata passio, sive est appetitus sentivi motio, rectæ rationi perfecte subdita.

PROPOSITIO. V. *Enuntiatio*.

PROPRIETAS, PROPRIUM. Proprietas, seu proprium quatuor modis sumitur : 1° pro eo quod convenit soli sed non omni, ut soli homini competit esse Christianum, sed omni ; 2° pro eo quod convenit omni sed non soli, ut esse animal convenit omni homini, sed non soli ; 3° pro eo quod convenit, omni et soli, sed non semper : ut dormire et vigilare convenit omni et soli animali, sed non semper ; 4° pro eo quod convenit omni soli et semper : sic constituit quartum universale et definitur : unum aptum inesse multis et prædicari de illis *in quale necessario* ; id est per modum prædicati essentiæ adventitii, eam tamen necessario concomitantis ; sic calor dicitur de igne.

PROSYLLOGISMUS. Prosyllogismus est argumentatio constans duobus syllogismis, ita dispositis, ut conclusio prioris sit major aut minor posterioris : v. g. : omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis ; omnis homo est risibilis, sed nullus asinus est risibilis, ergo nullus asinus est homo.

PUNCTUM. Punctum est 1° *terminans*, et est quoddam indivisibile in linea, ultra quod nihil est de illa linea ; *continuans* seu *copulans*, et est quoddam indivisibile existens inter duas partes lineæ sibi invicem continuas, et quod partes magnitudinis inter se connectit, ex qua conjunctione oritur continuitas magnitudinis : *initians*, est illud indivisibile, a quo linea initium sumit.

Punctum est 2° *mathematicum*, quo nihil minus in extensione excogitari potest, id est, cujus nulla pars est ; *physicum* est, quod physice quidem est indivisibile, potest tamen mathematice dividi in plures partes ; *inflatum* seu *bullaticum*, dicitur indivisibile extensum localiter, seu ens corporeum definitive existens in loco, id est totum in toto et totum in qualibet parte.

Q

QUALITAS. Qualitas latissime sumitur pro eo quod prædicatur *in quale* : et hoc sensu etiam differentiæ essentiales vocantur qualitates : late sumitur pro eo quod prædicatur *in quale accidentaliter*, et sic omne accidens est qualitas ; stricte pro certo prædicamento accidentis, et sic definitur : accidens secundum dicimur quales, vel clarius ex D. Thoma : accidens modificativum seu dispositivum substantiæ in seipsa.— Dividitur in quatuor species. In prima specie ponuntur *habitus* et *dispositio* (V. *Habitus*) ; in secunda, *potentia* et *impotentia*. Porro potentia, ut hic sumitur, est vis qua res facile operatur aut resistit, difficulter patitur, v. g. visus aquilæ : impotentia vero est qualitas qua res difficulter agit aut resistit, facile patitur aut cedit, v. g. visus senis. In tertia, *passio* et *patibilis qualitas* (V. *Passio*) ; in

quarta, *forma* et *figura*, scilicet forma quæ est qualitas resultans ex diversa dispositione partium quantitatis in rebus artificialibus; figura quæ idem sonat in rebus naturalibus.

Qualitas *realis* dicitur illa quæ in subjecto manet, hocque nonnisi in adstans facit operari : v. g. calor igni immanens, et in vicina solum agens. — Qualitas *intentionalis* dicitur illa quæ a subjecto emanat, hocque in distans etiam operari facit. Sic lumen, aiunt, a sole egreditur, et remotiores mundi angulos illuminat.

Dum agitur de corporibus, qualitas *generalior* ea est quæ corpori ut tali competit, adeoque a materia simplici hujusque modis dependet, v. g. gravitas, levitas, etc...; qualitas *specialior* ea est quæ convenit corpori ut mixto diversis elementis, v. g. facultas medicamentosa : qualitas *tactilis*, seu *sensibilis*, quæ etiam *pathetica*, et etiam *anthropologica* dicitur, ea est qua unus sensus afficitur, ut colore visus.

QUANDO. Est temporis determinatio, et sic est prædicamentum.

QUANTITAS. Quantitas, ex D. Thoma, est accidens extensivum seu distributivum substantiæ in varias partes integrantes.

Quantitas duplex est, nempe : quantitas *dimensiva* seu *prædicamentalis*, seu *molis*, quæ solis rebus corporeis convenit, et constituit prædicamentum quantitatis; *quantitas virtutis* seu *perfectionis*, quæ etiam de spiritibus dicitur.—Porro, quantitas dimensiva seu prædicamentalis est vel *permanens*, cujus partes existunt simul, ut partes corporis humani simul existunt in corpore; vel *successiva*, cujus partes non existunt, sed una succedit alteri : sic tempus.—Quantitas vero permanens est vel *continua*, cujus partes sunt sibi invicem unitæ, v. g. baculus; vel *discreta*, cujus partes nullo communi vinculo junguntur, v. g. numerus denarius lapidum.

— Quantitas *logica*, quæ etiam dicitur *quantitas propositionis*, est illa extensio aut limitatio subjecti, secundum quam illud accipitur pro pluribus aut paucioribus significatis, aut etiam pro uno tantum; atque sic propositio dicitur universalis, particularis, indefinita, singularis.

QUID. *Quid nominis* est quando ratio impositionis nominis tantum per etymologiam, aut quid simile explicatur : ut si homo definiretur per esse id quod factum est ex humo. *Quid rei* est ipsa definitio seu ratio essentialis explicans naturam rei : ut homo est animal rationale.

QUIDDITAS. Idem significari solet nominibus essentiæ, quidditatis, naturæ, et rationis formalis; nam *essentia* est id quo res constituitur in tali genere vel specie entis : *quidditas* sumitur vel pro definitione qua explicatur rei essentia, vel pro ipsa essentia, quatenus per illam respondetur, cum quæritur quid res sit; *natura* sumpta abstracte, prout competit rebus etiam non materialibus, est ipsamet essentia quatenus est principium proprietatum, et operationum : *ratio* vero *formalis* significat rei essentiam secundum prædicata propria per quæ constituitur, et ab aliis distinguitur.

QUIES. Quies *privativa* seu *negativa* est privatio motus, v. g. permanentia lapidis in manu, vita otiosa. Quies *positiva* est permanentia rei in statu naturali, v. g. natatio piscium; est enim actio secundum naturam.

QUO, QUOD. V. *Causa*, *Medium*, *Prænotio*, *Objectum*.

R

RADICALITER. Illud dicitur sumi *radicaliter*, quod consideratur prout est in radice sua, seu secundum suam originem vel causam cujus tunc denominationem accipit; v. g. *risibile* sumitur radicaliter ubi identificatus cum *rationali*, quia nimirum ultimata radix risibilitatis, ut loquuntur scholastici, est ipsamet rationalitas.

RATIO. Ratio, apud logicos, est argumentum quodpiam necessarium vel probabile, seu est apta responsio ad quæstionem *cur est*. Multiplex autem distinguitur, nimirum : *ratio-ut*, *ratio-ne*, *ratio-quia*; v. g. sit quæstio: cur studes? Si respondeas : *Ut* fiam doctus, hic est *ratio-ut*; si respondeas : *Ne* sim ignarus, est *ratio-ne*; si respondeas: *Quia* non sum piger, est *ratio-quia*.

Solent multi distingere in objecto scientiæ, rationem formalem quæ, rationem formalem per quam aut propter quam, et rationem sub qua. *Ratio formalis quæ* est objectum formale *quod*. *Ratio formalis per quam* aut *propter quam* est motivum conclusionis, id est medium quo movetur intellectus ad assentiendum conclusioni, et est objectum *quo* incomplexum. V. *Objectum*. *Ratio formalis sub qua* est conditio requisita in objecto materiali, ut sit objectum; quæ in disciplinis speculativis creditur esse abstractio a materia; in practicis vero est capacitas recipiendi formam inducendam.

Ratio metaphysicis idem est quod essentia: hinc dicitur *forma* et *ratio formalis*. V. *Quidditas*.

RATIONE. Accipitur 1° pro *secundum*, ut cum dicitur : Homo, ratione suæ mentis, est immortalis; idem enim est ac si diceretur : Homo est immortalis secundum suam mentem; 2° prout exprimit causam, ut cum dicitur : anima ratione suæ incorruptibilitatis est immortalis; idem enim est ac si diceretur : incorruptibilitas est causa immortalitatis animæ; 3° in oppositione ad τo *re* vel *realiter*; sic dicitur alia distingui realiter, alia ratione tantum.

RATUM. Ratum rationi apponitur, quemadmodum definitum definitioni, divisum divisioni, etc.; scilicet est id de quo redditur ratio; seu objectum quæstionis *cur*; seu id de quo quærimus cur sit, apta subsequente responsione.

REALE. Vulgo dicitur de ente quod actu existit, estque adeo idem quod actuale.

REALITAS. Idem est ac formalitas. V. *Formalitas*; aliquando tamen sumitur in sensu actualitatis. — Realitas in primo sensu duplex est: *subjectiva* nempe (seu *subjiciens*), et est ea qua aliquid est divisibile per differentias formales; ut animal per rationale et irrationale; *objectiva*, quæ non est sic contrahibilis per differentias formales, sed potest objici intellectui.

RECIPROCARI. Reciprocari seu *dici ad convertentiam*, est de se mutuo posse affirmari, v. g.: ens est verum; omne enim ens est verum et vicissim; unde non est nisi mutua prædicatio. Ergo patet exinde quid sit reciprocatio.

RECTO. V. *Prædicatio*.

REDUCTIO. Reductio *propositionum* apud logicos est propositionis per aliam propositionem, ut æquivalentem, declaratio.

Reductio *syllogismorum* duplex est : *ostensiva* seu *directa*, et est revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum; syllogismus imperfectus est in quo conclusio non ita clare sequitur ex præ-

missis; perfectus vero qui clare et directe infert conclusionem. Reductio autem *per impossibile* seu *indirecta*, est qua is qui negat bonitatem syllogismi imperfecti, eo redigitur ut cogatur aliquid impossibile aut absurdum concedere; unde cogitur admittere aut consequentiam syllogismi imperfecti fuisse bonam, aut certe duo contradictoria vel contraria esse simul vera. Hæc reductio vocatur etiam *deductio ad incommodum*, *ad absurdum*

REDUCTITIE. *Reductitie* seu *reductive* seu *implicite* aliquid ad aliud spectat, quod ad illud reducitur, eo quod aliquem respectum ad illud habeat, ratione cujus ad illud aliquatenus spectare dicitur; sic manus, caput, etc., reductitie spectant ad prædicatum substantiæ, quia de illis in eo nulla fit distinctio. Econtra *explicite* ad aliquid spectat, quod habet omnia necessario requisita ut per se ad illud spectet; sic *homo* spectat ad prædicamentum substantiæ, quia de eo in illo expressa fit mentio.—Porro, quod ponitur explicite in aliquo prædicamento, ponitur vel *directe*, id est in linea recta, v. g. genera, species, individua; vel *indirecte* seu in linea indirecta, v. g. solæ differentiæ essentiales. V. *Arbor porphyriana.*[1]

REDUPLICATIO. Reduplicatio est quædam conditio posita in propositione, determinans aut indicans rationem qua prædicatum attribuitur subjecto. In ejusmodi autem propositionibus vox reduplicans est una fere ex his: *quatenus, qua, qua ratione, qua tale*, etc.

REDUPLICATIVE. Prædicatum convenit subjecto *reduplicative*, quando ipsum subjectum est ratio formalis cur prædicatum conveniat; si vero ipsum subjectum non sit ratio formalis cur prædicatum conveniat, sed solum illum recipiat, dicitur convenire solum *specificative*. Sic dum dicitur: Æthiops est niger in quantum homo; distinguendum est; *reduplicative*, ita ut ratio cur sit niger, sit quia est homo, negandum; *specificative*, ita ut ille qui est homo sit etiam niger, concedendum. Hæc distinctio frequens est et magni momenti.

REGRESSUS. V. *Circulus*.

RELATIO. Relatio est, ut ait D Thomas, respectus unius rei ad aliam. Relatio est 1° *realis*, quando talis ordo talisque respectus invenitur in rebus, nemine cogitante : sic effectus ordinatur ad causam, scientia ad objectum; vel *rationis*, quando aliquid per rationem solum ordinatur ad aliud, ut prædicatum ad subjectum, genus ad speciem, etc. Relatio est 2° *transcendentalis*, seu entitas absoluta in qua tamen secundario reperitur ordo ad aliquid aliud; sic entitas partis ordinatur ad totum, entitas effectus ad causam; et hæc vocatur etiam relatio *secundum dici*; vel *prædicamentalis* seu accidens cujus totum esse est ad aliud se habere, id est quæ consistit in puro respectu, v. g. filiatio; hæc vocatur etiam relatio *secundum esse*, seu *categorica*.—Relatio prædicamentalis est vel *mutua*, quando scilicet inter ea quæ dicunt ordinem, talis ordo est reciprocus ex utraque parte, ut inter patrem et filium, inter duos parietes albos: vel *non mutua*, quando scilicet talis ordo non reciprocatur, sed solum se tenet ex parte unius extremi : ut creatura ordinatur quidem ad Deum, sed non Deus ad creaturas.—Relatio mutua est vel *æquiparantiæ*, quando scilicet in utroque extremo reperitur respectus ejusdem rationis, et simili nomine expressus, ut inter duo alba; vel *disquiparantiæ*, quando

scilicet respectus in utroque extremo existens non est ejusdem speciei, nec eodem modo exprimitur. Sic relatio patris ad filium.

In relatione tria distinguuntur: *subjectum*, nempe id in quo subjectatur relatio, seu quod refertur: *fundamentum* vero est id quod est ratio respiciendi seu referendi; *terminus* demum est id quod respicitur. Sic in relatione paternitatis, homo qui genuit filium, est subjectum talis relationis; filius genitus est terminus qui respicitur a patre; generatio vero est fundamentum talis relationis; ratio enim cur pater respicit filium, est quia genuit ipsum. Quia vero relatio est inter subjectum et terminum, ideo subjectum et terminus dicuntur extrema relationis. V. *Habitudo*.

RELATUM. Ea quæ cum aliquo conferuntur solent appellari *comparata* seu *relata*. Relata autem, inquit Aristotelès, sunt ea quæ id quod sunt, alterius esse dicuntur, vel quoquo modo ad alterum referuntur. — Relata alia sunt *secundum dici*, seu res absolutæ connotantes relationem, ut scientia et scibile; seu, juxta aliquos, ea quæ dicuntur relata, sed non sunt; alia *secundum esse*, seu quorum tota essentia posita est in relatione ad aliud; aut secundum aliquos relata realia.

REPASSIO. Repassio dicitur passio qua agens vicissim patitur ab eo in quod agit.

REPLETIVUM. Repletivum de τῷ *ubi* dicitur in scholis peripateticis, estque, juxta philosophos, existendi modus in loco. Deo proprius, quo scilicet Deus essentia sua spatia omnia replet, et totus est in omnibus, totus etiam in singulis.

REPLICATIO. Replicatio logicis est ejusdem termini bis in propositione sumptio, unde terminus replicatus dicitur. Eodem sensu dicitur *reduplicatio*.

Replicatio *effectus* proprie, in sensu peripatetico, est ejusdem numero effectus alibi reproductio; unde diceretur corpus replicari si eodem tempore poneretur in pluribus locis adæquatis.

RESPECTUS. Respectus a nonnullis dicitur habitudo entis quasi quiescens et stans. Respicere enim est se ad aliquid habere ratione situs, itemque ratione emissæ et receptæ similitudinis seu imaginis. Unde respectum a relatione distinctum dicunt, quod hæc sit habitudo entis quasi se movens et fluens; referri enim est se habere ad aliquid ratione motus, quasi tendere ad aliquid. Ab aliis, respectus dicitur idem esse quod relatio. Respectus quadruplex est, scilicet 1° *respectus in*, et est respectus accidentis ad subjectum in quo est, v. g. coloris ad parietem in quo est; 2° *respectus ex*, et est respectus rei ad subjectum ex quo educta est, v. g. figuræ statuæ ad lignum ex quo fit; 3° *respectus ab*, et est respectus principiati ad principium a quo procedit, v. g. filii a patre; 4° *respectus ad*, scilicet respectus rei ad terminum ad quem ordinatur, v. g. actionis ad effectum. V. *Habitudo*.

RESTRICTIO. Restrictio logicis est coarctatio termini a majori ad minorem significationem; ut: Æthiops est albus secundum dentes; ly *secundum* restringit ad unam solam partem.

Sumitur etiam restrictio pro *reduplicatione* aut *specificatione*. V. hæc verba.

RESUMPTIO. Resumptio apud logicos est propositionis reductio, in qua reducta sermonem exsoletum continet, aut aliter minus usitatum vel notum; reducens vero reponit communem sermonem. ut: Petrus est bovi-

nator, id est Petrus est derisor; item : prata rident, id est prata sunt amæna. Huc spectat etiam interpretatio, qua quod uno idiomate dictum est in aliud idioma transferimus.

S

SCALA PRÆDICAMENTALIS. V. *Arbor porphyriana*.

SECUNDUM QUID. V. *Dici*.

SENSUS. Sensus in logica sumitur pro significatione enuntiationis et orationis; et multiplex distinguitur, scilicet compositus et divisus, reduplicativus et specificativus. — Sensus *compositus* dicitur ille qui resultat ex conjunctione formali significati ipsius prædicati cum formali significato subjecti; vel fit sensus compositus, quando aliquid cum alio in enuntiatione ita conjungitur, ut fiat una enuntiatio simplex : in hac, v. g. propositione : *Possibile est sedentem currere*, si sessio jungatur cum cursu, sensus erit compositus. — Sensus *divisus* fieri dicitur, quando formale significatum prædicati nectitur cum materiali significato subjecti : in hac, v. g. propositione : *possibile est sedentem ambulare*, si ambulatio dividatur a sessione, ita ut sensus sit : eum qui sedet *possibile est ambulare*, sensus erit divisus. — Quoad sensum reduplicativum et specificativum, V. *Reduplicative*.—V. *Prædicatio*.

SEQUELA. Idem est quod *consequentia*.

SIGNATUS. Actus *signatus* est præsentia perfectionum in idea, id est in communi quadam forma aut entitate spectatarum. Actus *exercitus* vero est præsentia earumdem perfectionum in ipsis rebus, spectatis ut præsentibus. Quare actus signatus dicitur abstractus a singularibus, et exercitus in singularibus multiplicatus. Usus hujus distinctionis haud mediocris videtur quammultis : ita quippe de essentia, causis, etc., agit metaphysica in actu signato, id est signat vel definit quid illa sint : at physica in actu exercito, id est, specialiter ea in corporibus naturalibus inquirit. Et dum quæritur an individuum definiri possit, respondendum : posse in actu signato, non in exercito. — Sumitur etiam alio modo, juxta quem *actu exercito*, seu *exercite*, fit aliquid, quando ipso actu exercetur, sive fit sic, ut nullo signo expresse id fieri. Sic modestiam aliamve virtutem exercens, eamdem in actu exercito sectandam prædicat. *Actu* vero *signato*, seu *signate* fit, quod verbis vel alio signo designatur. Sic virtutes amplectendas Pharisæi in actu signato clamitabant, quas in actu exercito non sectabantur : Unde Christus de eis: *Dicunt enim et non faciunt*. (Matt. 23, 2).

SIGNIFICATUM. Significatum, seu res ab aliquo termino significata duplex est; *mediatum*, scilicet illud quod significatur, non quidam ex primaria destinatione, sed quasi secundario, extensive et mediante *immediato*, scilicet illo ad quod primo et per se significandum est institutus. Sic *album* per se immediate significat albedinem subjecto inhærentem; mediate vero subjectum in quo est albedo.

In termino concreto, duplex est significatum : *formale* seu forma ab ipso significata, et *materiale*, scilicet illius formæ subjectum.

SIGNUM. Signum est id quod facultati cognoscitivæ aliud a se manifestat. — Porro signum est 1° *arbitrarium* aut *naturale*, secundum quod significandi vim habet ab instituto aut ex natura.

— 2° *Rememorativum* seu *commemorativum*, aut *demonstrativum*, aut *prognosticum*, secundum quod ducit in notitiam rei præteritæ, aut præsentis aut futuræ. 3° Vel *speculativum*, quod non efficit id quod significat, v. g. fumus ignem : vel *practicum*, quod efficit quod significat, v. g. sacramenta gratiam. — 4° *Materiale* seu *instrumentarium*, quod in alterius notitiam non ducit, nisi prius cognoscatur : sic statua Henrici Magni non ducit nos ad illius regis notitiam, quin prius ipsa a nobis cognoscatur; vel *formale*, quod ignotum ducit nos in alterius notitiam, v g. species expressa coloris, quæ licet non videatur, est tamen id sine quo color a nobis non videretur. — 5° *Personale*, quod gerit vices rei significatæ, v. g. legatus principis; vel *impersonale*, quod non gerit vices rei significatæ, v. g. fumus ignis.

SIMPLICITAS. Simplicitas est negatio compositionis. — Duplex est, nimirum : *absoluta*, quæ est omnimoda essentiæ puritas, qua prorsus omnis multitudo excluditur ; estque solius essentiæ divinæ; *comparata*, quæ licet in se aliquam multitudinem habeat, non tamen habet omnem, cujus ratione adhuc puritas manet.

Porro simplicitas comparata, est triplex : *Metaphysica*, quæ 1° est puritas ab actu et potentia; 2° est puritas ab actu et essentia, sive a constitutione et esse; 3° est puritas ab essentia et existentia; 4° est puritas a natura et supposito : hæc quidem ultima competit naturæ Christi humanæ, in qua non erat personalitas humana. — *Logica*, quæ 1° est puritas a genere et differentia; 2° est puritas a denominato et denominatione externa. Verum hæc ultima vix, ac ne vix quidem ulli enti convenit. — *Physica*, quæ 1° est puritas a materia et forma ; 2° est puritas a mixtione ; 3° est puritas ab aggregatione ; 4° est puritas a concretione, sive ex subjecto et accidente.

SIMPLICITER. V. *Dici*.

SIMUL. Simul ea dicuntur, quorum nullum alio prius est vel posterius. Modi *simul* sunt quatuor præcipui : nempe ea sunt simul 1° *duratione*, quorum unum nec fuit ante nec post aliud, v. g. Pater divinus respectu Verbi ; 2° *natura*, quorum uno posito alterum poni, vel sublato statim tolli necesse est, v. g. paternitas respectu filiationis ; 3° *definitione*, quæ per sese invicem definiuntur ; qualia sunt relata; 4° *divisione*, quæ eodem instanti dividuntur, v. g. membra idem totum immediate dividentia, v. g. rationale et irrationale, respectu animalis.

SINGULARE. Singulare est indivisibile in plura ejusdem secum rationis. Unde singulare in hoc differt ab individuo, quod individuum est quid ultimo speciei subjectum. Deus exinde est singularis, non vero individuum.

SOPHISMA. V. *Fallacia*.

SPECIES. Species *prædicabilis*, ut est unum ex prædicabilibus seu universalibus, est unum aptum inesse multis numero differentibus, et prædicari de illis in quid complete, id est per modum prædicati substantivi et essentialis, totam rei essentiam exprimentis ; et est vel *suprema*, quæ nullam supra se agnoscit ; vel *infima*, quæ nullam infra se agnoscit ; dicitur etiam *ultima* seu *specialissima ;* vel *subalterna* seu *media*, quæ mediat inter supremam et infimam.

Species *subjicibilis* est quæ generi subjacet immediate et directe, et de qua genus prædicatur in quid. Sic homo est species, tum quia animali subjacet imme-

diate et directe; tum quia animal de eo prædicatur, dum quæritur quid est homo.

Species subjicibilis et prædicabilis non differunt, nisi quia subjicibilis dicitur respectu ad genus, ut homo respectu animalis; prædicabilis vero respectu ad individua, v. g. homo respectu Petri et Pauli.

Species *intentionalis* est imago finite repræsentativa objecti; seu est similitudo virtualis repræsentativa objecti. — Species intentionalis est : 1° vel *sensibilis* vel *intelligibilis*, secundum quod attingitur vel a sensu vel ab intellectu. 2° Est vel *impressa*, quæ est imago derivata ab objecto, ad hujus cognitionem concurrens cum potentia cognoscente, v. g. species emissa a pariete albo in oculum; *expressa*, quæ est similitudo objecti a cognitione efformata; est enim terminus cognitionis, v. g. dum quis domum suam cognoscit, illius imaginem in mente cudit. — Porro *species expressa* est expressa vel a sensu externo, et est ipsamet sensatio; tunc vocatur simpliciter *species expressa*; vel a phantasia, et tunc vocatur *phantasma*; vel a mente, et tunc vocatur *verbum* mentis; sæpe loco hujusmodi verborum, *phantasma* et *verbum*, ponitur nomen genericum, *species expressa:* Tunc ad illius sensum percipiendum, attendendum est ad materiam de qua agitur: si de phantasia, significabit *phantasma :* si de mente, *verbum*, etc.

SPECIFICATIVE. V. *Reduplicative.*

SPECIFICATIO, SPECIFICATIVUM. Specificativum duplex distinguitur, intrinsecum et extrinsecum. *Intrinsecum* est tota entitas vel pars entitatis rei specificatæ; unumquodque enim tale est in se per ea quæ includit. Ut enim unumquodque a componentibus et propria entitate habet esse simpliciter, sic et habet esse tale; *extrinsecum* est aliquid extra rem quidem positum, ad quod tamen essentialem habet ordinem : sic forma est specificativum extrinsecum materiæ, quia licet neque sit ipsa entitas materiæ, nec eam componat, terminat tamen respectum transcendentalem materiæ, quia materia essentialiter respicit formam.

STATUS termini est cum terminus non extenditur nisi ad tempus per verbum importatum, ut cum dico : Plato docet, terminus Plato refertur tantum ad tempus præsens, quod indicatur verbo *docet*.

SUBALTERNATIO. Subalternatio sumitur vel late vel stricte. Late est quælibet habitudo, ordo aut dispositio plurium, quorum unum sub altero constituitur. *Superius* autem dicitur subalternans, *inferius* vero subalternatum. Omnis igitur subordinatio, speciei puta sub genere constitutio, et partis sub toto, latiori significatione subalternatio erit. Stricte subalternatio sumitur, quatenus habitudo intercedit inter inferius et superius, quorum hoc illi accidentalem aliquam differentiam superaddit.

SUBJECTIVE. Subjective dicitur potissimum de mutatione, et contradistinguitur τo *terminative*. Nimirum subjective mutatur id quod est subjectum alicujus actionis et termini per illam producti, v. g. manus, quando ex calida mutatur in frigidam. Terminative vero mutatur id quod ipsa tali actione producitur, v. g. ignis ex ligno productus.

SUBJECTUM. Subjectum late dicitur quidquid alteri subjicitur, sive *loco*, ut terra cœlo ; sive *dignitate*, ut bellua homini ; sive *ordine*, ut epilogus prologo ; sive

denominatione, quod ab aliqua forma denominatur, v. g. Aristoteles *philosophus*, a philosophia; vel *attributione* scilicet de quo aliquid enunciatur, sicut homo, animal; illud autem vocatur subjectum prædicationis, quando de illo aliquid essentialiter enunciatur; vel *receptione*, ut paries albedini, scilicet illud quod recipit formam. Porro si forma est substantialis, subjectum receptionis vocatur subjectum *informationis;* v. g. corpus respectu ad animam rationalem; si forma est accidentalis, vocatur subjectum *inhæsionis*. Porro subjectum inhæsionis est duplex : *proximum*, quod immediate recipit accidens, v. g. intellectus cognitionem; *remotum*, quod mediate tantum recipit accidens ; v. g. anima rationalis cognitionem.

Subjectum habitus idem est quod objectum, id nimirum de quo proprietates demonstrantur; ut: corpus naturale est subjectum Physicæ.

SUBJICIBILE. Subjicibile est quod est aptum alicui subesse in actuali prædicatione; ut Petrus respectu hominis.

SUBMISSÆ. Submissæ vocantur a logicis propositiones aut partes in consequente complexo, quemadmodum partes in antecedente complexo dicuntur *præmissæ* : v. g. in hoc argumento : nemo stans loquitur, ergo vel non sto vel non loquor; submissæ sunt, *non sto, non loquor*.

SUBORDINATIO. Subordinatio obtinet in causis, diciturque ordo causarum seu quædam dependentia causarum inter se, qua posteriores omnes a prioribus dependent. — Subordinatio est duplex : *accidentalis* est dependentia in fieri, non autem in operari, unius causæ ab alia; sic filius creatus subordinatur accidentaliter suo patri : *essentialis* vero est dependentia unius causæ ab alia, tum in fieri, tum in operari : sic omnis creatura essentialiter subordinatur Deo, per ipsum enim movemur et sumus.

SUBSISTENTIA. Subsistentia duplex distinguitur : una qua constituitur substantia in esse substantiæ; altera qua constituitur substantia in esse suppositi. Prior, quæ *perseitas* etiam dicitur, explicari solet per non-inhærentiam aut per independentiam a subjecto; unde a quibusdam dicitur, subsistentia *independentiæ a subjecto*. Posterior vero subsistentia solet explicari per incommunicationem aut incommunicabilitatem alteri; unde vulgo dicitur subsistentia *incommunicationis* aut *incommunicabilitatis;* ab aliis autem dicitur *suppositalitas*, quæ in intellectualibus vocatur quoque *personalitas*.

SUBSTANTIA. Substantia dupliciter sumitur vel a *sub stando*, quod res substet perfectionibus; et sic definitur : res in qua illa, cujus ideam habemus, perfectio existit; vel a *subsistendo*, et sic proprie definitur : ens in se existens. V. *Subsistentia*.

Substantia dividitur 1° in *primam* et *secundam*, scilicet in *singularem* et in *universalem*. Individua, ut Petrus, Paulus, etc., vocantur primæ substantiæ : genus et species, ut vivens, animal, homo, dicuntur substantiæ secundæ seu generales.

Substantia dividitur 2° in completam et incompletam. Substantia *completa* est quæ non est nata ingredi compositionem *totius per se*, v. g. Angelus. *Incompleta* est, quæ nata est ingredi compositionem totius per se, v. g. anima quæ componit vivens, vel exigit ipsum componere.

SUBSTARE accipitur vel 1° pro eo quod supponitur prædicatis

omnibus superioribus; quo sensu omnes species generum prædicatis sunt subjectæ; vel 2° pro eo quod accidentibus proprie dictis substernitur; vel 3° pro eo quod affectionum seu proprietatum in demonstratione subjectum est; vel 4° pro eo quod substat naturæ; vel demum 5° negative, pro eo quod non eget alio sustentante, quod illi substet; atque sic idem significat, quod esse per se.

SUPPONERE. Supponere pro aliquo, est illius loco poni posse.

SUPPOSITARE. Suppositare seu *terminare*, est efficere ut substantia sit suppositum aut personæ.

SUPPOSITIO. Suppositio definitur : positio termini loco alicujus de quo verificatur. Duplex est : *Materialis* est positio termini loco sui ipsius; ut dum dico : homo est vox; *formalis* est positio termini loco sui significati, ut : homo est discursivus. — Suppositio formalis duplex est : *Propria* dicitur quando terminus supponit pro re quam proprie significat, ut homo, pro vero homine; *impropria* seu *metaphorica*, quando pro re quam improprie significat, ut leo, pro viro forti.

Propria duplex est : *simplex*, quando terminus supponit pro suo immediato significato, ut cum dico : animal est genus : ibi enim ex communi sententia, animal sumitur in genere, non autem pro animalibus in particulari ; *realis*, seu *absoluta*, seu *personalis* quando terminus sumitur pro significato mediato et immediato, ut cum dico : animal sentit; hoc enim non tantum de animali in genere, sed etiam de singulis animalium speciebus et individuis verum est. Alii addunt suppositionem quæ ab illis vocatur *personalis*, quando supponit pro mediato significato, ut cum dico : homo disputat : id enim intelligitur de hoc vel illo particulari homine.

Personalis duplex est : *discreta* seu *singularis*, quando terminus singularis supponit pro suo singulari significato. ut : Aristoteles docet; aut quando termino communi apponitur nomen demonstrativum, ut : hic homo disputat; *communis*, quando nomen commune supponit pro suis inferioribus.

Communis est quadruplex: *distributiva*, seu *copulativa* quando significatum extenditur ad omnia inferiora distributive sumpta, ita ut de quolibet in particulari intelligatur, ut cum dico : omnis ignis est calidus; unde si resolvatur, isti propositioni æquivalet: hic ignis est calidus, *et* iste est calidus, etc... *collectiva*, seu *copulata*, (seu etiam aliquando dicta *copulativa*, sed improprie) quando significatum intelligitur de omnibus inferioribus collective sumptis, non autem de singulis per se et seorsim, ut cum dico : apostoli sunt duodecim; Unde si resolvatur, isti propositioni æquivalet : Hic apostolus *et* ille apostolus, *et* ille, etc... sunt duodecim; *determinata*, seu *disjunctiva*, quando terminus communis sumitur pro aliquo inferiori determinato, ut : aliquis homo currit : sensus enim est; hunc vel illum determinate currere, ita ut propositio illa de aliquo particulari verificetur; Unde si resolvatur, huic propositioni æquivalet : *vel* ille penicillus est necessarius, *vel* iste penicillus est necessarius, *vel*, etc. *confusa*, seu *disjuncta*, quando terminus accipitur disjunctim pro inferioribus, pro nullo tamen determinate; ut : penicillus necessarius est ad pingendum; hæc enim propositio de nullo penicillo in particulari est vera, cum, quolibet de-

ficiente, alter sufficiat. Unde si resolvatur, huic propositioni æqvivalet: *vel* ille penicillus, *vel* iste penicillus, *vel* ille, etc... est necessarius. — Hinc in hoc conveniant distributiva et copulata suppositio, quod in earum resolutione invenitur particula *et*: differunt vera in eo quod in *distributivæ* resolutione, particula *et* copulat propositiones: in *copulata* vero, copulat tantum terminos. In hoc pariter conveniunt determinata et confusa suppositio, quod in earum resclutione invenitur particula *vel*; differunt vero in eo quod in *determinatæ* resolutione, particula *vel* disjungit propositiones; in *confusæ* vero, disjungit tantum terminos. — Ex hac resolutione oritur *ascensus* et *descensus* terminorum, secundum quod a singularibus sufficienter enumeratis, ad universale, seu ad aliquid commune fit progressio, vel econtra. Unde ascensus *distributivus* seu *copulativus* est ille qui procedit ex propositionibus per particulam *et* copulatis, ad aliquod commune supponens distributive seu copulative. Ascensus *collectivus* seu *copulatus* est ille qui procedit ex propositionibus, in quibus termini copulantur, ad aliquod commune supponens collective seu copulate. Ascensus *determinatus* seu *disjunctivus* procedit ex propositionibus per particulam *vel* disjunctis, ad aliquod commune supponens determinate seu disjunctive. Ascensus *confusus* seu *disjunctus*, procedit ex propositionibus, in quibus termini tantum disjunguntur, ad aliquod supponens confuse seu disjunctim. Vides exinde quid sit *Descensus distributivus* seu *copulativus*, etc.

Distributiva est: *absoluta*, cum nulla est exceptio, ut: omnis homo est animal; *accommoda*, cum aliquid excipitur, ut: Deus creavit omnia; intellige præter seipsum; *completa*, quando terminus supponit pro singulis generum, id est, pro omnibus sub genere contentis, ut: omnis homo est animal; *incompleta*, quando terminus supponit pro generibus singulorum, id est pro aliquo individuo omnium generum vel specierum, ut cum dico: omne animal fuit in arca Noe; sensus est enim aliquem equum, aliquem leonem, etc., in ea fuisse.

SUPPOSITUM. Suppositum seu *subsistens* duplicis est generis. Alterum est expers, alterum est particeps cogitationis. Hoc vocatur *persona*, illud vocatur *suppositum* simpliciter. — Solet autem definiri suppositum: substantia ultimo completa; vel: substantia singularis, existens per se et complete, ac alii, Dei voluntate, nec juncta nec, ut perficiatur et determinetur, jungenda. Ex eo nempe quod substantia ultimo completur per suppositalitatem aut subsistentiam, habet illud quod sit incommunicabilis alteri, non ut subjecto inhæsionis, non ut toto, non ut inferiori, sed ut supposito. Forma facit materiam incommunicabilem alteri, sed ut inferiori. Subsistentia vero sola hoc habet, nempe facere naturam incommunicabilem alteri tanquam supposito.

SYLLOGISMUS. Syllogismus est, ex Aristotele, oratio in qua, quibusdam positis, aliud quippiam diversum ab his quæ posita sunt necessario sequitur eo quod hæc sunt.

Syllogismus est 1° *perfectus*, qui, præter ea quæ accepta sunt, id est præter propositiones assumptas, nulla alia re indiget, ut necessitas conclusionis clare appareat; *imperfectus*, qui, etsi necessario vi formæ concludat, indiget tamen uno aut pluribus, ut

necessitas illationis clara et perspicua sit.

Syllogismus est 2° *communis*, cujus scilicet medium est commune; *expositorius*, cujus scilicet medium est singulare.

Syllogismus est 3° vel *absolutus*, vel *modalis*, secundum quod ejus propositiones sunt absolutæ aut modales.

Syllogismus est 4° *simplex*, qui constat propositionibus simplicibus: vel *complexus*, qui constat propositionibus complexis: et quidem syllogismus complexus est vel *conditionalis*, vel *causalis*, vel *disjunctivus*, etc., secundum naturam ejus propositionum.

Syllogismus est 5° *logicus*, qui constat tantum tribus propositionibus claris, concisis, quantum fieri potest absolutis et necessariis, v. g. omne par est dividuum in duas partes æquales: binarius est par; ergo binarius est dividuus, etc.; vel *rhetoricus*, qui constat majori, et, si necesse est, majoris probatione; minori et ejus probatione, tum elicit conclusionem.

Syllogismus est 6° *demonstrativus*, qui est e principiis certis et parit scientiam; vocatur etiam *apodicticus*; vel *dialectic s*, qui est e principiis probabilibus et opinionem parit: vocatur etiam *probabilis*, *topicus*, et *opinativus*; vel *pirasticus*, qui est e principiis ut vera admissis ab adversario.

SYLLOGIZARE. Syllogizare propositionem, idem est ac invenire syllogismum cujus est conclusio.

SYNCATEGOREMA. Syncategorema est nomen substantivum, quod ita alieni juris est, ut per plures categorematum classes vagans, de his possit prædicari; v. g. universalia (quia occurrunt in qualibet definitione).

SYNCATEGOREMATICE. *Syncategorematice esse* dicitur, quod comprædicari potest: et per possibilitatem quod quid existat, si physice loquamur.

SYNCATEGOREMATICUS. V. *Terminus*.

T

Terminus definitur: extremum propositionis, seu id in quod resolvitur propositio, tanquam in subjectum et prædicatum. Nota ergo quod hæc est differentia inter *vocem*, *nomen* et *terminum*, quod *vox* importat entitatem realem soni, et ideo sonus ponitur in definitione vocis. *Nomen* dicit significationem superadditam ex hominum instituto tali entitati, scilicet significationem tanquam formale, entitatem vero tanquam materiale: unde nomen ab Aristotele definitur: vox significa iva ad placitum. *Terminus* denique super hoc addit quod sit extremum, sive quod terminet seu finiat propositionem.

Terminus est 1° *categorematicus*, qui per se aliquid significat; ut: homo; *syncategorematicus*, qui per se non significat, sed solum alteri junctus; ut: omnis, hic, etc.; *mixtus*, qui virtualiter continet utrumque, et in utrumque resolvitur; ut: nemo. — 2° *Univocus*, seu *synonimus*, qui significat rationem aliquam in pluribus simpliciter eamdem; *analogus*, qui significat rationem simpliciter quidem diversam, aliquatenus tamen similem; *æquivocus* seu *homonymus*, , qui significat res omnino diversas. — 3° *Concretus*, est ille qui significat formam ut in subjecto existentem; *abstractus*, qui significat formam ab omni subjecto separatam. — 4° *Connotativus*, seu adjectivus, est ille qui significat formam ut alteri adventitiam; *absolutus*, seu substantivus, qui significat ali-

quid per se stans.— 5° *Singularis* est ille qui de uno tantum dicitur; *universalis*, qui significat aliquid pluribus commune. — 6° *Primæ intentionis* est ille qui significat rem secundum statum quem habet a parte rei, ut, homo; terminus *secundæ intentionis*, qui significat rem secundum aliquem statum quem recipit ab intellectu; ut genus. 7° *Transcendens* est ille qui de omni re dicitur, ut ens, verum, bonum, etc.; *non transcendens* est ille qui non convenit nisi quibusdam rebus, ut substantia, quantitas, etc., quem propterea nonnulli vocant categoricum, quia alicujus categoriæ cancellis continetur; *supertranscendens*, est ille qui etiam negationibus et entibus rationis competit. — 8° *denominativus*, qui ab alio desumitur, *denominans* vero a quo alius deducitur.— Ut clarius percipias, denominativa seu paronyma ab Aristotele definiuntur sic: paronyma dicuntur quæ ab aliquo nominis appellationem accipiunt, ita tamen ut differant casu, sicut a grammatica denominatur grammaticus, et a fortitudine fortis. — Denominans autem est vel *intrinsece* vel *extrinsece* denominans. Prior est ille qui significat formam in subjecto denominato realiter existentem, ut, album denominat parietem cui reipsa albedo inhæret. Posterior vero est ille qui significat formam non existentem in subjecto denominato, ut paries denominatur extrinsece visus a visione, quæ non est in pariete, sed in oculo. —9° Termini inter se comparati, alii sunt *impertinentes*, qui nec se excludunt, nec se inferunt, ut dives et doctus; alii *pertinentes*, qui vel se inferunt, vel se excludunt.—10° Termini inter se comparati dividuntur a nonnullis in *repugnantes*, *convertibiles*, *magis et minus communes*, *excedentes* et *excessos*. Repugnantes dicuntur qui de se universaliter negari possunt, ut homo et equus; convertibiles, qui de se invicem affirmari possunt, ut rationale et risibile; magis et minus communes, quorum unus potest de altero universaliter affirmari, ut animal de homine, non vice versa; excedentes et excessi, quorum alter potest de altero particulari affirmari, non universaliter, ut equus est albus. — 11° Terminus est alius *primæ impositionis*, seu nomen rei, v. g. homo; alius *secundæ impositionis*, estque nomen nominis, vel orationis, v. g. termini sermocinalium artium, puta declinatio, casus, dactylus, spondeus, tropus, exordium, subjectum, medium, etc.

Terminus motus duplex est, scilicet : terminus *a quo*, ille nempe a quo procedit motus; et terminus *ad quem*, scilicet ille ad quem progreditur motus.

TOTUM. Totum late est id cui nihil deficit; hocque sensu totum idem est ac perfectum; proprie est id quod habet partes.

Totum est 1° vel *totum per se*, quod scilicet constat partibus quæ per se ipsi insunt, v. g. ut homo respectu corporis et animæ; vel *totum per accidens*, quod constat partibus quæ ipsi per accidens insunt, ut homo respectu divitis et pauperis.

Totum est 2° vel *actuale*, seu *strictum*, quod actu continet suas partes; vel *potentiale*, quod potestate continet suas partes.

Totum actuale est triplex, scilicet : totum *essentiale*, quod habet partes essentiales, seu rei constitutivas · estque vel physicum, vel metaphysicum. Totum essentiale *physicum* est, quod constat partibus essentialibus physicis; et cum ejusmodi partes sint materia et forma, totum il-

lud definiri potest commpositum ex materia et forma : ut homo respectu corporis et animæ rationalis Totum essentiale *metaphysicum*, quod ab aliis dicitur totum *formale*, est quod constat partibus essentialibus metaphysicis, scilicet genere et differentia; sicque totum illud semper est species. Vel *integrale*, seu totum *integratum*, quod ab aliis vocatur *mathematicum*, et dicitur illud quod habet partes integrales, seu extra se invicem positas; cujusmodi est quodlibet corpus continuum, quod habet partes materiales unitas. Vel totum *collectivum* seu *aggregativum*, et dicitur illud quod habet partes materiales separatas, et forte in unum collectas; ut exercitus, acervus tritici, etc.

Totum potentiale est duplex, nempe totum *universale*, quod ab aliis dicitur *totum subjectivum*, vel simpliciter *totum potentiale*, et est aliquod superius respectu inferiorum, de quibus est prædicabile; ut genus respectu specierum, puta animal respectu rationalis et irrationalis. Vel *causale*, et est causa sua fœcunditate continens effectus.

TRANSCENDENS, TRANSCENDENTALE dicitur illud quod transcendit omnes rationes et differentias inferiorum entium, ita ut in eis intime et essentialiter includatur, seu id quod imbibitur in omni formalitate rei de qua prædicatur; ita ut nihil sit in tali re, de quo dici non possit, v. g. *ens* est transcendens, quia cum sit prædicatum universalissimum, imbibitur in omnibus rei formalitatibus, ita ut nihil sit in ea quod non sit ens. Hinc transcendentale vulgo dicitur contradistincte τῷ prædicamentali, quia scilicet trans aut supra omnia prædicamenta scandit et ascendit.

Veteres sex numerabant hujusmodi transcendentalia, nempe *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*, quorum litteræ initiales continentur in hac voce ab eis ficta *Reubau*.

Supertranscendentalia ea dicuntur quæ non modo rebus realibus, sed etiam fictis seu imaginariis conveniunt, ut *cogitabile*, *apprehensibile*, etc.

TRANSUMPTIO, seu syllogismus *ex concessione vel conventione*, fit cum quæstio proposita in aliam transfertur, hac conventione inita, ut illa alia quæstione probata, quæstio etiam proposita probata sit. Hoc modo Aristoteles contendens probare omnia astra esse rotunda, transfert quæstionem ad lunam, et probat lunam esse rotundam, præsupponens tanquam admissum ab adversariis omnium astrorum eamdem esse rationem.

U

UBI. Idem est ex prima sui institutione et significatione, ac *quo in loco*.

Ubi est 1° *fluens*, seu ubi rei quæ movetur, v. g. ubi avis volantis; vel *permanens*, seu rei ubi quiescentis, puta ubi scopuli. Ubi est 2° *circumscriptivum*, seu *quantitativum*, seu *prædicamentale*, seu id quo res est tota in toto loco, ita ut singulæ illius partes singulis loci partibus correspondeant, v. g. circumscriptio Petri a suo loco ; *definitivum*, quo res est tota in toto loco, et tota in singulis loci partibus, v. g. ubi Angelicum ; *sacramentale*, per quod corpus est totum in toto spatio, et totum in singulis spatii partibus, ita ut connaturaliter possit esse alibi, v. g ubi corporis Christi Salvatoris sub

eucharisticis speciebus, per quod Christus Dominus ita est Romæ, ut possit esse Parisiis.

UBICATIO. Est ratio existendi in loco ; unde *ubicatum* est illud quod est in loco, hic vel illic, etc.

UBIETAS. Juxta nonnullos est *nusquam non existentia*. Vulgo autem dicitur præsentia unius ad aliud, seu id per quod res est formaliter in loco.

UNIO. Est plurium rerum in unum convenientium consociatio.

Unio *informativa*, est ea quæ intercedit inter duas res quarum una est forma alterius, v. g. unio animæ et corporis. — Unio *continuativa* est ea quæ intercedit inter res plures, eas pure et simpliciter uniens, et quarum una non est forma alterius, v. g. unio partium ligni.

UNITAS. Unitas *indivisionis* seu simpliciter *unitas*, est indivisio rei in se, et divisio a quolibet alio. Et sic sumpta, prout omni enti competit, vocatur *unitas transcendentalis*, seu *metaphysica*.

Unitas est 1° vel *simplicitatis* vel *compositionis*. Prima est indivisa et indivisibilis in se ; secunda est indivisa, sed divisibilis.

Unitas est 2° vel *per se*, quæ competit non solum enti simplici, sed etiam composito, cujus partes in unum coaluere suppositum ; vel *per accidens*, quæ competit enti composito, cujus partes in unum non coaluere suppositum. — Porro hæc est vel *aggregationis*, quæ competit rebus non mixtis, et sine ordine coacervatis ; vel *confusionis*, quæ competit mixtis, v. g. vino mixto cum aqua ; vel *ordinis*, quæ competit rebus inter se cum ordine collectis.

Unitas est 3° vel *materialis* seu *numerica*, quæ competit entitati cujusque individui, quatenus non dividitur in plura individua et ab omnibus dividitur ; v. g. unitas Petri ; vel *formalis*, quæ competit essentiæ rei, quatenus non dividitur in plures essentias, qualis est ipsa, v. g. unitas naturæ humanæ.

Unitas *conformitatis* seu convenientiæ est ea qua multa in unum conveniunt. Estque vel *analogiæ*, qua multa non eadem, sed aliqua ratione in unum conveniunt ; v. g. unitas qua pharmacum, pulsus et animal dicuntur quid unum, quia aliqua ratione in sanitate conveniunt ; vel *univocationis*, qua dicuntur unum quæ eadem plane ratione conveniunt. Estque vel *generica*, qua multa sunt unum genere, v. g. homo et brutum, respectu animalis ; vel *specifica*, qua multa conveniunt specie infima, v. g. Petrus et Paulus ratione humanitatis.

UNIVERSALE. Universale quoad nomen sonat unum versus alia, adeoque significat quid commune multis, seu unum ad multa pertinens.

Universale est vel complexum, vel incomplexum. Universale *complexum* vel est propositio universalis, ut : omne totum est majus sua parte ; vel quidquid parit multiplicem conceptum in mente, ut definitio, puta animal rationale. Universale *incomplexum* est quod unicum parit in mente conceptum ; vel est res simplex respiciens tamen multa, inferiora puta aut subjecta, ut natura humana, quæ respicit omnia individua quibus inest. — Universale incomplexum est triplex : nempe 1° universale *in causando*, seu causa universalis, quæ scilicet una multos effectus diversæ rationis potest producere : 2° universale *in repræsentando*, seu unum quod

multa repræsentare potest, v. g. imago hominis in mente, quia omnes homines indiscriminatim exhibere potest ; 3° universale *in essendo*, seu unum aptum inesse multis et prædicari de illis ; et duplex est, nempe : universale *metaphysicum* et sic definitur : unum abstractum a multis, seu natura sine individuis considerata ; universale logicum, et sic definitur : unum comparatum ad plura, tanquam superius ad sua inferiora. Universalitas ergo logica formaliter consistit, non in abstractione a pluribus, sicut metaphysica, sed in quodam ordine superioritatis quem intellectus apprehendit in natura respectu individuorum.

Universale in causando vocatur etiam *universale ante multa*, causa enim est ante effectum. Universale in repræsentando vocatur etiam *universale post multa*, imago enim et vox sunt quid ipsa re posterius. Universale in essendo vocatur etiam *universale in multis*, essentia quippe rei est in ipsis singularibus.

Universale in essendo est quintuplex: *genus*, *differentia*, *species*, *proprium*, *accidens*. V. hæc verba.

UNIVERSALITAS. Universalitas est unitas naturæ aptæ inesse multis, vel apta prædicari de multis. Priori sensu dicitur universalitas *metaphysica*, quæ convenit naturæ, ut a pluribus inferioribus separatæ : posteriori autem sensu dicitur universalitas *logica*, quæ convenit naturæ ut ad plura inferiora comparatæ ; quæ quidem comparatio supponit ejus abstractionem ab illis.

UNIVOCUM. Univocum dicitur vel de rebus vel de vocibus.

Univoca *univocantia*, seu voces univocæ, sunt voces communes multis in eadem plane significatione, v. g. homo, qui potest dici de Paulo, Francisco, etc.

Univoce *univocata* seu res univocæ, sunt res quibus nomen est commune, et definitio nomini respondens plane eadem, v. g. Paulus et Petrus respectu hominis. — Univoca univocata sunt 1° vel univoca *participata*, vel univoca *participantia*, quorum priora sunt naturæ communes per nomina univoca immediate significata, quæ ab inferioribus æque primo participantur, ut animal respectu hominis et equi ; posteriora vero res inferiores quæ illam naturam communem participant, ut homo et equus respectu animalis.— 2° Vel univoca *essentialia*, quorum ratio ab inferioribus essentialiter participatur, ut animal, homo : vel *accidentalia*, quorum ratio accidentaliter tantum participatur, ut album respectu cygni et nivis.

UT QUOD, UT QUO. Aliquid dicitur agere *ut quod*, quod est principium actionis ; *ut quo*, quod est medium actionis. V. *Causa*, *Principium*, *Objectum*.

UT SIC. Ut sic aliquando idem est ac in genere, aliquando est verbum reduplicativum, et idem significat *ac qua*, *quatenus*.

V

VEGETATIVA. V. *Anima*.

VERITAS. Veritas *ethica* seu *moralis* idem est ac veracitas.

Veritas *logica* seu *formalis* est adæquatio cognitionis cum re cognita, et duplex fingitur, nempe veritas *simplex*, seu conformitas apprehensionis cum suo objecto, quod repræsentat ; vel *complexa*, seu *judicativa*, quæ posita est in judicii cum rebus judicatis convenientia.—Hæc vocatur etiam veritas *in cognoscendo*.

Veritas *signi* est conformitas

signi cum re quam significat; hæc vocatur etiam veritas *in significando.*

Veritas *metaphysica* seu *transcendentalis* est ipsa rei entitas, ut conformabilis intellectui (præcipue divino). Unde definitur a S. Thoma: adæquatio rei et intellectus. Vocatur etiam veritas *in essendo.*

VIRTUALITAS. Virtualitas dicitur ratio quæpiam in objecto, quæ revera eadem est realiter cum alia, in ordine tamen ad prædicata contradictoria perinde se habet, atque si distingueretur realiter ab illa.

VIRTUALITER, V. *Continere.*

VIRTUS Dum agitur de virtutibus, hæ vocantur *subjectivæ*, seu *partes subjectivæ* quæ sunt alicujus virtutis species; hæ vero vocantur *integrantes* seu *partes integrantes*, quæ sunt dispositiones ad virtutis principalis assecutionem, concurrendo ad actus illius perfectionem; hæ vero *potentiales*, seu *partes potentiales*, quæ maximam habent cum virtute principali affinitatem.

FINIS LEXICON PHILOSOPHICI.

INDEX BREVIS.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT I. *De natura Baptismi.* 1
CAPUT II. *De materia et forma Baptismi.* 4
CAPUT III. *De variis proprietatibus Baptismi.* 11
Articulus unicus. De necessitate Baptismi. 12
CAPUT IV. *De ministro Baptismi.* 21
CAPUT V. *De subjecto Baptismi.* 24
QUÆSTIO 1. Utrum possint baptizari infantes? . . . . . . ib.
QUÆSTIO 2. Utrum liceat filios infidelium baptizare, invitis parentibus? 28
CAPUT VI. *De effectibus Baptismi et dispositionibus necessariis ad eos percipiendos.* 30
CAPUT VII. *De cerœmoniis Baptismi et patrinis.* 33

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I. *De natura et tempore institutionis Confirmationis.* . 35
CAPUT II. *De materia et forma Confirmationis.* 39
CAPUT III. *De ministro confirmationis.* 47
CAPUT IV. *De subjecto et necessitate Confirmationis.* 52
CAPUT V. *De effectibus et cæremoniis Confirmationis.* 54

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

PARS PRIMA.

De Eucharistia prout est Sacramentum. 57
CAPUT I. *De sacramento Eucharistiæ, in se spectato.* . . . ib.
Articulus 1. De natura, seu essentia Eucharistiæ. . . . 58
Articulus 2. De materia Eucharistiæ ex qua. 67
§ 1. De materia ex qua conficitur corpus Christi. . . ib.
§ 2. De materia calicis. 72
Articulus 3. De forma Eucharistiæ. 77
Articulus 4. De re in Eucharistia contenta. 84
§ 1. Utrum in sacramento Eucharistiæ vere et realiter contineatur corpus et sanguis Christi ?. 86
§ 2. De modo quo Christus ponitur in Eucharistia. . 101
§ 3. De modo quo Christus est in Eucharistia. . . 107
§ 4. De remanentibus in Eucharistia speciebus. . . 112
CAPUT II. *De ministro Eucharistiæ.* 116
Articulus 1. Quis sit minister Eucharistiæ conficiendæ? id.
Articulus 2. Quis sit minister Eucharistiæ dispensandæ? 119

Caput III. *De subjecto Eucharistiæ, ac dispositionibus in eo prærequisitis.* 121
Caput IV. *De usu Eucharistiæ.* 122
Articulus 1. Utrum Eucharistia sit omnibus, tam infantibus quam adultis, necessaria necessitate medii? *ib.*
Articulus 2. Utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis et vini? 127
Caput V *De effectibus Eucharistiæ.* 133

PARS SECUNDA.

De Eucharistia prout est Sacrificium. 138
Caput I. *De Sacrificio in genere.* . . . . *ib.*
Caput II. *De existentia sacrificii Eucharistiæ.* 140
Caput III. *De essentia sacrificii Missæ.* 146
Caput IV. *De efficacia sacrificii Missæ.* 152
Caput V. *De valore sacrificii Missæ.* 154
Caput VI. *De causa efficiente sacrificii Missæ.* 156
Caput VII. *De iis pro quibus sacrificium Missæ applicari potest.* 158
Caput VIII. *De Missis privatis et de lingua liturgica.* 161

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

Caput I. *De existentia Pœnitentiæ sacramenti.* 167
Caput II. *De essentia et natura Pœnitentiæ.* 182
Articulus 1. De materia sacramenti Pœnitentiæ. . . . *ib.*
Articulus 2. De forma sacramenti Pœnitentiæ. . . . 188
§ 1. An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis? *ib.*
§ 2. Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria, vel indicativa esse debeat? 189
§ 3. Quænam verba sint necessaria necessitate sacramenti in forma absolutionis? 196
Caput III. *De prima parte Pœnitentiæ, seu de contritione.* . . 197
Articulus 1. De Contritione universim sumpta. . . . *ib.*
Articulus 2. De Contritione perfecta. 209
Articulus 3. De Contritione imperfecta. 218
§ 1. An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis, etc.? 219
§ 2. Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo amore ad justificationem in sacramento obtinendam? 226
Caput IV. *De Confessione.* 235
Articulus 1 De institutione, seu præcepto divino Confessionis. . . . . *ib.*
Articulus 2. De præcepto ecclesiastico Confessionis. . 243

CAPUT V. *De Satisfactione.* 246
Articulus 1. Utrum satisfactio sacramentalis sit necessaria? 247
Articulus 2. Utrum confessarius possit et teneatur imponere pœnitentiam pœnitenti, et pœnitens teneatur ipsam acceptare? 252
CAPUT VI. *De ministro sacramenti Pœnitentiæ.* 258
Articulus 1. Quis sit minister sacramenti Pœnitentiæ? . 259
Articulus 2. De requisitis, præter potestatem ordinis, ad valide absolvendum in ministro Pœnitentiæ. . . 261
§ 1. De jurisdictione. . . . . *ib.*
§ 2. De approbatione. 263
§ 3. De reservatione. 267
CAPUT VII. *De effectibus Pœnitentiæ.* 268
APPENDIX de Indulgentiis. Caput unicum. 273
Articulus 1. De thesauro Ecclesiæ. 275
Articulus 2. De potestate Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis. 278
Articulus 3. De iis a quibus possunt dari Indulgentiæ. 281
Articulus 4. De iis quibus dispensari possunt Indulgentiæ. 286
§ 1. De Indulgentia pro vivis. . . . . *ib.*
§ 2. De Indulgentia pro defunctis. 289
Articulus 5. De Jubilæo. 293

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

CAPUT I. *De Extremæ-Unctionis natura et institutione.* . . . 296
CAPUT II. *De materia et forma Extremæ-Unctionis.* 301
Articulus 1. De materia Extremæ-Unctionis. . . . . *ib.*
Articulus 2. De forma Extremæ-Unctionis. 306
CAPUT III. *De ministro Extremæ-Unctionis.* 308
CAPUT IV. *De subjecto et necessitate Extremæ-Unctionis.* . . 310
CAPUT V. *De effectibus et cæremoniis Extremæ-Unctionis.* . . 312

TRACTATUS DE ORDINE.

CAPUT I. *De essentia et existentia Ordinis.* 316
CAPUT II. *De variis speciebus Ordinationum.* 321
CAPUT III. *De materia et forma singulorum Ordinum.* . . . 332
§ 1. De materia et forma Episcopatus. 333
§ 2. De materia et forma Presbyteratus. 335
§ 3. De materia et forma Diaconatus. 338
§ 4. De materia et forma Subdiaconatus et Minorum. 339
CAPUT IV. *De ministro Ordinis.* 341

Caput V. *De Subjecto Ordinis*. 345
Caput VI. *De effectibus Ordinis*. 347

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Caput I. *De essentia et existentia Matrimonii*. 356
Articulus 1. Quid et quale sit Matrimonium? . . . . *ib.*
Articulus 2. De materia et forma Matrimonii. 371
Articulus 3. De ministro sacramenti Matrimonii. . . . 372
Articulus 4. De consensu ad Matrimonium requisito . . 381
Caput II. *De Matrimonii bonis et proprietatibus*. 388
Articulus 1. De unitate Matrimonii. . . . . *ib.*
§ 1. De bigamia, seu polygamia successiva. . . . 389
§ 2. De polygamia simultanea. 390
Articulus 2. De indissolubilitate Matrimonii. 395
§ 1. De indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum. *ib.*
Punctum 1. Utrum Matrimonium in infidelitate contractum dirimatur per professionem religionis christianæ? 398
Punctum II. Utrum in Lege veteri Matrimonium dirimeretur per libellum repudii? 400
Punctum III. Utrum vinculum conjugale Christianorum sit omnino indissolubile, ita ut nec per adulterium solvi possit? 402
Punctum IV. Utrum Matrimonium ratum dissolvi possit per continentiæ votum alterius conjugum? 407
Punctum V. Utrum Papa dispensare possit a vinculo Matrimonii rati, nondum consummati? . 411
§ 2. De Divortio. 413
Punctum I. An conjuges teneantur cohabitare? . 413
Punctum II. An divortium sit licitum, quas ob causas, etc? 414
Caput III. *De impedimentis Matrimonii eorumque statuendorum potestate*. 417
Caput IV. *De connubiis mixtis*. 434
Appendix I. Propositiones a SS. Pontificibus damnatæ. . . . 437
Appendix II. Quædam bullæ SS. Pontificum. 516
Index analyticus. 527
Lexicon philosophicum. 557
Index brevis. 625

FINIS INDICIS BREVIS.

CAEN. — IMPRIMERIE E. POISSON.

